



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
14 A
28





R. P. NICOLAI AVANCINI

SOC. JESU.

COLONIÆ

Apud Io: Wilhelmum Friessem

Cum Privilegio Sac: Cæs: Majestatis.

16 75.


POESIS DRAMATICA NICOLAI AVANCINI

E Societate IESV.

PARS I.







COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud Joannem Wilhelmum Friessem junio.em. Anno 1675.


EPISTOLA DEDICATORIA.

LECTORI MEO S.

QVam olim promiseram, tibi exhibeo, Dramatum meorũ primam & secundam Partem; *tibiq́; dedico,* Amice Lector. *Aliud patrocinium nec quæro; nec prodesse mihi potest. Non leget, qui Musis non amat: qui amat, etiam rudes & incultas benevolo quandoq; oculo dignatur. Tu solus igitur patrocinari potes, qui solus legis, & intelligis, an tuo sim dignus patrocinio. At neque à te poppysmata quæro; sed illime, purumq́; iudicium. Hoc candidum in me affectum contestaberis, animabis ad plura, quæ sub manibus habeo, undequaq; vota mea explebis; efficiesque ut quidquid sum in hac Facultate, sim*

Totus tuus

Nicolaus Avancinus S. J.



AD LECTOREM.

PEr annos complures in Viennensi Vniversitate versatus, jussus sum vel Principibus Austriacis, vel Academicis quandoq; Scenam instruere. Sed cùm de typo tunc minimum cogitarem; scripsi ea, quæ credebā non displicitura Spectatoribus in Theatro; non quæ arridere vellem meditantibus ex papyro. Quæ deinceps etiam, severioribus ut plurimum studiis occupato, non licuit vel ad rigorem artis, vel ad emendatiorem limam revocare. Scio quantum distare possit stylus agentis ad horam in theatro, & scribentis ad sæcula in Musæo. Illum scenæ apparatus, oblectamenta aurium, oculorum

ille-

illecebræ, Actoris lepor, & dexteritas condiunt ad delectationem; hic cum extraneis destitutus sit ornamentis, nisi in materiâ involutiones, in deductione inexpectatas evolutiones, in varietate miracula, in dictione acumen & sententias, in metro volubilitatem & numerum attulerit; ab iisdem publicas censuras referet, à quibus privatam tulerat commendationem. Nempè quæ in scenâ aguntur, viva sunt & animata: quæ leguntur, mera ossa & cadavera. Hinc quemadmodum aversamur cadavera eorum, quos suspeximus; sæpè damnamus scripta eorum, quos cum admiratione audivimus. Oratio quæ cursum transit, meditationi tempus adimit: quæ chartæ committitur (ut res venalis) accuratè inspicitur; & pronis in

deteriora judiciis faciliùs prodit, quod vituperent; quàm ingerat, quod commendent. Sed hæc meam voluntatem morari non debent, qui ad typum urgeor alienâ: Do igitur *Dramaticæ Poëseos* partem aliquam: si Superi faverint, non multò post daturus alteram.

Dixi *Dramaticæ Poëseos*: neque enim libelli hujus fronti inscribere volui *Tragædias*: ne superstitiosius observator, vel exitum in quibusdam lætiorem argueres; quem tamen duo Tragœdorum Principes Græcus & Latinus, alter in Iphigenia, alter in Hercule Oetæo admiserunt: vel implexiones ac peripetias, permutationes ac varietates; vel styli sublimitatem, ac sententiarum sese prementium pondus desiderares.

Sicubi Tragœdiæ Virtutes repereris, per me licebit, Tragœdias voces: si nusquam patieris *Dramata* nuncupata. Ego minorum bullarum nomine contentus ero: si tu sublimius huic opusculo attribueris; habebo quod tuæ humanitati debeam, non quod meæ virtuti adscribam.

Hoc igitur *Dramatis* titulo excuso materiam: quam alij (fortè nimis scrupulosi) uno die vel reipsâ accidisse; vel accidere potuisse volunt: alij magis superstitiosi, etiam uno loco: quod non minus indecorum censeant, transferre spectatorem momento temporis de loco in alium semotum, quàm de uno tempore in aliud. Sed plerumque qui cumulum præceptorum aggerunt, ad ea, quæ ipsi præceperint, opere exercenda rarò

descendunt, Theoricâ contenti. Ego practicos eos imitor, quos suspicio: non propterea deteriores; quòd minus vetustos. Sæculi hoc vitium est, non artis; quòd tam serò tam illustres viros protulerit. Et certè si à terra in Cœlos transferre Spectatorem licitum semper fuit artis Magistris; nescio cur veteres à regione in regionem comitari Protagonistam.

Excuso deinde stylum & versum, si vel non sit sublimis satis & numerosus, vel non satis excultus sententijs, vel debitâ pedum gravitate destituatur. Majestatem jambus Tragicus postulat, eam conciliant gnomæ & numerus. Gnomæ breves sint oportet, claræ, neque affectatâ verborum phrasi involutæ. Desinit esse sententia, quod per longam nimis perio-

periodum devolveris. Numerus concinnâ pedum texturâ, & ad gravitatem compositione consurgit. Est sua majestas jambo, quam sæpè pes unus accidit. Elumbis & veluti paralyticus est versus, qui singulos pedes singulis verbis absolvit:

Regi quies placet; vetat risum & jocos.

Serpit, qui longiorum verborum agglomeratione cæsuram excutit:

Clementia est clypeus inexpugnabilis.

Lubricus est, qui vel dactylum quinto loco habet, vel dactylicâ voce terminatur:

Auroq; certant astra fulgentia poli.
Auroq; fulgent paria cœli sidera.

Gratiam tamen lucrabitur, si vox molossa & Jonica minor cum elisione ultimæ vocalis vocem finalem dactylicam antecesserit.

Quis me Deorum sede ab infausta evocat.

Et hostis urbē Marte violento impetit.

Jambus quinto loco plerisque est exosus. Id ego ita concipio; plurimum officere majestati, si jambus sit vocis polysyllabæ, cujus pars priori pedi inserviat;

Iam Marte pulso pax amœnior redit.

Iam pax amica, Marte gratior, redit.

Nihil verò gratiæ aut granditatis perdere, si jambus ille uno verbo absolvatur.

Iam Marte pulso gratior quies redit.

Sit rigida pietas Regis, & pius rigor.

Hic etsi rarior sit Senecæ, est tamen & illi, & artis Magistro Alexandro Donato in una Suevia suprà sexagies; sæpe Carolo Malapertio in Sedecia, Nicolao Caussino passim, passim Vernulæo, Josepho Simonis, Joanni Bapt. Giattino, Leoni Sanctio, Jacobo Libenio, Dionysio Petavio, Bandino

Gual-

Gualfred ccio, Ludovico Cel-
l tio,& alijs magni nominis Poetis
usurpatus. Vt proinde quo jure
me argues, eodem te horum Lu-
minum Magistrum, nimis fortè ar-
rogantem, profitearis sit necesse.

Adhibui in Anapæstico versu
tribrachim, cui facilè mihi erat vel
spondæum, vel anapæstum substi-
tuere; sed authoritate Caussini,
Malapertii, Petavii, & aliorum re-
centiorum animatus, credidi non
improbandum ab iis, qui præfatos
Poeticæ Magistros venerantur. Si
tamen displiceam, nolo hanc li-
centiam authoritate meâ stabili-
re, sed censuræ tuæ clypeum ob-
tendere, Majorum authoritatem;
in quibus si non sis admodum per-
egrinus, vel tui plus æquo, supra
cæteros æstimator, facilè censurâ
abstinebis.

Quod

Quod si ergo velis, pro iis versibus, in quibus simili licentiâ euphoniæ magis gratiâ ad Musicam, quàm necessitate usus sum alios reponi; habes

Fol. 62. v. 28. *Gravior lapsus incubat altis.*

Similis est hic illi Jacobi Libenij in Josepho Act. 1. v. 257. *Totum gestit hausisse diem.*

Repone: *Incubat altis gravior lapsus:*

Vel: *Graviore ruunt alta ruinâ.*

Fol. 170. v. 16 *Gloria fortes amat alumnos.*

Repone: *Gloria fortes amat Heroas.*

Fol. 21. v. 5 *Væ! felici quisquis nimium Scelere gaudes.*

Repone: *Crimine gaudes.*

Ibid. v 5. *Tacito Nemesis pede sceles-stos Premit à tergo.*

Repone: *pede peccantes, &c.*

Hæc de materia, stylo, & versu indicare volui, ne, si plus sapis, ignorantem arguas.

In Choris judicium hujus sæculi secutus sum magis, quàm præcepta antiquitatis. Non quòd leges ignorarem, aut novas statuere vellem; sed quòd, cùm *prodesse velint, vel delectare Poetæ*; debuerim me genio Spectatorum accommodare. Et hoc est, quod suprà te præmonui, me Spectatoribus scripsisse non Lectoribus. Vale, meque ubi vel mea, vel citatorum auctoritas non satis tuetur, tua defende.


APPRO-

APPROBATIO.

Ego Bernardus Geyer *Societatis IESV per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Adm: R. P. N. Goswino Nickel, Soc. IESV Præposito Generali facultatem concedo, ut Dramatum Pars I. in qua continentur* Ambitio, *sive* Sosa Naufragus: Suspicio, *sive* Pomum Theodosij: Curæ Cæsarum, *sive* Theodosius Magnus: Vis Invidiæ, *sive* C. Marius: Saxonia Conversa *sive* Clodoaldus: Pax Imperij, *sive* Josephus à Fratribus recognitus, *à P. Nicolao Avancino, ejusdem Societatis Sacerdote conscripta, & à tribus memoratæ Societatis Patribus revisa & approbata typis mandetur. In cuius rei fidem hasce manu meâ & consueto Officij Sigillo munitas dedi.*

Lincij 27. Iulij.


Anno 1655.



AMBITIO
SIVE
SOSA
NAVFRAGVS.



ARGUMENTUM.



Mmanuel natione Lusitanus, genere Sosa, conditione miles, ambitione princeps, aspirante fortunâ victor, exspirante miser, secundus principio ventis Diene defensâ spei plenus Lusitaniam repetebat: dum ibi primũ desperare doctus est, ubi Bonæ spei promontorium eminebat, quam enim ex oriente gloriam superbus vehebat, oriens ab occasu ventus ut afflavit, difflavit. Quo primum concussa navis, excussa gaza, raptata vela, discissus malus, erepta gubernacula, animi ipsi sunt evulsi, Stitit *tamen arenæ tenuis Scapha*

 Sosam,

Sosam, Eleonoram conjugem, liberos, & è sociis paucos, infelices naufragii reliquias ut suorum è litore spectarent interitum, suum vel exspectarent, vel sequerentur. Hinc ad amnem sancti Spiritus deferuntur. Regulum in mediâ Barbarie humanum nacti colligere poterant naufragii tabulas, nisi sub amico vultu hostem Sosa malè suspicatus abitum properasset. Sed dum suspectam vitat barbariem, in veram incidit, obviant properanti Æthiopes: arma expediunt Lusitani, & superstites virium reliquias intendunt, nigri vultu, dolosi animo barbari amicitiã simulant, ad oppidum præmonito per internuntium Rege invitant. Rex ut imperio, ita & fraudibus primus arma incolis metuenda poni, sibiq; à Lusitanis consignari postulat: ponuntur unà reclamante Eleo*norâ, simulq; melioris fortunæ spes omnis deponitur, Rex simulatâ humanitate Sosam excipit, ut suorum prædæ paret inermem. Repentè enim invadi jubet, spoliari, expelli. Neq; hic tragœdiæ finis. E barbarie ejectus, humanitatem sperare tantum potuit, non assequi: nam ab alia Æthiopum manu occupatur, internis raptatur, vestibus etiam spoliatur. Ereptis omnibus adhuc supererant vivæ mortis umbræ, cum Sosa conjux & liberi, quorum vitam ut sustineret infelix pater, sylvestres ab arboribus epulas mendicaturus in sylvam abit: sed ubi tenuem vitæ medelam reperit, exspirarunt, paris sortis hærede relicto parente. Hunc habent magna exitum.*

Vide Joan. Pet. Maf. hist. Indi. l. 16.

ACTUS

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Sosa Dionis Victor.

Sosa. Marchesius. Calderia.

Sosa.

Jam nocte Martis exule augustam Tago
Auròra Divæ pacis aspirat diem;
Et qui coronâ barbarus vallum propè
Urbis premebat ferreâ, in fugam breves
Accinctus alis fulminis rupit moras.
Lætare felix Martis Heroi parens
Ibera tellus, tuque poplitibus minor,
Cui Lusitana verticem acclinat Dea,
Lætare Iberæ gentis augustum decus
Princeps Joannes. Vicimus! qualis grege
Parvo superbam siderum noctem premit
Auriga lucis Phosphorus, quando suo
Redivivus auro comptior diem præit.
Sol es Joannes: Phosphorus tuus Sosa est.
Sol es Joannes; cujus à flammis meus
Traxit calorem mucro, & ignitam Duces
Animam biberunt; cujus à radiis fibræ
Accensæ Iberi Martis in fugam levem
Vertere timidos Gangis extremi accolas.
Sol es Joannes, cujus ad lucem stupet
Jam tritum Oaxis nomen, & Erythra, & Tigris.

 Tuos

Tuos triumphos si quis Oceano redux
Præire potuit Phosphorus, potest Sosa,
Post atra Gangis agmina, & Tigris pares
Noctis tenebris Marte concisos globos.
Quod si relicto Gange sidereum caput
Effert ab ortu Matris Idaliæ comes,
A Gange Victor efferat jubar Sosa.
Titan Iberas lustrat auspiciis plagas,
Quid hic moramur? proximum suo decet
Phœbo micare Phosphorum. Si vos pari
Face cremat ardor, patriæ optatos lares,
Et Lusitani regna repetamus soli.
Marth. Desiderantis vota si patriæ aspicis,
Et Lusitanæ fervidas gentis preces;
Dudum rediisse decuit. Erythreo diem
Quoties recentem protulit Titan vado,
Toties amica pacis, & Charitum soror
Patria morantem precibus ardebat Sosam,
Sosam videre. Gloriæ si te magis
Coquit libido, gloriæ in sinu sedes;
Toto ille notus orbe, par superis Sosa,
Indique terror; &, quod ad censum tui
Venit triumphi, barbari domitor soli.
Cald. Quin Amphitrite si quid augustum tulit,
Flavoque genuit alveo, exhaustum tuas
Flagellat arcas; fertilis glebæ solum,
Cilicumque messes; adde in opprobrium Mydæ
Geminum corusca Nerei præda diem.
Dione tuta, Martio expulso metu,
Partis trophæis, barbaris quidquam plagis
Sosam tenebit? gloriæ exhaustum satis,

Sa-

Satis triumphi, divitis glebæ satis.
Uxor paternos sæpè suspirat lares,
Geminaque proles sæpè; ne dignum polis
Nomen Dione lateat, ancillas freti
Famulantis undas patriæ ad sinus lege.
Sosa. O Patria! dulce nomen! affectum rapis.
Submitte faciles Æole in votum choros
Etesiarum. Patria! jam totas tenet
Patria medullas. Ibimus. *Mar.* Quo nos vocas?
Sosa. Calderia patriæ vela pandemus spei?
Cald. Graves trophæis, patriæ optati, rubro
Eviscerati divites spolio freti.
Sosa. Ibimus: Hydaspis auream prolem Tigris,
Indique sobolem gemmeam, & totam libet
In Lusitanas vehere Gangetin plagas.
Zephyris adulat aura, stat miti mare
Crispatum ab ira: ventus obsequio venit.
At dum Vasæus instruit ratem, dies
Lætis agatur iste festivus jocis.

SCENA SECUNDA.

Lusitanæ Iuventutis ludi

Marchesius. Calderia. Vasæus.

Marchesius.

Siluêre fluctus Martis, & campo vaga
Desævientis pressa tempestas Deæ
Sereniore pace tranquillat metus.
Cald. Sors nulla longa est, mitior ferit jocos
Zephyrus eodem, quo Notus sævit mari.
Brevis hora lætis tristia immutat: malum

Nullum perennat. nemo desperet suis
Meliora rebus, quando dejectum solo
Fortuna pressit: ille qui trepidus diu
Rati pavebat, dum supinatis mare
Iret procellis horridum, optatum sua
Tenuisse tandem vela Portunum videt.
Vas. Qui comminante grandinem campis polo
Gravidis aristis funera timebat, die
Reduce tumentes vidit auratâ comâ
Nutare spicas, Nemo, dum furvæ polum
Rapuêre nubes, astra desperet; potest
Redire pulsâ nocte meliori comam
Implexus auro Phœbus. Humanos Deum
Audire gemitus sæpè delectat, novo
Risu beandos Ante fatales Dio
Sine Sole luces traxit, & metuens feri
Lupos Tyranni sparsit exleges comas;
Nunc influentem copiæ cornu bibit
Beatitatem. *March.* Nos prius luctum pari
Comitata luctu turba, communes quoque
Plausus ciamus. Dulcius ridet, cui
Gemitus amaro fonte madefecit labrum.
Moderata durant gaudia. Est lusum satis
Parcè fruendum sorte felici; nocet
Risisse nimium. Lachrymas risus parit.
Cald Disterminantur limite haud magno dolor
Magnus, voluptas magna. *Vas.* Jam lusum satis.
Instructa navis, vela ludibrium data
Ventis, & ira facilis æquorei Jovis,
Amorque patriæ, & Sosæ Imperium vocat.

SCE-

SCENA TERTIA.

Felix Navigatio.

Sosa. Eleonora. Filii. Marchesius. Calderia. Vasaus

Sosa. Dionis ora, nec semel capite meo
Defensa tecta, barbaræ gentis jugo
Erepta valla, scena virtutis meæ,
Et Lusitanæ gloriæ augustum Dio
Vale theatrum. *Eleon.* Posuit ad votum mare
Ferventis iræ turbinem, molli jacet
Somno quietum pelagus, & tergus levi
Inambulatur Aeolo: suis tamen
Ventis tumescit animus, agitatus suæ
Amore patriæ. *Fil.* Non sumus populo sati,
Quem vel noverca genuit extremo sinu
Natura terræ, lacte vel pavit lea,
Aluitque Tigris: non sumus populo sati,
Quem vel colore noctis afflavit stygis
Atror, vel umbris animus innatus pari
Nigrore fontem tinxit, & tinxit genas.
Gens bruta nigrâ fronte simulacrum nigri
Ostendit animi. *Sosa.* Patriæ arrident lares
Præ ditis oris Indiæ? *F.l.* Et cursu natat
Celerante fluvius, donec undosæ maris
Se reddat ipse patriæ. totas vorat
Amor medullas, patriam, patriam volo.
March. Favete molles flebilis Jovis chori.
Cal. Jam dum Cocini tecta decrescunt, Amor
Accrescit animo; dum Indiæ littus fugit,
Propior Iberus obviat. *Vasaus.* Jam se Bonæ

Spei marita ſideri oſtentant juga.
Mar. Spes bona ſub illo montis exſpectat jugo.
Soſa. Exſuſcitati domitor Undarum patris
Vaſæe, nullus horror in mentem cadit,
Dum fervet æſtus Nerei? *Vaſæus.* In Bonæ ſpei
Verſamur ora. *Eleo.* In Bonæ ſpei quoque
Orâ periclitamur. *Vaſæus.* Ubi ſpes eſt bona,
Quæ fata Princeps metuis?
Eleo. Ubi ſpes eſt bona,
Cauſa metuendi plurima eſt. *Vaſ.* Faciles ratis
Citat natatus ad Bonæ littus ſpei.

CELEVSMA.

Chorus. Dio recedit, culmina
Bonæ ſpei videmus.
Echo. Videmus. *Chorus.* Ohe culmina
Bonæ ſpei videtis?
Echo. Videtis. *Chorus.* Ite flabiles
Animæ, volate venti;
Recedit infelicitas.
Echo. Felicitas. *Chorus.* Recedit
Echo. Cedit. *Chorus.* Sono quæ vox ferit.
Incerta? *Echo.* Certa. *Cho.* Certa,
Spes certa mecum navigat,
Nec tenſa vela fallit.
Echo. Fallit. *Chorus.* Volate Eteſiæ.
In patriam redimus.

SCE-

SCENA QUARTA.

Naufragium.

Sosa, Calderia, Filii, Marchesius, Vasaus.

Sosa. O Morte vita gravior! ærumnæ parens,
Vortex malorum. *Fil.* Mergimur pater! ò Pater!

Sosa. Utinam furentis nuper ad belli minas
(Vetuistis astra) sanguine explessem meo
Sitientis arma barbari. *Mar.* O quisquis Deus
Summos rotati cardines poli regis,
Et rerum habenas temperas, iræ potens
Sepone fulmen. *Calder.* Lentus irasci Deus
Conde ô rubentem dexterâ. *Vas.* In mortê vocas
Æterne pelagi Rector; hanc animam super
Oro reserva. *Sosa.* Chara progenies, Patris
Nati levamen! *Fil.* O pater! natum manu
Juva paterna! *Sosa.* Nate spes amplæ domus;
Sosiæ pyropus gentis! heu luctus patris!
Fil. Tuum procellis exime ô Natum pater!
Sosa. O astra, meruit, fateor, hoc meruit caput
Torti volantem fulminis flammam suâ
Satiare morte; quamlibet tamen Sosa
Matura subeat fata, non subit Pater.
Parcite parenti. Testor has cœli faces,
Non fata trepidus fugio: sed natos amo.

SCENA QUINTA.

Respirant è Naufragio.

Persona ut supra.

Vas. Indulsit undis Numen elatum caput

 Infer-

Inferre arenæ ; mœsta sed comitum manus
Adhuc procellis agens ? an mersum caput
Prædam dedisti Nereo ? an littus tenes
Viva umbra mortis? *Fil.maj.* O pater ! *Fil min.*
Mater. *Maj.* Pater.
Eleon. O nate ! miseram qualis ad matrem redis?
Sosa. Quo me Noverca fortium immitis virûm
Fortuna redigis ? fumus. hoc superest mei,
Post evolutam Martio nimbo Dium,
Post barbarorum morte tumulatas minas,
Post gloriosum Martis edomiti decus
Restamus ossa gloriæ, & famæ cinis.
O quisquis alto timidus undantis sali
Dedisse pinum, forte contentus tuâ
Auras ferentes stringis, & remo legis
Propiore terras ; vela ne spei explica,
Fragilemque in altum provehi ratem time:
Quæ sorte turgent lina, lacerantur quoque.
Sæpius adulans Zephyrus Aquilones tulit.
Felicitati quisquis adhibuit fidem,
Dedit & dolori. Magna prosperitas trahit
Magnum dolorem. Solis occasus novas
Parit tenebras : faustitas moriens graves
Luctus adornat : occidens longam dies
Protendit umbram. longus abeuntem dolor
Sequitur voluptam. Sortis humanæ damus
Exempla terris, questibus nati Duces.
O quem beavit Indus, aut famulâ Tagus
Natans procellâ, cujus in limen fluit
Flammis Achates, cujus in laquear abit,
Vel nata Oronte gemma, vel flavus Cilix,

Quæ-

Quæcunque possidebis, ut custos habe.
Fortuna quod donaverit, non est tuum.
Fuimus Iberi, fuimus! hoc quod est super,
Vix umbra nostri est. Scilicet potens Sosa
Invisus hospes limen alienum expetit.
Cald. Si rapta tantum mente volvamus, potest
Tetigisse corda luctus: at si quæ rapi
Potuere pendas, magna naufragio seges
Crescit voluptæ; biberit undanti sinu
Captiva Gangis spolia, & Indorum vada
Avida Amphitrite: biberit iratum mare
Pretiosa fœnora amnium, immensas opes:
Illa tamen ira Nerei mitis fuit.
Tibi pepercit, conjugi, natis, mihi.
Potuit marito conjugem, natos Patri,
Ducique socios rapere; donavit. Gemis
Externa rapta, lege reddendi data?
Superesse gaude conjugem, natos, Sosam.
Sosa. Nimis heu! amaram gaudii venam ingeris:
Talem videre conjugem, & natos, pater
Timere poteram! *Eleo.* Nempe quo magis levat
Fortuna, lapsum metue graviorem. fero
Cervix Leoni major in vulnus placet.
Marita turris nubibus pluvio caput
Vapulat ab Austro; fulmen Æmonias quatit
Rupes, minora innoxium transit juga.
Sors in potentes robur exercet suum.
Sosa. Quid est, quod illa rapere cum volet, nequit?
Initia læta claudit atroci exitu.
Peracta jam tragœdia est. Ducis Sosa
Exue cothurnum; pone personam: jubet

Redire fors in ordinem. Moras trahis?
Jubet: obſequendum eſt, fata nolentes trahunt.
Ducunt ſequentes pone perſonam Soſa,
Exi theatro nudus, inviſus, miſer.
March. Quod non dedit fortuna, non rapit, ſua
Repetit; in animos jure, & imperio caret.
Excidere quidquid potuit, in cenſu tuo
Male numerabis. Iu fimo cubant gradu
Felicitates, creditrix ſi quas alit
Fortuna. Summus ſortis eſt gradus, nihil
Debere ſorti. Mutuum fugit, ſuo
Quisquis beatus. Poſt mundantis ſali
Exhauſta damna, poſtque demerſas opes,
Si animus ſuperſtes integer fluctu enatet,
Nil perdidiſti. Rebus alienis cares?
Tuis beatus. *March.* Adde; ſi ſpes eſt ſuper,
Nil perdidiſti, contumax nondum comes
Spes nos reliquit, gaudii aurora emicat,
Et fauſtitatis Lucifer, dum ſpes micat.
Soſa. Sperare rebus poſſit ereptis Soſa?
March. Sperare ſolum rebus ereptis poteſt.
Soſa. Spes eſt inanis nulla quam fulcit manus.
Mar Spes vera calcat arduum, *So.* Sed qua poteſt.
Mar Nullus animoſæ impervius callis ſpei eſt.
So. Stanti. *M.* Et jacenti. *S.* An arduũ pectus jacens
Superare tentet? *March.* Si cadat ſpes, eſt ſpei
Spes nova ſuperſtes. *So.* Parte quà miſero Soſæ
Spes ulla nictat, *Eleo.* Parte quà ſperas minus.
Soſa Doce, ô Vaſæe, ſi qua ſpes miſeros alit,
Quà parte fulſit? *Vaſ.* parte ſpes omni micat,
Quæ ſe Tonante fundat. Abjectus vigor

Reſu-

Resumat animos : fata nos tuto locant:
Fortuna vires ipsa consumpsit suas
Tantum nocendo. post Erythræi maris
Spolia voraci mersa Neptuni sinu,
Qui te juberet esse securum, Deus
Extentus almo brachia, & rigidæ trabis
Mensura tristis, restat in messem spei.
Sosa. O qui profuso sanguine humanum genus
Tibi vindicasti Christe, qui pari geris
Paterna sceptra dexterâ, Sosam aspice,
Sosam rotantis vile ludibrium Deæ,
Sosam sequentis fabulam ætatis ; Sosam
Tot haurientem fata, quot video super
Vitas meorum. Perge quo callem nemus
Altum supinat : Spes bona ostendit viam.
Qui nil potest sperare, desperet nihil.

CHORUS.

Fortunæ Protasis.

Fortuna ministrante Avaritiâ, & Ambitione personas agendæ Tragœdiæ aptat.

Fortuna. Genius Sosa. Ambitio. Avaritia. Honor. Fama. Triumphus.

Chori Pars prima.

Fortu. Ambitio! Avaritia! & Honor!
Fama, & Triumphe adeste.
Patent theatra : ludite :
Sit meta Sosa ludi.
Huic laureas, huic purpuram,
Huic Martis arma ferte.

En laureas ! en purpuram !
En Martis arma ! ferte.

Secunda pars saltu peragitur, & investitur Genius.

Chori Pars tertia.

Devestitur.

Genius. Io beatè ! *Fort.* Hæc faustitas
Est umbra vanitatis.
Genius. Frons vincta lauro. *Fort.* Lugubri
Mutabitur cupresso.
Genius. Armata dextra ! *Fort.* Funeris
Datura dextra vulnus.
Genius: Vestimur ostro ! *Fort.* Purpura
Mutabitur lacerna.
Genius. Orbem rotamus ! *Fort.* Orbibus
Magis rotandus ipse.
Genius. Hic vita ! *Fort.* Mors intus latet.
Genius. Hic gloria ! *Fort.* Et Chelydri:
Mutabo scenam ; hæc faustitas
Catastrophen parabit.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Sosa à Rege Caphrum excipitur.

Rex Caphrum. Aulicus. Sosa cum suis.

Rex. AIn', pyropum gentis Hesperiæ Sosam,
Et Lusitani generis immensum decus
Pelago rediisse naufragum? *Aul.* Eversæ rotæ

Tri-

Triste documentum. *Rex* Liceat affatu frui.
Sic illa fallax oritur, & cadit Dea.
Si Solis ortum sequitur oriendo, suæ
Nece anteibit solis extincti necem,
Quem nasciturus præviâ aurorâ dies
A vere jussit, fronte tangentem polos,
Moriturus idem fronte tangentem solum
Jussit valere. Manè qui compto diem
Ferebat auro Phœbo exactâ orbitâ
Tristem caducas mersit in noctem comas.
I, fide magnis, fide crispatis freti
Jocantis undis Zephyrus arridet? Noti
Sequetur ira. Maria composuit sopor?
Furor excitabit. Falleris fortis levis,
Venator auræ. Lenta cum venit, gradium
Animata pennis fulminis quando fugit.
Sed en severæ fortis exemplum Sosa.
Sosa Illustre Caphrum columen, & domitor soli,
Salique domitor, una reparandis via
Relicta damnis, pedibus affusum Sosam,
Comitesque clemens, conjugem, & natos vide.
Rex Assurge; & animum corpori arrecto parem,
Paremque frontem sume; sed juvat tamen
Audire casus. *Sosa*. Quæ dolor tegi cupit,
Referre mandas. pareo jubenti. dolor
Sine me volentem regiæ voci obsequi.
Rebus superbus prosperis, auro satur,
Saturque gemmis, Marte servatâ Dio,
A Gange Victor Hesperum rursus Tagum
Visere redibam: Socia adhærebat Sosæ
Conjux, & altæ liberi columen domus,

Sp.

Sociaque turba : jamque cedentum India
Fugiebat oculos, lenis impulsu rates
Ferebat aura : credita est auræ ratis,
Cum fortiore tenderet flatu sinus,
Stitura arenæ. Jamque lucebat Bonæ
Spei ora, spesque mente pariebat novas.
Sed ora terminalis hæc spei fuit.
Cum lassa Titan colla Pyroëntis jugo
Solvere pararet, seque præcipitem dies
Ageret in undas, parva sordenti globo
Nubes serenas inquinat Phœbi comas.
Violenta nox insequitur, & trepidum rapit
Nubis volumen æthera. Ubi cœlum perit,
Et Luna rapta, & conditæ astrorum faces,
Agitata ventis unda venturis timet,
Tumetque pontus : irruunt una exciti
Maris Tyranni : turbo convolvit fretum,
Miscentur undæ, non capit sese mare:
Ventis repugnat æstus, ac æstum retro
Ventus repellit ; excidit remo manus,
Et vela transtris : omnis officio stupet
Typhis relicto, postque supremo datas
Preces timori, Nereo irato grave
Auri tributum pendimus : nullum fuit
Pretium pyropo, Jaspidi nullus valor.
Quæque æstimabam, ut sperneret, fecit timor.
Suis carina nuda thesauris iter
Per arva Nerei molle sperabat fore:
Sed fortis ira non premit, nisi opprimat.
Utrumque fluctu navis alterno latus
Diverberata solvitur, tabulæ crepant,

Agunt

Aguntque rimas, nacta per rimas viam
Succedit unda: donec avulsas mare
Tabulas voravit. quanta! dicentem increpat
Dolor renascens. *Rex* Prome: qui clades suas
Referre potuit, citius auxilium tulit.
Sosa. Sinite dolores! quanta lamentis cohors
Insonuit omnis! triste documentum! mea
Volui procellis pignora, hauriri mari
Vidi sodales: pars tamen Lybicæ data
Mecum est arenæ. Fortè majori malo
Servata mecum; gravibus ærumnis modum
Nisi tua dextra statuat: O si quæ tuas
Pietas medullas tangit, & miseri movent
Casus parentis, tende subsidio manus.
Ms Auxilia propera: qui tuam implorat manum,
Dux erat; honoris magna materies tui.
Rex. Non inserena Plejas, ubi forsan diem
Furata mundo triste nimboso dedit
Polo tributum, semper augustam teget
Solis Juventam noctis alternat vices
Dies renascens; sortis inimicæ rotam
Quies coërcet. Illa cum volet, fugit,
Sed & redibit; turbine alternat gradus:
Ut avolat, sic advolat. Veniet dies
Sereniore lucidus Phœbi comâ,
Qui rapta revehet. Mitte, quæ pectus vorant
Virile, curas. Nos mali expertes licet
Tua damna tangunt. nostra, dum suas dolor
Infringit iras, tecta, Patronos lares
Unà subite. *Eleono,* Quantùs accedis Deo
O gemma Regum! vile qui caput levat,
Deum

Deum æmulatur; cæterà hominibus pares
Reges, Deorum Numen accedunt propè,
Si quos sinistri deprimunt casus, levent.
F.l. I. Miserere Rex! miserere Natorum pater!
Fil. II. Miserere Rex! miserere Natorum pater!
Rex. Utriusque votis annuo. Matri, Patri,
Natisque pronus consulam curâ pari.
Succede tecto, Regiæ fores patent.
Vos in propinquo solvite timores lare.

SCENA SECUNDA.

Barbarus condolet Sosæ.

Barb. Timete post trophæa quos rapax tulit
In alta ventus: gloriæ augustus dies
Ut affluit, sic effluit. Mitis venit
Fortuna parvis. fulmina impendent jugis,
Abylamque toto vertice extantem freto
Quamvis serenus, obviis tamen quatit
Nereus procellis. Ibat augusto comas
Radiatus igne nuper, humano Sosa
Altior honore; littore, & Eoo diem
Auri vehebat, sed priusquam cerneret
Votos Iberos, occidit mendax dies.
Sic ille patriis timidus in rotis puer
Solis vehendi cupidus in noctem cadit,
Dum lucet orbi: quique sub solis rotas
Gressum parabat Icarus, avitæ decus
Extinxit undis gloriæ. Nemo propè
Impunè flammas hausit: accendunt quoque
Lucere quas putaveras. Fulmen diem

Men-

Mentitur igne, quo jugis ſtragem vehit.
Fortuna vitrea eſt, frangitur quando micat.
Incide pennas, quiſquis ad ſolem volas
Inebriantis gloriæ, & lapſum time.
Non benè calentem raperis ad Phœbi rotam,
Quicunque fingis cereo pennas litu.
Phaëton lupatos excute, impendent graves
A ſole noctes: reprime ſolicito timens
Tua vela fune, quiſquis alludens mare
Eteſiarum gratiâ incautus ſecas.
Quamvis quieſcat unda, non deſunt Noti,
Fortuna ſi quem blandior riſu excipit,
Caperata perimit. Neminem immunem ſui
Sic eſſe juris patitur, ut quantum favet,
Tantum minari deſinat. Levat? time.
Vertigo per prærupta gradientem occupat.

SCENA TERTIA.

Soſæ ſuſpicio.

Soſa. Suſpecta ſemper barbari eſt Regis fides.
Credamnè? pendet animus arcanis vacans.
Serena frontis ſidera, & amicus color,
Patenſque lætos ſpondet eventus amor;
Sed cura pectus verſat, & dubius timor
Animum flagellat; Quid ſi adortus occupet
Incogitantem? quando non times, time.
Matura tunc pericula in cædes ruunt,
Cùm non timentur. Ira ſe arcano licet,
Dum tempus obſtat, pectoris ſinu tegat;
At tandem in ignes exilit. Mulcet manu

Hyæ-

Hyæna lævâ, dextrâ ut cædem inferat.
Non cernis odia? barbarus Rex est, cui
Nostram salutem credimus: certæ necis
Suspicio suboles; providus mihi malis
Animus futuris angitur. favet? favor
Larva est furoris. fronte subsessor latro
Mendace velat odia. cristatum caput
Chelydrus herbâ condit. aptantur doli
Temporibus. illud metue, quod metuis minus.
Emmanuel sua non solùm tibi
Agenda causa est es pater, Natos pater
In præparatum forte discrimen trahes,
Charamque conjux conjugem Potest Sosa
Cedere salutem barbaro Regi suam,
Nequit maritus, genitor incautus nequit.
Quærenda certa conjugi, & natis salus.

SCENA QUARTA.

Sosa de abitu consultat.

Sosa. Calderia. Marchesius. Vasius.

Sosa. Ades probate rebus in summis mei
Interpres animi, sortis extremæ comes
Calderia, mecum profuge crudeles soli
Nigrantis oras, barbari fraudes Ducis
I profuge mecum Marchesi: sævi dolos
Præverte Regis. *Cal.* Barbarum mitem vocas?
Sosa Mitem ferocem nuncupas?
Marchesius. Sed quâ probas
Ratione sævum? *Sosa* Fraudibus.
Marchesius. Quibus? *Sosa.* Soli,

Vul-

Vultuſque nigri. *Cald.* Sæpè ſub frontis nigræ
Colore clauſus pectoris candor latet,
Quem ſæpè panſæ Regio amplexu manus
Produnt. *Soſa* Latentes metuo in amplexu dolos.
Mar. Qui ſe in favores explicat, neſcit dolos.
So. Nunquam innocentes anguis amplexus dedit.
Viſaus, Raró patrandi ſceleris obductâ latent
Sub nube ſigna. lingua ſi fraudem premat,
Oculi loquaces, proditor frontis color,
Solicitus oris nutus, ambiguo tremens
Sermone lingua criminis notas dabunt.
Soſa. Notas tenemus, anguis amplexu necat;
Favore ficto barbarus. quando canit
Doloſa Siren, funus impendens time.
Ridere ſimulat dirus aliquando furor.
Notas tenemus. *Cald.* Regis amplexus tenes;
Et malè paterno cedere è ſinu petis?
Soſa. Suſpecta timeo verba, ſuſpectam fidem,
Quæ tela cudat, video; dum placido ſilet
Tyrannus ore. *Cald.* Tela quæ cuderet amor?
Soſa. Amor latenti tegumen obductus dolo.
Date vela rurſus Æolo, aut forti pede
Deſerta mundi ſpatia, naturæ ultimos
Calcate fines: omnis in fuga eſt ſalus.
Mar. Ergo benignum Æthiopis amplexum fugâ
Deſerere mens eſt? Regius num ſic tibi
Amor eſt probatus? Eja perſpectam fidem
Felix adora. *Cald.* Nam quid aggrederis miſer,
Ludendus, exſpes? Ecce per ſoli avia
Per clauſa phœbo nemora, & æſtivi canis
Aduſta flammis arva vix lentos benè

Greſ-



Greſſus trahemus: deinde quis tutum locus
Dabit receſſum? *Soſa*. Pellor & trahor: grave eſt
Obſtare, quando pellor & pariter nefas
Siſtere trahentem. Fraudium pellit metus,
Trahitque conjux conjugem, proles patrem.
Luctatur intus animus; & quanquam pudet,
Injuſſus arcem pectoris metus tenet.
Suſpicio fraudis fraudibus ſternit locum.
Vaſ Vitare dum vis, præda ne fias, cave.
Cald. Et quos receſſus mente deſignas tibi,
Tuiſque tutos? neſcius ſiſti furor
Omnem nocendi ſemitam ulturus teret.
Soſa. Tutius aperto conferes hoſti manus,
Quàm te latenti fidetis. Moram increpa
Amica turba, ſervit in fraudes mora,
Quæunque trahitur. *Ma*. Precibus infelix timor
Etſi repugnet; dabitur id tamen tuis
Dux magne juſſis. Ibo quò ſequi imperas,
Per utriusque ſortis alternas vices.
Soſa. O chara amici pectora, ſupremum meis
Damnis levamen! Sortis exceſſit vigor,
Sed ſpes remanſit: inſequens forſan dies,
Quod prior ademit ſortis adducet jubar.
Per obviantes ite fortunæ minas,
Caſuſque mecum, proſpera averſas genas
Dum ſors reflectat. *Cal*. Sequimur in vitã & necẽ.
Habitata ſolis luſtra penetramus feris,
Per mille rerum vortices, diſcrimina,
Caſuſque totidem, fata quo ducent tua.

SCE-

Scena Quinta.

Valedictio, & discessus Sosæ.

Rex Caphrum. Sosa cum suis.

Rex. Properatis abitum, gentis Hesperiæ decus?
Plus dandum amicis fuerat: arbitrio meo
Si vestra starent acta, Conjux, & Pater,
Natique mecum gemmeos agerent dies.
Rogando flecti posse sperabam, preces
Dedimus in auras. Ultimum precor Sosa,
Agenda lentus statue; qua tutum est, gradus
In parte fige. hic otium certum bibe.
Qua parte quæris esse securus, magis
Hac metue parte. consili è sede aspice
Animo occupatas sortis humanæ vices.
Sos. Rex magne Caphrum, quantos extorres agat
Amor videndæ Patriæ, & mentem gravet,
Didici exulando. quantos in Iberos lares
Festinat animus! quantus approperat frui
Desiderato littoris Iberi sinu!
Dulce est amanti Patria *Rex.* Si meruit favor,
Si merita nostra, casus in vestrum insolens
Ne se revolvat verticem, nostro lare
Vivite beatos otio tuto dies!
Sosa Favore Princeps imparem Sosam gravas.
Utinam daretur ultimam partem tuis
Referre meritis posse! sed cum deficit
Animum facultas, esse virtuti satis
Solet voluntas. *Rex.* Nimius in laudis meæ
Serie laboras: facere quod velim benè,

For-

Fortuna nostra est; vestra, reddendi genus
Non cogitare. *Sosa.* Esse non gratum jubes,
Cogisque. *Rex.* Quisquis muneri vicem parat,
Dum recipit; est ingratus. *Sosa.* Ingratum voco,
Referre quisquis negligit. *Rex* Quisquis parat,
Æquare posse credit. Ut caperes dedi,
Non ut referres. Dona cupiebam dare,
Non fœnerari. mente qui facili capit,
Capiendo reddit: nimia referendi fibras
Cui cura tangit, arguit dantem. *Sosa.* Satis
Nunquam futurus gratus est, qui non statim
Grates rependit. *Rex.* Quisquis accelerat nimis
Referre, grati nomen haud meruit viri:
Sed debitoris. *Sosa.* Vincor ô Princeps tuo
Favore pressus: nulla quod virtus mihi
Meruisse potuit, munus agnosco. nisi
Superæ benignum Charites effundant sinum,
Ut dona adæquent Regis, ingratum Sosam,
Natosque coges vivere, ingratos mori.
Nunc & favorum veniat in cumulum precor,
Ut Lusitanum vivus attingam solum.
Rex. Incerta sequeris. Si tamen id animo sedet,
I fortis anime, perque felices jocos
Indormientis Nerei, per & soli
Famulantis arva faustus Hesperij subi
Littoris arenam. *Sosa.* Filij vestrum patrem
Noscite: levamen unicum in tantis malis
Conjux adora. *Eleon* Quamdiu Princeps meos
Sanguis per artus bulliet, quamdiu pijs
Vescetur auris animus, in grates tuas
Linguam resolvet, *Fil. 1.* Alterum patrem colet
In

In te superstes pignus afflicti Sosæ.
Fil 2. Morti dabamur victima, at per te salus
Reparata miseris. *Rex.* Ite, quò cœlum vocat
Meliore digni sorte. *Fil.* 1. Tu Pylios dies
Excede vitâ. *Fil.* 2. Vive. *Fil* 1. Postremos tua
Pietas in orbes exeat. *Fil.* 2 Nomen tuum
Esse pietatis nomen addiscat Tagus.
Sosa. Verum est, latente fraudiū immunem dolo
Se comprobavit. Magna majestas viro,
Sed major intus animus infractam satis
Fidem probavit. Jacta sed tandem alea
Citat morantes. Ite progenies mea,
Matris levamen, dulce solamen Patris.

C H O R V S.

Fortunæ Epitasis.

Genius Sosæ Fortunam fugit.
Allicitur ab Avaritia , & capitur.

Pars Prima.

Genius Sosæ. Fortuna. Avaritia. Timor.

Timor. Fuge, fuge : cladi destinat
Fortuna te sinistra.
Genius Quò fugio ? quæ me protegent
Sat conditum tenebræ?
Fort. & Avar. Frustra latebris abderis,
Fortuna vincit Argum.
Videris : exi : *Genius.* Tutius
Sepelite me tenebræ.
Fortun. Videris : exi. Segnibus
Moras moris maritas?

Avaritia. Morare ? fraudes instruam,
En aureas catenas.
Genius. Felicitatis lux micat.
Timor. Est umbra faustitatis.
Genius. Beatitas ! *Timor.* Cave ! cave !
Genius. Felicitas. *Timor* Caveto.
Fort. & Avar. Habet ! tenetur. aureis
Sunt vincula in catenis.

Pars Secunda. Genius solus *Captus gemit.*

Heu me! tenemur. aureis
Sunt vincula in catenis.
Non est corusco torquium
Beatitas in auro.
Piscatus Indi vortices,
Gangetidosque vitrum,
Damnum procellis extuli.
Mersi beatitatem.
Frustra latentis pallidus
Fossor beatitatis,
Profunda terræ viscera
Ligone pervagaris.
Non montibus Gangeticis
Felicitas sepulta est,
Sonante nullâ volvitur
Felicitas procellâ,
Si quod per undas volvitur
Aurum, fugit per undas :
Frustra sequêre. Montibus
Si quod latet sepultum,

Est

Est mortuum: si hoc erues,
Animi erues Mephytim.
Rebus colorem defluum
Mortale tolle vulgus.
Torques honoris, in animi
Sors vinculum recudit.

Pars Tertia.

Captivus abripitur.

Timor. Fuge, Fuge! *Genius.* Teneor.
Timor. Fuge, fuge!
Genius. Fugam vetant catenæ.
Fort. & Avar Procede sortis victima.
Genius. Quò me cruenta raptas?
Fort. & Avar. Ad victimantem acinacem,
Secespitam & secures.
Genius. Heu! quem cruenta pallidi
Libido tangit auri.
Hoc disce mecum: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueos.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Ad oram S. Spiritûs deveniunt Lusitani.

Sosa. Eleonora. Filij. Marchesius. Vasaus.

Sosa. POst maria tot lustrata, quæ toto procul
Ejecta mundo juvenis aurato dies
Prospectat ortu, sortis humanæ vices

Acti per omnes venimus, quâ se levat
Suave nomen Spiritûs Sancti plaga.
Eleon. O suavitati nominis utinam pares
Alat ipsa mores terra! *Fil* 1. Mi pater quies
Quâ sede dabitur? debitum officium pedes
Jam destituto viribus lassi negant.
Fil. 2. Hîc ægra pono membra mi Pater; negat
Infirmus animam spiritus. *Sosa.* Superi! malum
Et hoc tueri cogor? Infelix Pater!
Quod nil meis prodesse, nec tristes queam
Levare casus! O mihi luce hâc magis
Dilecta proles; nostra quemcunque exitum
Habitura sors est, pectore invicto pati
Assuesce: sera quamlibet, dabitur tamen
Sedes quieti. *Fil.* 1. Cur malè relicti Caphres,
Pijque blandæ Regis elusæ preces?
Quæ nunc latebræ, quis locus miseros teget?
Eleon. Mi nate, tenuis restat in tectum via,
Comitare patrem. *Sosa.* Nate, quem tanta est mihi
Genuisse, tristis sarcina in humeros subi.
O fida socij pectora, & mecum malis
Exercitata nobilis Tagi indoles,
Si quem parentis tangit infausti dolor;
Auxilia nato præstet. *Eleo.* Ah! humeros dolor
Suppone natis, pondus acceptum, sinus
Accede fili. *March.* Mitte, quam nati tui
Solicita conjux Principis curam geris.
Eleon. Facilis mei jactura.
Sosa. Macte animo! meam
Agnosco nunc te conjugem.
March. Nate, ô meos

Humeros subito. *Sosa.* Ista spolia Orientis fero,
Isthæc secundo Marte defensâ Dio
Spolia supersunt. *Eleo.* Magne Regnator poli
Miserere tandem, vultu & afflictam vide
Gentem sereno! parce, per si quid tibi
In Lusitana gente gratum unquam fuit!
Sosa. I præ Vasæe, præsidi si quid super
Cœlum reservat, fundet auxilio crucis.
Vasaus. O crux salutis anchora,
Spes una naufragorum.
Tot verberati fluctibus
Fatiscimus sub ictu,
Per tot sali pericula
Per tot soli furores
Raptamur, agimur, volvimur,
Simulacra viva mortis.
O crux salutis anchora
Spes una naufragorum,
Ni sustines, spes concidit,
Demergitur carina.

SCENA SECUNDA

Sosa cum suis invaditur à Manipulo Barbarorum.

Filius 1. Quæ monstra genitor?
Sosa. Nate, quid monstri vides?
F.l 2. Fuge mater, heu fuge.
Eleon. Nate, quas larvas times?
Fil. 2. Suprema generi fulsit hæc nostro dies.
Fil. 1. Pater, ad tyrannos venimus.

Sosa. Nati, heu! patris
Miseranda cura? quot mihi eripiunt neces
Pectus paternum? quem diem miser horrui,
Adest profectò rebus extremus meis
Quò terga vertam? nostra jam metus mala
Vicère cunctos. Video perniciem mihi,
Et imminentem conjugi, ac natis necem.
Mœsti parentis unicus, nati, timor,
Et casta thalami socia, securas specus
Hic in latebras oscitat. Dignum viro
Vos bellicoso capite consilium, & manum.
Placetnè ferro obstare venienti? *Omnes.* Placet.
Sosa. Et barbarorum pellere furorem?
Omnes. Placet.
Mar. Sunt paria nobis arma, sunt pares manus.
Cald. Una est periclis reliqua superandis via,
Repellere armis arma, vires viribus,
Manusque manibus *Bar* 1. Paria pectoribus viri.
Aptate nervis spicula. *Sosa.* Hic si unquam viri.
Barbar. Ibera pestis, dedecus mundi ultimum,
Imbelle Lusitaniæ vulgus; tuo
Nudum propino vertici telum. *Sosa* Tuum
Nostro hauriendum sanguinem ferro dico.
Barb. 1. O sol diurne, quæque vigilantes choros
Triformis Hecate argenteo vultu præis,
Hæc præteritis scelera? Tartessium tibi
Rursum propino sanguinem. *Sosa.* Rursum tuum
Lupis propino. *Bar.* 1 Ruite, properate impetum.
Eleo. Miseros ab alto Rector ò Superũ aspice.
Sosa. Hac parte, & illâ sustine infestam globo
Denso cohortem. *Ba.* 1. Totus in pugnam evola.

Eleo. Spes una rebus Virgo desertis veni!
Fil. 1 Quamvis per ossa serpat exsanguis metus,
Diuturniores nescit in moras tamen
Amor latere: mente natorum est nefas
Excidere patres: ignis occulti calor,
Etiam timore pectus oppressum excitat.
Comitare fratrem frater, & natos parens.
O parce: *Fil.* 2. Parce.
Eleon. Parce, per tui precor
Regis salutem: supplicem mitis rogo
Ne sperne Matrem. Si sitis ferri, nisi
Sisti potest cruore, fœminea cadet
Cervix in ictum mollior. *Bar.* 1. Sistunt preces,
Et arma nondum visa percellunt fibras.
Sosa. Quid agimus? avocandus est armis puer
Ne quid tenellum peccet in amorem furor.
Sosa. O Nate! *Fil.* 2. Genitor.
Sosa. Socia genialis thori.
Fil. 1. Ignosce Genitori.
Sosa. O mei generis decus!
Bar. 1. Mittantur arma: vincimur. Vestra vigor
Infractus ille mentis, & vultûs color
Ferocientis tela refringit manûs.
Sosa. Mittantur arma, si prius dictis fidem
Juratis. *Barb.* 1 Irin, Numen inscessu premens,
Cœlumque testis. *Sosa.* Arma mittantur manu.
Barb. 1. Salvete tenera nobilis Tagi indoles.
Jubar illud oris, plenus illecebris amor
Nostra involavit arma. Magnanimæ notas
Spectate comites Indolis. Sed ne morâ
Dies trahatur, ultimâ gentem Tagi

Adesse ripâ, cujus in vultu decor
Simul & venustas spiret, ad Regem refer.
Sosa. Si mihi disertus ore facundo eloqui
Manaret amnis, impares meritis tuis
Grates referrem. Si tamen vestras lubet,
Audite grates. debiti cantus sonent.

RECREATIO.

Gens nigra vultu,
Amica cultu,
Gens grata Lusitaniæ.
Miseros amatis,
Pressos levatis,
Gens grata Lusitaniæ.
Nox est fugata,
Dies renata
Vestri favoris gratiâ.
Sed nox doloris,
Dies amoris,
Vestri favoris gratiâ.

Barb. 1. Ut mollis auri cantuum illusit sonus!
Sed illa volucris æmula canentis fides
Arridet usque. *Sosa.* Turbine implexo date
Ridere tota plectra. *Barb.* 1. Jungatis choros.
(*Musicâ barbaros recreant.*)
Bar. 1. Satis est propinquo nemoris umbrosi diem
Lenite senio; regios nutus ferens
Dum redeat urbe nuncius. *Sosa.* Regis favor
A nemoris umbris, Regij in amoris diem
Nos evocabit. *Barb.* 1. Pronus afflictos levat.
Succede nemori: Sirius calor jubet.

Ac

At tu propinquâ civium interitum refer
Venire clade; si Lares salvos velit,
Deosque patrios, conjuges, natos, focos,
Metus propinquos urbis ingressu arceat.

SCENA TERTIA.

Regi Barbaro adventus Sosæ nunciatur.

Nuncius. *Rex.*

Nuncius. Hostile fines agmen Orientis metu
Premit propinquo. *Rex.* Nomen & patriam refer
Venientis iræ. *Nunc.* Novus extremo Sosa
Gange, ac Ibero, robore, & ferro gravis.
Fortique comitum latera succinctus manu.
Rex. Infestus ille tela in occasum rotat
Potentis urbis? *Nunc.* Pectore & manu micat
Animosa virtus: ira virtutem adjuvat,
In te suprema patriæ incumbit salus.
Rex. Quid otia nimis segnia furores trahunt?
Scelus anteverte, ne quiescentem occupet.
Ibo, & furori primus obtendam caput,
Armisque pectus. Siste. Non cautum Ducem
Inopina sæpè damna momento premunt.
Volvimur eodem, dexterâ adversus pari
Mars reprimendus. Tardius jacta gravius
Ferit sagitta. exerrat in præceps furor,
Si fræna laxat. Siste, meditemur dolos.
Excutere telis arma si tentas, pari
Vim vi retundent. Si irruo, non obruo.
Et hinc sinistro fortis afflatu metus,
Et inde fertur: sive venientûm agmina

Propino telis, sive subeuntes larem
Oculo benigno specto, discrimen coquo.
Moriantur: ite, patriæ si quem salus
Amorque tangit. Ibimus læti in necem.
Dummodo cadentes hostium cadens globus
Suâ ruinâ condat: hic tumulus placet.
Sed ira fraudes induat. Magnum bonum est,
Simulata virtus. tecta jam pietas dolis
Arridet animo. fronte dum fictâ suas
Fraus mima partes sustinet; bullit nigro
Sub corde livor, ira, furiarum manus,
Et styx, & orcus omnis, & barathrum fremit.
Inventa fraus est; parta, jam parta ultio est.
Subire divo proximas cœlo domos;
Regis penates, artis annosæ lares
Quicunque poscit; urbis augustæ inclytas
Turres remoto Martis incessu colat;
Deponat arma; pacis in patriam venit:
Ulterius arma ferre lex gentis vetat.
Ubi ponet arma; pacis excipiam sinu,
Quem nempè Erynnis obsidet, & ultrix quatit
Megæra flagro. Tacitus interea dolus
Eventa rerum spectet, & sagax suas
Tumultuoso ne quid exerrem impetu
Disponat artes fraudium, & fraudem tegat.

Scena Quarta.

Sosa arma Barbaro Regi mittit.

Nuncius. Barbari. Sosa cum suis.

Nuncius. Hactenus eundi libera armatis fuit

Per

Per reſqua veniat; juſſi nunc Regis vetant
Ulterius arma ferre. Vel gradum refer,
Vel arma pone infeſta. *Soſa.* Vel gradum refer
Vel arma pone infeſta Luſiadum manus
Quid parva poſſit? *Nunc.* Ire ſi ulterius libet,
Patent amica cuncta; ſuſpectus tamen
Violens in armis civibus noſtris Soſa eſt.
Ma Parvâ cohorte mille terrentur? *Nu.* Novum
Nobis timendos fecit armorum genus.
Soſa. Anceps timore, vota quò dubium ferant,
Agor, ſpeique quidquid eſt ſuper, metu
Miſcetur: Arma Marcheſi, & Martis notas
Poſuiſſe ſuades? *Mar.* Arma nos fruſtra tegent,
Cald Nec protegenda viribus noſtra eſt ſalus.
Precibus agamus. *Eleon.* Arma depones Soſa?
Depone natos, conjugem, ſocios, Soſam;
Victima furori barbaræ gentis damur.
Vaſ. Si ſit cadendum, viribus minor cadet;
Nec arma proſunt. *Eleo.* Arma ſi metuunt ſat eſt;
Sperare tantum poſſumus quantum timent.
Arma precor, arma ſobolis auxilio tene.
Ma. Auxilia lenta quærimus. *Em. Fil.* Prolis pater,
Charæque matris vertitur in armis ſalus.
Arma, pater, arma Matris auxilio tene:
Eleon. Si te tuorum tangit affectus Soſa,
Gravemque pronis rebus in lapſum ſtudes
Tuere natos: arma quamdiu geris
Sperare donas; arma cum ponis, jubes
Spes exulare. *Em. Fil.* Genitor in manu tuâ
Noſtram ſalutem condimus. Quanquam patre
Jubente natos dedecet metus, tamen

Existit ultro corde labefacto pavor.
Barb. Age arma pone; non vacat vanis diem
Mactare verbis; rumpe suspectas moras:
Officia lenta regium in graves citant
Animum furores. *Sosa.* Tempori cedam. *Cal. vie*
Hæc una restat brevia per compendia
Salutem emendi. *Ma.* Cede *El.* Quã metuo ut tibi
Quidquam supremo tempore hic prosit labor.
Tenuisse cupies arma, quæ properas dare.
Ma. Triste ominari parce. Rex quidquid jubet,
Necessitatis jura præsentis quoque
Leonora poscunt. *El.* Nostra quam fragili salus
Commissa ligno est! majus extremo tumet
Metu periclum, bullit in fluctus mare,
Strident procellæ, mugit adverso Notus
Aquilone pulsus, nubit Oceano polus,
Et tu relicto fluctuas clavo? fretum
Emoliuntur Æoli insanus chorus;
Et robur addis Æolo? antennæ gemunt;
Ventosque vires sufficis? cedo malis.
Nil fœmina audet. *So.* Lachrymas tantæ preci
Darent vel hostes, cogimur tamen ultimæ
Necessitatis lege. *Barb. I.* Quid dubio moras
Sermone trahitis? tesqua regressis patent,
Domus ferarum: at arma si ponas, patent
Potentis urbis cardines. *Mar.* Mitis dedit
Exempla mentis barbarus nuper Caphræ
Monarcha gentis. *Ele.* Quo trahis conjux, eo.
Sosa. Deliberatum est. arma Gradivi notas,
Omnemque Martem pono: securum jubet
Amica Regis gratia, & gentis favor.

Mar.

Mar. Nil est timendum; pacis in patria sumus.
Cald. Accipite Martis arma, queis nuper Dio
Asserta paci, totque Lusiadum globi
Sceptro rebelles poplite didicerunt Tagum
Curvo veteri. *Sosa.* Regio imperio Sosa
Parere promptus arma depono. *Barb. I.* Pedes
Succinge pennis Æoli, moram increpa,
Oculisque primus regiis arma exhibe,
Nos lentiore rura permensi gradus
Gradus sequemur. *So.* Sequimur ad nutum, præi.

CHORVS.

Fortunæ Catastasis.

Pars prima.

Fortuna Genium Sosæ Miseriæ tradit. Hæc jubet eum molem Sisyphi rotare.

Fortuna. Miseria. Genius.

Fort. Miseria! Miseria! excipe
Sinu tuum clientem.
Genius. Eheu! *Miseria.* Theatrum vertitur
Sortis, movente nullo.
Fort. Miseria quid agis? Sisyphi
Jube rotare molem.
Mis. Gira laborem Sisyphi.
Genius. Succumbo ponderi impar
Faciles ab alto labimur.
Sed sublevamur ægré.
Quò, quò! M. & F. Revolve. G. Lubrica
Quàm sunt theatra sortis.
Revolve! Siste. vertitur.
Sors non habet quietem.

Pars secunda.

Genius moli obnixus docet Fortunam non quiescere.

Modicam labori lubrico
Concede sors quietem.
O nexa rebus Vanitas!
O vanitatis umbra!
O quisnam avari tormina
Exploret, & catastas?
Rotamur, agimur, volvimur
Ab otio ad labores.
Avara placidus atria
Somnus, quiesque vitant
Emptique tot doloribus
Subeunt novi dolores.
Quid damna prosunt noctium,
Aut quid labor diei?
Hæc pœna avaros corripit,
Semper sitire plura.
Curæ voraces exedunt,
Trudit dolor dolorem:
Unusque si reciditur,
Repullulat secundus:
Ut Hydra, vel Tytii jecur
Pereundo sæpè crescit:
Et cùm voratur, tum fami
Sese parat sequenti.
Hæc pœna avaros corripit,
Nunquam assequi quod optant.

Pars tertia.

Curis infestatur.

Fort. & Mis. Curæ voraces vultures!
Et pectorum catastæ!
Genius. Eheu! dolor doloribus
Succedit. *Mis.* His avari
Justè premuntur legibus:
Non assequi quod optant.
Omnes. Lex hæc avarum corripit;
Non assequi quod optat.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Sosa à Rege Barbaro simulata benevolentia excipitur.

Rex. Sosa cum suis.

Rex IAm capta sese retibus miscet fera,
Venabulumque spontè venantum induit,
Et ipse, & unà gentis invisæ comes
Plagis tenetur. Anime, quid frænos premis?
Simuletur ira, tempori aptari decet.
Quamvis timentis vix sciat furor tegi,
Tamen tegatur. tutius sævit furor
Amore tectus: odia vindictæ locum
Professa perdunt. aspice ut multo gravis
Squalore vultus umbra vix hominis tegat.
Heroa gentis capita Lusiadæ, mari

Jacta-

Jactata turba, tabula collectæ ratis
Vos tandem arena sistit, & portu beat.
Subite portum pectoris; tuti meo
Pendete collo, placida quo sedet quies,
Quem sævientis ira non turbat Noti,
Nec Terriquassi Regis alternus furor.
Sosa. Unice cadentis lucis assertor, mei
Tutela capitis. *Rex.* Supplicem à genibus manũ
Aufer, meosque potius amplexus pete.
Et vos reliquiæ naufragæ magnæ domus
Parvi clientes, dulce solamen Patris,
Mœstæque Matris gaudium; Juvenes meo
Pendete collo. Laudis hinc nostræ seges
Crescet, dedisse naufrago sedem Sosæ.
Eleon. Rex paria superi pretia pro tantis tibi
Meritis rependant. *Sosa.* Gratiæ tuæ trahunt,
Sequimur trahentem.
Rex. Famula servorum manus
Tardas citatis demite obsequiis moras;
Ornetur altum columen, & turbæ capax
Immane tectum spatia diffusæ domus
Arcana retegat, cujus auratæ trabes
Sudare marmor onere peregrino docent.
O multa pelago, multa sitienti solo
Perpesse Princeps! Teneo bellacem manum,
Et Martialis capitis augustum jubar
Datum est videre! fulminis tortas tui
Nuper procellas trepidus, & capite minor
Dione metuit Æthyops: hinc te super
Cœrulea ponti regna, terrarum super
Spatia, curuli nube subvectum polo

Mi-

Miscere fama visa : nos tantum Ducem
Vidisse, multum ; plurimum tamen juvat
Opem tulisse. *Sosa.* Censui adscriptum tuæ
Laudis nepotum id sera posteritas canet,
Jacuisse nosmet ludicræ sortis pilam,
Per te stetisse rursus : & quisquis mea
De gente surget nobilis ab avo nepos,
Trahere à favore sanguinem tuo sciet.
Cal. Nos turba vilis, triste ludentis jocus
Soli, salique : cujus in tumulum Tethys
Laxavit ora sæpè, quam torvo Leo
Sepelire rictu nisus est, cui & Tigris
Ferocientis oris in rabie ultimum
Tumulum paravit, pacis in avitæ sinu
Tandem sedemus. *Rex.* Vecta puniceis volet
Lætitia bigis : obviam occursu cohors
Tenera salutem patrio ritu paret,
S. Rex magne grates, digne qui mundum regas.
Fil. uterque. Rex magne grates, digne qui mundum regas
Mar. Auguste Princeps, digne qui vastum rotes
Æternus orbem ; major optatis fuit
Gratia, verendam dexteram Regis semel
Tetigisse labris ; quando nunc aulæ jubes
Nobis patere cardines, tuæ simul
Arcana referas mentis. Intueor doli
Immune pectus, gratiis cultam domum,
Sedem favoris. *Rex.* Ite, jam fores patent,
Simul subite pectus, & Regis lares.
Tigridis ut iras innocens agnus subit.

SCENA

SCENA SECVNDA.

Rex suos per insidias disponit.

Rex. Res est sub ictu, venit in plagas fera.
Ades ense prompte miles, officio impiger,
Manuque firmus; certus odiorum ordinem
Dispone mecum. fronte simulatâ juvet
Texisse fraudes; pars in obsequium Duci
Impende curas, arma pars forti cape
Peregrina dextrâ; tela sepositos petunt
In vulnus hostes, ensis affinem ferit,
Ensis ab Iberis proprium in vulnus datus.
Recipiat enses hostis, ut calidos suo
Cruore fœdet. Surgite, in fraudes voco.
Hinc in latebras ferte furtivi gradum,
Hinc excubate. Læta festivos agat
Choros juventus. Editor festi propè
Spectator adero: mox ubi pulsâ dabo
Tellure signum, fida Gradivi manus
Erumpe latebris: irrue in scenam ocyus,
Chalybemque stringe patriæ ultorem tuæ;
Expelle regno monstra, quæ nostros metu
Animos flagellant: præda, quæ remanet, tua est,
Sed tege silendo fœdus arcanum doli,
Dum te latebris evocet cæptus chorus.

SCENA TERTIA.

Mater filios, filij Matrem solantur.

Eleonora. Emanuel. Didacus, Filij

Eleon. In quas voluti filij ærumnas gravem
Vix trahimus animam! finis alterius mali

Gra-

Gradus est sequentis: nostra dominatu premit
Capita Tyrannus: sortis inimicæ furor
Sævit, jocatur, ludit, illudit, necat.
Aliquando tandem sæva fortunæ manus
Iram refringes: tuque, qui facili venis
In supplicantum vota subsidio Deus,
Eripe furori: nam quid afflictas malis
Animas moraris? quid malo longo breve
Negas sepulchrum? damna quæ miseri putant,
Sunt vota nobis. cladibus tamen decet
Animo subesse: finge te damnis parem
Genuina proles. *Em.* Nube quas densâ minas
Texit pavoris ira Fortunæ, gravi
Elisit ictu: pulsa tempestas diem
Sereniorem protulit. *Eleon.* Nullus dies
Sine nube lucet: quando moriturâ face
Incurret atrum noctis umbrosæ sinum
Permensus orbem Cynthius, lauda diem.
Didac. Fessos quietus Regis excepit sinus,
Post damna blanda pacis optatæ quies:
Post maria portus, post tenebrosam picem
Noctis, serenum Cynthij Orientis jubar.
Eleo. Quis portus, aut quod pacis exortæ jubar?
Didac. Quod Rex propinat.
Eman. Vehitur in portu ratis
Nostræ salutis. *Eleo.* Sæpè ludentem ratem
Ad saxa torquet aura, quæ placidè vehit.
Eman. Sperare Mater nuperi Regis fides
Meliora mandat. *El.* Arma, quæ incautus pater
Concessit ultrò barbaro Regi, fidem
Non pollicentur. *Did.* Arma quid Regem juvent?

El. Læsisse voluit , arma qui petiit prior.
Ema. Meliora spondet comis affatus, modus,
Orisque blandi Charites, oculorum jocus.
Eleo. Mendace nempè toxicum scypho datur,
Mihi pectus arma rapta solicitant metu.
Eman. Pietas inermes esse securos jubet,
Vix inter arma tuta : cum metuit, fidem
Servare nescit barbarus ; dempto metu
Mente pietatem combibit quamdiu pares
Faciunt timendos arma , in ambiguo est salus.
Eleo. Quamdiu timendos arma fecerunt, salus
Aliqua micabat certior propriâ à manu;
Nunc ab alienâ dexterâ in stipem venit.
Didac Felicitatem quærimus, sive hæc stipe
Seu merce veniat , veniet optanti gregi.
Eleon. Præsagus utinam semet errore in suo
Illudat animus ! arma sed pectus vorant,
Arma data Regi barbaro. sed si metus
Errore ludor, proderit, nati, tamen
Mentem paratam gerere supremis malis.
Didac. Præcepta teneo Mater, & menti infero.
Em. His obsequentem commodo mente parens.

Scena quarta.

Rex ex insidiis Sosam invadit, expellit.

Rex, Sosa cum suis.

Rex Excogitatæ fraudis instructus locus,
Parata scena est Iste nunc labor manet,
Exerere fœtos fraude numerosa sinus,
Talenta quando regia, & rutili grave

Gan-

Gangis tributum nostra depositum tegunt
Tecta advocetur: Editor scenam instruo.
Animis adeste, macte virtute ô viri;
Tantum favetis patriæ, quantum novis
Monstris nocetis. patrio quantum lare
Abesse quisque busta Lusiadum petit;
Tantum repellat. Agite; succedit fera,
Vultu dolus tegatur. Hesperii Sosa
Decus triumphi, Phœbus in lætum diem
Explicuit aurum crinium, & parem meo
Scenam theatro, gestit explicito tuæ,
Meæque gentis gaudium, & Juvenum choros
Spectare vultu: dabimus in votum choros.
Sos. Mitte ista princeps studia, quæ præsens dies,
Nec res, nec usus poscit, aut miser Sosa.
Rex. Mittantur ista: Serviant Scenæ choris:
Age læta misce turba saliares jocos.

fit Saltus.

Rex. Ad arma miles, arma res, tempus vocat,
Exigite regnô monstra, terrarum luem,
Pallentis Orci filios, pestem soli,
Cœlique virus. *So.* Parce, *Rex* Quid genua tenes?
Removete miles. *Didac.* Parce:
Eman. Mi genitor juva.
Eleon. Miserere Princeps.
Rex. Tartari extremi lues.
Sosa. Per si quid astris, si quid est charum solo!
Rex. Quid spes inanes corde decepto foves?
Non audiêre. Verba meliorum audio.
Eleon. O Magne Princeps.

Rex.

Rex. Principis nomen vocas?
Eleo. Miseris benignum.
Rex. Vestra quod dirum facit
Perfidia. *Didac.* Parvo sanguini.
Eman. Innocuo patri.
March. Proli tenellæ parce.
Rex. Quam vestris dolis
Pridem imbuistis? *Cald.* Innocens fœmina.
Rex Sofæ est;
Est Lusitana. *Sofa.* Stemma per Regis precor.
Re. Frustra. *Vas.* Per arcem mentis excelsam tuæ.
Rex. Nolo. *Cald.* Per animi sceptra
Rex. Nolo. *Sofa.* Per tuos
Olim nepotes. *Re* Nolo. *El.* Per Regis manum.
Rex. Nolo. *Em.* Per altum Regiæ frontis jubar.
Rex. Nolo. *Didac.* Per astra.
Rex. Scelere quæ pridem tuus
Pater impiavit? nolo. *Sofa.* Per Regis pium,
Clemensque nomen. *Re* Nolo. Quid frustra prece
Tentatis aures? Ite, feralem luem
Exigite ferro. *Sofa.* Finibus regni procul
Si nos repellis, arca miserorum unicum
Saltem levamen detur. *Rex.* Hoc nolo quoque:
Prædam arca nostro militi optatam dabit.
Sævite. *El* Saltem pignori parce! ô scelus!
Sof. O chara patri pignora. *Vas.* O factum impiū!
Crudele, dirum, barbarum! *Mar.* æterna dolus
Palude dignus *Rex.* Pestilens linguæ probrum.
Benè est; revixi; pectore excedit timor,
Quem mihi cruenti generis invisi Duces
Armis ferebant. Tuta jam votum tenes

Se-

Securitatis patria, expulsi gemunt,
Per quos timebas: desine instantem Tagi
Trepidare chalibem: teste depulsus polo est,
Quicunque in armis patriæ excidium tulit.

SCENA QUINTA.

Expulsorum lamenta.

Sosa cum suis.

Chorus. Eheu quanto turbine nostras
Lubrica versat fortuna vices.
Sosa. Hic insolitis flebile carmen
Iterate modis, memores lapsæ
Toties sortis. *Chor.* Mersa profundo
Pectora luctu geniale vetant
Fundere carmen. *Sosa.* Repete assuetas
Turba querelas, Hæc hora tuos
Patitur luctus. *Chor* Per tàm variæ
Tædia sortis sæpè petitam
Prosperitatem nusquam aspicimus.
Timido luces, trepido noctes
Gemitu implemus. Quando illa dies
Ultima nobis festa, rotanti
Sorti extremam proferet horam!
M. Miserande Princeps, quo vagū vertes gradū?
Vas. Instant timores, urget à tergo furor,
Nec ulla spes à fronte melioris micat
Usquam salutis, Fata sic miseros premunt.
Sos. Quid huic malorum accedere ærūnæ potest?
Periit vetustæ gloriæ augustus dies,
Rebusque raptis omnibus, spes unica,
Arma periere: tu quoque extremus peris,

Si qui petivit sæpius, novo potest
Perire casu. *Eleo.* Patria! Tartessi vada,
O malè relicta patria! quis nunc me Tago
Vivam reponat? *Sos.* Nulla sine gemitu dies
Nascetur unquam! nulla sine fletu cadet!
Habet hoc severæ sortis incertus favor,
Variis paratus casibus casu interit.
Mar. Nunquamne Divi luce tranquillâ frui
Miseris licebit? ulla nec spes est, fore
Mœroris ante limitem, quam funeris!
Vas. Sed reliqua latè temperant vices mala,
Tandemque cessat ira, quæ diu fremit.
Hyemem sequentis gaudia æstatis premunt;
Nimbosque Phœbus; Caspii cessat maris
Tyrannus æstus; ponit Orion minas,
Et contumacis Æoli furor cadit:
Unus doloris, unus hic sortis furor
Nunquam remittit. Vulnus insanabile!
Quod una fecit, altera accumulat dies.
Cald Fortuna sæva, fortibus semper viris
Noverca, quidquid rapere potuisti Sosæ,
Rapuisse cerno. *Sos.* Solus at post tot mala
Mihimet supersum: quin novercalem exeris
In me furorem? tolle me: si sum meus,
Plurima supersunt, quæ tuam effugiunt manum.
Me tolle, tortæ victima hic cadam faci!
Did O chare genitor. *Sos.* Linquite ô nati suo
Patrem perire funere. *Em.* O miseræ pater
Spes una prolis! *El.* Quid agis? aut quis te dolor
Trahit in furores? *So.* Columen afflictæ domus,
O casta conjux; lumen extincti patris,

O cha-

O chara soboles! frusta naufragii mei
Miseranda socii turba: vel sic vos tamen
Posse intueri maximum est Sosæ bonum.
Hic imminente rupe ubi specus oscitat
Iterate fletus: flere nunc tantum juvat.
Nil est perenne; labimur
Premente sortis ictu.
Fortuna versat aleam,
Jactamur, & rotamur
A sole honoris in mare
Delabimur doloris.
Sed Sol cadens in æquora
Moriente nocte surgit;
Sors nostra solum pertinax
Non erigit lacertos.
Nil est perenne: labimur
Premente sortis ictu.

Sosa. Succede rupi, planctibus
Nostris patet caverna.

C H O R V S.

Fortunæ Catastrophe,

Fortuna & Miseria.

Pars prima.

Genius in catastam agitur.

Fort, & Mis. Vertite theatrum, vertite:
Catastrophen paramus.
Sortis ministræ demite
Ostrumque, fasciamque,
Multum sub illa fascia,
Multum latet malorum.

Ut eſt in auro toxicum,
Aut anguis eſt in herba:
Sic cruſta ſortis aurea
Multum tegit malorum.
Demite colorem defluum
Oſtrique, faſciæque.

Pars ſecunda.

Ne fide Marti: litterâ
A morte diſtat unâ.
Ne crede pomi cortici,
Mors ſerpit in medullis.
Sub purpurâ, ſub murice
Latuit imago mortis.
Sub aureâ, ſub laureâ
Angues latent coronâ.
Sic Scena ſortis vertitur,
In exitu id patebit.
Multa obteguntur, quæ dies
Olim recludet unus.
A nucleo, non cortice
Nucem æſtimate poſthac:
Cùm dat roſas, ſatellites
Sors obtegit mucrones:
Auro venena contegit,
Cum maſſicum propinat.
Occaſui nubes parat,
Cum dat ſerenitatem.
Sub blandientis æquore
Frontis ſedet Tyrannis,
Crudelitas in riſibus,
Et in jocis furores,

Ne fide sorti: decipit;
Te deprimit levando.
Felicitas sequentium
Est ansa tot malorum.

Pars Tertia.

Fort. Sic ludimus. *Mis.* Sic ludimur.
Fort. Roto cuncta, *Mis.* nos rotamur.
Fort. Promitto Solem. *Mis.* Nubila
Solem brevem sequuntur.
Felicitas sequentium
Est ansa tot malorum.
Fort. Imo Parens sum. *Mis.* Novimus,
Te sum parente nata.
Me non amatis Miseriam?
Matrem cavete fortem.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Invaditur ab Æthiopibus Sosa: Diffugiunt socii.

Sosa cum suis. Æthiopes.

Mar. Periimus ô Calderia! præcipita fugam,
Periimus! urget hostis. ab dixi parum,
Furiatus urget orcus. *Cal.* In fugam Sosa
Converte gressus; omnis in fuga est salus.
I profuge: quære, si quid abscissum solo
Natura vomuit; nullus in terra amplius

Tuo tegendo vertici locus patet.
Sof. Heu liberorum ſanguinem! *Di.* Juva, ô pater.
Sof. Leonora Tigribus pabulum hoc uteri decus
Mater tuliſti! liberos genui pater
Feris vorandos! Sæve dominator freti
In nos profunde monſtra cærulei maris,
Et rigida quidquid infimo Tethys ſinu
In fata geſtat. *Ema.* Kurſus ô pater, fera
Monſtra in ruinam tela diſtringunt. *Did.* Neci
Mater paramur alteri *Eleo.* Tandem venit
Toties cupidus mortis extremæ dies.
Vaſ. Fuge Soſa peltas hoſtium. hic fugâ decet
Conſulere rebus, nulla dum ſupereſt ſalus.
Barb. I. Perime, trucida.
March. Fuge, fuge in latebras Soſa.
Barb. II. Perime, trucida. *Eleon.* Perime.
Soſa. Sed natis parens
Patrique parce. *Eleo.* Perime.
Barb. I. Capientem improbo
Laceſſit ore capta? *El.* Cui lucrum eſt mori,
Laceſſere hoſtem capta capientem poteſt.
O mors doloris una ſolamen mali!
O mors doloris una relevandi modus!
Confugimus ad te, pande placatos ſinus.
Transadige ferro pectus. *Bar.* In mortem ruis
Pertæſa vitæ? Vive, cui vita eſt malum,
Fatumque votum. Morte qui pœnam exigit,
Neſcit Tyrannus eſſe: cupienti mori
Concede vitam: vivere volentem neca.
Soſa. In hæc reſervor? aſtra vos ſaltem Soſam
Reſpicite. *Ba.* Ferro ſpiritum inimicum expues.

Soſa

Sosa. Inermis hostis esse non potest Sosa.
Barb. Inermis arma fraudium gerit Sosa.
El. Perimite; cupimus: Sola mors votum meũ est:
Celerare fvc i funera, quid agitis moras?
Barb. Non morte ut una funerem, moras traho.
El. Mors una tantum perimet: en pectus patet
Magno paratum vulneri; ferrum imprime,
Ut malè morantem spiritum tandem exprimas.
So. Quò quò innocentes filios? *Di.* Pater! Pater!
Em. Juva innocentes ò pater! *B.* In altos traho
Nemoris recessus. *Sos.* Socia Lusiadum manus
Sosâ relicto profugis? *Barb.* Abripite ocyus:
Deripite tergo, quidquid extrema super
A sorte restat. *Eleo* Barbare, & vitam rape.
Sosa. O æstuantis lacera fortunæ pila!
Semel profectò premere felices Deus
Cum cœpit, urget: hos habent magna exitus.
Barb. Deripite spolia, juris est vestri Sosa.

SCENA SECUNDA.

Fugaces socii redeunt.

Vasaus. Calderia. Marchesius.

Vasa. Imbellis anime! gentis in probrum tuæ
Prodite Vasæe, siste: trepidantem retro
Gradum revolve, quà tenebrosis nemus
Gemitum cavernis gentis Hesperiæ premit.
Comes pudende! tumida per maris freta,
Per æstuantes morte cærulea vias,
Pertesq; a cœlis obvia, audaci polis
Minata rupe culmina, & arenas cane
Æstivâ adustas semper infesto Sosæ

Fato obſtitiſti, victus extremo malo
Fugiſſe gaudes? præſtiti officii piget?
Redi Vaſæ! pabulum feris datos
Redime Sodales ſi licet; ſi non licet
Forſan perire funere licebit pari.
Pulchrum eſt cadente comite, pro comite parem
Ambire mortem. Siſte jam fugæ eſt ſatis:
Redi Vaſæe, teque pietati refer
Malè derelictæ: vidit imbellem dies,
Cernat animoſum.
Cal. Quo meas lachrymas feram?
Ubi has tenacis expuam vitæ moras.
Ubi Soſa? Conjux, liberi? in morti dati
Sævo leoni pabulum, aut Tigri jacent?
Vaſ. Imbelle, vecors, turpe, & infandum caput,
Et par Vaſæo Marcheſi; nullâ ſatis
Scelus eluendum morte! quid anhelum fuga
Præcipite aurges ſpiritum? fugâ prior
Si lapſus animi excordis exemplum dedi,
Prior reverto: ſequere redeuntem, prius
Timidum ſecutus. *Ma.* Vah pudor! fortis vigor
Hic ille mentis? nulla, dicebam, tuo
Me latere vis avellet. Exemplo fides
Iſto probatur? anime ſi vivis, tibi
Si per calentes gutta Tarteſſi meat
Venas cruoris; redde ſubductam fidem.
Non eſt virile terga fortunæ dare.
Te redde ſocio: ſæpè ſublimes facit
Ruina mentes: caſus attollit viros.
Redeamus anime: cumque moriendum ſemel,
Moriamur illo, quo Soſa moritur loco:

Duce

Duce moriente commori virtus docet:
Redeamus anime.
Cald. Tesqua repetamus: datum
Miseram leonum dentibus prædam Sosam
Rictu cruamus; vel pari fato nocens
Fundatur animus: levius est probro mori.
Mar. Moriamur unà, levius est fatum malo.
Cald. Aude, age Vasæe; Marchesi; faustos potest
Fortuna adhuc nos facere, miseros non potest.
Sed hem propinqua saxa lamentis sonant.

SCENA TERTIA.

Conveniunt socii: deficiunt filii fame: Pater abit in sylvam cibum quæsiturus.

Sosa cum suis.

Cald. O Sosa! *Sosa.* Supini, desides, & vix viri,
Ludibria turpi nostra potuistis fugâ
Animare socii? *Ma.* Serò nunc tandem pudet!
Sed recreat animos funeris victor Sosa,
Conjux superstes, liberi erepti neci.
Sosa. Fortuna credis? detriumphatæ Sosa
Domitor Dionis; ille quem senex dies
Juvenisque cecinit gloriæ prolem, Sosa
Ego sum. Timete posteri! mundi vices
Nunquam stetere prosperæ. quidquid potest
Semel evenire, discite exemplo meo
Semper timere. *Cal.* Læta sic nostris quatit
Fortuna pœnas casibus; quemque edita
Locarat arce siderum, celeri trahit
In ima lapsu. *El.* Rupium arentûm juga

Inter cadendum est. melius! ah melius chalybs
Hausisset ima viscera. *Sosa.* O vitæ meæ
Spes una conjux, liberi, & sortis comes!
Nunc, nunc recurset pectori, tandem Deus
Unica salutis ara, quam vix dum prece
Tetigistis unquam. *El.* Sic decet miseros loqui.
Sosa. Sic facere. *El.* decuit antè.
Sosa. Nunc serò decet.
Eleon. Dilata pietas Numinis vultu procul
Rejici meretur. *Sosa.* Ultimis pietas malis
Expressa, sæpè Numen in votum trahit.
Ele. Expressa pietas, nulla pietatis nota est.
So. Sed sit doloris. *El.* Serus est nimium dolor.
Cùm jam cadendum est. *So.* Aure dilatos quoque
Pius dolores patriâ excepit Deus.
Eleon. Excipiat ergo sceptra qui torquet poli
Lamenta nostra; sique patronam preces
Merentur aurem, morte luctantem diu
Resolvat animam: tuque quæ miseros tenes
In morte vita, rumpe fatorum moras.
Lux vilis ista est, redde cupientem neci:
Mors sola portus. *So.* Parce jam conjux precor.
El. Tyrannis est, vetare cupientem mori:
Concede mortem Numen, & vitæ eripe.
March. Ignosce fatis, ne sit hæc pietas scelus.
Ele. Quisquis precari funus extremum vetat,
Crudelis ille est. *Sos.* Interim pœna est mori.
Eleo. Quando voventi venerit, donum fuit.
Vas. Remitte Princeps.
El. Fuimus: hoc non est meum
Vasæ nomen: Principem pridem exuit

For-

Fortuna. *Mar.* Sed non exuit mentem: advoca
Animum priorem, pectus antiquum excita:
Magno prementes pectore ærumnas doma.
Sos. Resiste; tantis in malis vinci, malum est.
Em. Destituit animus membra mi pater; fames
Erodit ossa, sanguinem exsiccat sitis,
In mortem adurget utraque, & sitis, & fames.
Breviore nuper licuit & salo, & solo
Perire fato; Victima at nondum polo
Matura visa, lucis hoc pretium tulit,
Diu interire. *Sosa.* Nostra dum pendet fame
Salus premente, chara sociorum cohors
Aptate fidas lugubri officio manus.
March. Utinam liceret sorte meliori tibi
Præstare faciles jussum in officium manus!
Vetuere superi! sed juvat vel sic tamen
Potuisse miseri jussibus Sosæ obsequi.
Sosa. Ego propinquo nemore postre mas dapes
Fami levandæ congeram: si quas tulit
Annosa glandes quercus, in cibos paro.
Non jam paratu mensa peregrino tumet,
Nec bibitur auro Bacchus, aut gem mâ latex,
Ex quo sinister sortis afflatus docet
Artem dolendi: discere incipio miser,
Quod evenire posse credebam jocum.
At nec rogatur aureo in scypho latex,
Sed fons negatur; nulla me Assyrii fames
Molestat epuli: poma vel glandes date
Amica nemora; poma vel glandes vicem
Nectaris edemus. *Em.* Genitor infelix! abis!
Emmanueli basium extremum apprime.

 Jam

Jam nox suprema oboritur, & dubius dies.
Oberrat oculis; ferreus mortis rigor
Invadit artus. *Sosa.* Vindicem mortis cibum
Mi nate quæro *El.* Quære; nos morti interim
Rapiemur esca; nostra jam pridem gravi
Urgetur anima spiritu; infesto gelu
Corpus rigescit: Marcheni extremum precor
Natis, mihique sufficе auxilium manu.
Hic in propinquo membra ponemus specu
Nunquam levanda. Quid meos retines sinus
Manusque nate? cassa præsidia occupas.
Mar. O triste nimium Principi obsequiũ! ultimũ
Ducere in sepulchrum.
Did. Poplites subter labant,
Pedemque fallit trepida dubitantem via
Eleon O nate Matri summus, ac ferus dolor.
Mar. Debilis anhelum spiritum pulmo trahit:
Defecit animus; lux abit, corpus solo
Exanime lapsis viribus fessum cadit.
Cald. O dulcis ætas, dulce & infelix onus!
Quid os lacerto stringis, aut vultum premis?
Propera Vasæe pendulam vitam labris
Revocare gelido latice, morientes genas
Dum sustinemus frigidi venti flabro

SCENA QUARTA.

Vasaus solus aquam frigidam quærit.

Succurre rupes, abdito tellus sinu
Retege liquores. Si Deus miseros vides,
Si sancta pietas vindices tangit polos,

Toto

Totoque numen omne non cœlo excidit;
Gemino patescat latere discedens humus,
Argenteoque flumine auxilium fluat.
Serimus in auras verba, quàm facile cadunt,
Cùm Numen urget, floreæ ætatis dies!
Quàm fragile fallax divitum perit bonum!
Indulta rebus tutior parvis quies.
Felix secunda quisquis evectus rate
Lenocinantes mente non avidâ bibit
Faventis auræ Etesias. Nunquam modum
Servant eundem prospera: extremus favor
Sortis, furorem sortis extremum trahit.
Ut nimius æstus solis accendit polos,
Dirasque calidis nubibus parit faces,
Aut dormiente Nereus quando jacet
Undâ quietus, fluctibus sese parat;
Sic blandientis aura cùm sortis favet,
Nocet. quiescit? integrat vires. jacet?
Restaurat iras. elevat? lapsum parat,
Sed hem! liquentes unda garritus ciat.
Faves benignum Numen extremis malis.
O dulce manans rupe de sectâ liquor!
Propera medelam funeri.

SCENA ULTIMA.

Lamentum ad funera.

Marchesius. Calderia. Sosa.

Marchesius. ---- ô luctus graves!
Vicere nostra jam metus omnes mala,
Fortuna vires ipsa consumpsit suas;

Nec si velit nocere, quo noceat, habet.
Cal. Miserande Princeps, luctibus sate ô Sosa!
Seu tu maritus esse, seu malis Pater?
Sosa. Quoscunque luctus afferes, veteres feres,
Eloquere: faciunt damna securum ultima.
Quin ipsa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos; quodque in extremis solet,
Periêre lachrymæ.
Cald. Heu! flebili letho occubant
Nati, parensque. *Sosa.* sequere post natos Pater,
Post occubantem conjugem Conjux Sosa.
Matura poscis fata, post omnes cades,
Fiesque generis funus extremum tui.
In hoc ferarum stabula penetravi, & nemus,
Quæsitor orbus glandium, & pomi Sosa;
In hoc beatus glandibus onustus redi
Trina ut viderem funera, & trinam necem
Viduus meorum? Sic parum fueram miser,
Nisi in dolores hic quoque extremus meos
Cumulus veniret. *Vas.* Statuit æternâ Deus
Id lege, sors ut aspera veniret probis.
So. Sequere cadentem conjugem, & natos pater.
Dehisce terra; pande properanti viam
Manes ad imos: Uxor & nati jacent,
Uxor reposcit conjugem, nati Patrem:
Et his, & illi redde me. Virum fugis
Mors timida, fortis fœminæ, & pueris? fugis
Mori volentem? Solve luctantem diu
Membris adesis spiritum. Subita licet
Nunc Parca venias, tardior voto venis:
Aurem querelis commoda extremis Deus,

Hu-

Humana justo fata qui nutu regis.
Quid innocentes parvuli in cœlum rei
Peccâsse valeant? Si qua debetur mihi
Scelerum expiatrix pœna, de cœlo tona
Nec deprecantem fulmine eliso expia:
Suspendis ignes? explico pectus: feri,
Feri volentem. Justus aliquando dolor
Si pauca peccet, dignus est veniâ tamen.
Frustra querelis temporis moram increpo;
Date mihi reliquias funerum, infelix date
Videre pondus: lacrymis adhuc abest
Pars magna nostris. *Vas.* Lacrymis tuis venit
Pars magna Princeps. cerne num species tuæ
Sit prolis ista, aut conjugis vivæ jubar?
Sosa. Leonora!
March. Reliquum vocis absorbet dolor.
So Nati! *Cal.* Reclinat languidum in latus caput.
Funusque trino funeri accedit novum.
Sosa Heu cecidit altæ columen eversum domûs!
O dulce pignus! ô decus lapsæ domûs!
Genitoris ô spes vana, queîs demens ego
Lauros parentis bellicas, annos patrum
Omnes precabar, funere extincti jacent.
Sic ad reversum pignora reditis patrem.
Hæc illa facies igne sidereo micans?
Hic ille vultus flammeum intendens jubar?
Sic ad parentem natus ex voto redit?
Sic & revisit conjugem conjux? Ego,
Ego vos peremi liberi, & conjux: ego,
Ego interemptor ille; qui magnæ procus
Sortis, parentem & filios morti dedi,

Ut est in auro toxicum,
Aut anguis est in herba:
Sic crusta sortis aurea
Multum tegit malorum.
Demite colorem defluum
Ostrique, fasciæque.

Pars secunda.

Ne fide Marti: litterâ
A morte distat unâ.
Ne crede pomi cortici,
Mors serpit in medullis.
Sub purpurâ, sub murice
Latuit imago mortis.
Sub aureâ, sub laureâ
Angues latent coronâ.
Sic Scena sortis vertitur.
In exitu id patebit.
Multa obteguntur, quæ dies
Olim recludet unus.
A nucleo, non cortice
Nucem æstimate posthac:
Cùm dat rosas, satellites
Sors obtegit mucrones:
Auro venena contegit,
Cum massicum propinat,
Occasui nubes parat,
Cum dat serenitatem.
Sub blandientis æquore
Frontis sedet Tyrannis,
Crudelitas in risibus,
Et in jocis furores,

Ne fide forti: decipit;
Te deprimit levando.
Felicitas sequentium
Est ansa tot malorum.

Pars Tertia.

Fort. Sic ludimus. *Mis* Sic ludimur.
Fort. Roto cuncta. *Mis* nos rotamur.
Fort. Promitto Solem. *Mis* Nubila
Solem brevem sequuntur.
Felicitas sequentium
Est ansa tot malorum.
Fort. Imo Parens sum *Mis* Novimus,
Te sum parente nata.
Me non amatis Miseriam?
Matrem cavete fortem.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Invaditur ab Æthiopibus Sosa: Diffugiunt socii.

Sosa cum suis. Æthiopes.

Mar. Periimus ô Calderia! præcipita fugam,
Periimus! urget hostis. ah dixi parum,
Furiatus urget orcus. *Cal.* In fugam Sosa
Converte gressus; omnis in fuga est salus.
I profuge: quære, si quid abscissum solo
Natura vomuit; nullus in terra amplius;

 Tue

Tuo tegendo vertici locus patet.
Sos. Heu liberorum sanguinem! *Di.* Juva ô pater.
Sos. Leonora Tigribus pabulum hoc uteri decus
Mater tulisti! liberos genui pater
Feris vorandos! Sæve dominator freti
In nos profunde monstra cærulei maris,
Et rigida quidquid infimo Tethys sinu
In fata gestat. *Ema.* Kurfus ô pater, fera
Monstra in ruinam tela distringunt. *Did.* Neci
Mater paramur alteri *Eleo.* Tandem venit
Toties cupidus mortis extremæ dies.
Vas. Fuge Sosa peltas hostium. hic fugâ decet
Consulere rebus, nulla dum superest salus.
Barb. I. Perime, trucida.
March. Fuge, fuge in latebras Sosa.
Barb. II. Perime, trucida. *Eleon.* Perime.
Sosa. Sed natis parens
Patrique parce. *Eleo.* Perime.
Barb. I. Capientem improbo
Lacessit ore capta? *El.* Cui lucrum est mori,
Lacessere hostem capta capientem potest.
O mors doloris una solamen mali!
O mors doloris una relevandi modus!
Confugimus ad te, pande placatos sinus.
Transadige ferro pectus. *Bar.* In mortem ruis
Pertæsa vitæ? Vive, cui vita est malum,
Fatumque votum. Morte qui pœnam exigit,
Nescit Tyrannus esse: cupienti mori
Concede vitam: vivere volentem neca.
Sosa. In hæc reservor? astra vos saltem Sosam
Respicite. *Ba.* Ferro spiritum inimicum expues.

Sosa. Inermis hostis esse non potest Sosa.
Barb. Inermis arma fraudium gerit Sosa.
El. Perimite; cupimus: Sola mors votum meũ est:
Celerare sve i funera, quid agitis moras?
Barb. Non morte ut una funerem, moras traho.
El. Mors una tantum perimet; en pectus patet
Magno paratum vulneri; ferrum imprime,
Ut malè morantem spiritum tandem exprimas.
So. Quò quò innocentes filios? *Di.* Pater! Pater!
Em. Juva innocentes ô pater! *B.* In altos trahe
Nemoris recessus. *Sos.* Socia Lusiadum manus
Sosâ relicto profugis? *Barb.* Abripite ocyus:
Deripite tergo, quidquid extrema super
A sorte restat. *Eleo.* Barbare, & vitam rape.
Sosa. O æstuantis lacera fortunæ pila!
Semel profectò premere felices Deus
Cum cœpit, urget: hos habent magna exitus.
Barb. Deripite spolia, juris est vestri Sosa.

SCENA SECUNDA.

Fugaces socii redeunt.

Vasaus. Calderia. Marchesius.

Vasa. Imbellis anime! gentis in probrum tuæ
Prodite Vasæe, siste: trepidantem retro
Gradum revolve, quà tenebrosis nemus
Gemitum cavernis gentis Hesperiæ premit.
Comes pudende! tumida per maris freta,
Per æstuantes morte cærulea vias,
Pertesq; a cœlis obvia, audaci polis
Minata rupe culmina, & arenas cane
Æstivâ adustas semper infesto Sosæ

Fato obſtitiſti, victus extremo malo
Fugiſſe gaudes ? præſtiti officii piget?
Redi Vaſæe ! pabulum feris datos
Redime Sodales ſi licet ; ſi non licet
Forſan perire funere licebit pari.
Pulchrum eſt cadente comite, pro comite parem
Ambire mortem. Siſte jam fugæ eſt ſatis:
Redi Vaſæe, teque pietati refer
Malè derelictæ : vidit imbellem dies,
Cernat animoſum.
Cal. Quo meas lachrymas feram?
Ubi has tenacis expuam vitæ moras.
Ubi Soſa ? Conjux, liberi ? in morti dati
Sævo leoni pabulum, aut Tigri jacent?
Vaſ. Imbelle, vecors, turpe, & infandum caput,
Et par Vaſæo Marchefi ; nullâ ſatis
Scelus eluendum morte ! quid anhelum fuga
Præcipite adurges ſpiritum ? fugâ prior
Si lapſus animi excordis exemplum dedi,
Prior reverto : ſequere redeuntem, prius
Timidum ſecutus. *Ma.* Vah pudor ! fortis vigor
Hic ille mentis ? nulla, dicebam, tuo
Me latere vis avellet. Exemplo fides
Iſto probatur ? anime ſi vivis, tibi
Si per calentes gutta Tarteſſi meat
Venas cruoris ; redde ſubductam fidem.
Non eſt virile terga fortunæ dare.
Te redde ſocio : ſæpè ſublimes facit
Ruina mentes : caſus attollit viros.
Redeamus anime : cumque moriendum ſemel,
Moriamur illo, quo Soſa moritur loco:

Duce

Duce moriente commori virtus docet:
Redeamus anime.
Cald. Tesqua repetamus: datum
Miseram leonum dentibus prædam Sosam
Rictu eruamus; vel pari fato nocens
Fundatur animus: levius est probro mori.
Mar. Moriamur unà, levius est fatum malo.
Cald. Aude, age Vasæe; Marchesi; faustos potest
Fortuna adhuc nos facere, miseros non potest.
Sed hem propinqua saxa lamentis sonant.

SCENA TERTIA.

Conveniunt socii: deficiunt filii fame: Pater abit in sylvam cibum quæsiturus.

Sosa cum suis.

Cald. O Sosa! *Sosa.* Supini, desides, & vix viri.
Ludibria turpi nostra potuistis fugâ
Animare socii? *Ma.* Serò nunc tandem pudet.
Sed recreat animos funeris victor Sosa,
Conjux superstes, liberi erepti neci.
Sosa. Fortuna credis? detriumphatæ Sosa
Domitor Dionis, ille quem senex dies
Juvenisque cecinit gloriæ prolem, Sosa
Ego sum. Timete posteri! mundi vices
Nunquam stetere prosperæ. quidquid potest
Semel evenire, discite exemplo meo
Semper timere *Cal.* Læta sic nostris quatit
Fortuna pœnas casibus; quemque edita
Locarat arce siderum, celeri trahit
In ima lapsu. *El.* Rupium arentûm juga

Inter cadendum est. melius! ah melius chalybs
Hausisset ima viscera. *Sosa.* O vitæ meæ
Spes una conjux, liberi, & fortis comes!
Nunc, nunc recurset pectori tandem Deus
Unica salutis ara, quam vix dum prece
Tetigistis unquam. *El.* Sic decet miseros loqui.
Sosa. Sic facere. *El.* decuit antè.
Sosa. Nunc sero decet.
Eleon. Dilata pietas Numinis vultu procul
Rejici meretur. *Sosa.* Ultimis pietas malis
Expressa, sæpè Numen in votum trahit.
Ele. Expressa pietas, nulla pietatis nota est.
So Sed sit doloris. *El.* Serus est nimium dolor.
Cùm jam cadendum est. *So.* Aure dilatos quoque
Pius dolores patriâ excepit Deus.
Eleon. Excipiat ergo sceptra qui torquet poli
Lamenta nostra; sique patronam preces
Merentur aurem, morte luctantem diu
Resolvat animam: tuque quæ miseros tenes
In morte vita, rumpe fatorum moras.
Lux vilis ista est, redde cupientem neci:
Mors sola portus. *So.* Parce jam conjux precor.
El Tyrannis est, vetare cupientem mori:
Concede mortem Numen, & vitæ eripe.
March. Ignosce fatis, ne sit hæc pietas scelus.
Ele Quisquis precari funus extremum vetat,
Crudelis ille est. *Sos.* Interim pœna est mori.
Eleo. Quando voventi venerit, donum fuit.
Vas. Remitte Princeps.
El. Fuimus: hoc non est meum
Vasæ nomen: Principem pridem exuit

For-

Fortuna. *Mar.* Sed non exuit mentem: advoca
Animum priorem, pectus antiquum excita:
Magno prementes pectore ærumnas doma.
Sos. Resiste; tantis in malis vinci, malum est.
Em. Destituit animus membra mi pater; fames
Erodit ossa, sanguinem exsiccat sitis,
In mortem adurget utraque, & sitis, & fames.
Breviore nuper licuit & salo, & solo
Perire fato; Victima at nondum polo
Matura visa, lucis hoc pretium tulit,
Diu interire. *Sosa.* Nostra dum pendet fame
Salus premente, chara sociorum cohors
Aptate fidas lugubri officio manus.
March. Utinam liceret sorte meliori tibi
Præstare faciles jussum in officium manus!
Vetuere superi! sed juvat vel sic tamen
Potuisse miseri jussibus Sosæ obsequi.
Sosa. Ego propinquo nemore postremas dapes
Fami levandæ congeram: si quas tulit
Annosa glandes quercus, in cibos paro.
Non jam paratu mensa peregrino tumet,
Nec bibitur auro Bacchus, aut gemmâ latex;
Ex quo sinister sortis afflatus docet
Artem dolendi: discere incipio miser,
Quod evenire posse credebam jocum.
At nec rogatur aureo in scypho latex,
Sed fons negatur; nulla me Assyrii fames
Molestat epuli: poma vel glandes date
Amica nemora; poma vel glandes vicem
Nectaris edemus. *Em.* Genitor infelix! abis!
Emmanueli basium extremum apprime.

Jam nox suprema oboritur, & dubius dies.
Oberrat oculis; ferreus mortis rigor
Invadit artus. *Sosa.* Vindicem mortis cibum
Mi nate quæro *El.* Quære; nos morti interim
Rapiemur esca; nostra jam pridem gravi
Urgetur anima spiritu; infesto gelu
Corpus rigescit: Marcheri extremum precor
Natis, mihique suffice auxilium manu.
Hic in propinquo membra ponemus specu
Nunquam levanda. Quid meos retines sinus
Manusque nate? cassa præsidia occupas.
Mar. O triste nimium Principi obsequiū! ultimū
Ducere in sepulchrum.
Did. Poplites subter labant,
Pedemque fallit trepida dubitantem via
Eleon O nate Matri summus, ac ferus dolor.
Mar Debilis anhelum spiritum pulmo trahit:
Defecit animus; lux abit, corpus solo
Exanime lapsis viribus fessum cadit.
Cald. O dulcis ætas, dulce & infelix onus!
Quid os lacerto stringis, aut vultum premis?
Propera Vasæe pendulam vitam labris
Revocare gelido latice, morientes genas
Dum sustinemus frigidi venti flabro

SCENA QUARTA.

Vasaus solus aquam frigidam quærit.

Succurre rupes, abditos tellus sinu
Retege liquores. Si Deus miseros vides,
Si sancta pietas vindices tangit polos,

Totoque numen omne non cœlo excidit;
Gemino patefcat latere difcedens humus,
Argenteoque flumine auxilium fluat.
Serimus in auras verba,quàm facilè cadunt,
Cùm Numen urget,floreæ ætatis dies!
Quàm fragile fallax divitum perit bonum!
Indulta rebus tutior parvis quies.
Felix fecunda quisquis evectus rate
Lenocinantes mente non avidâ bibit
Faventis auræ Etefias. Nunquam modum
Servant eundem profpera: extremus favor
Sortis,furorem fortis extremum trahit.
Ut nimius æftus folis accendit polos,
Dirasque calidis nubibus parit faces,
Aut dormiente Nereus quando jacet
Undà quietus, fluctibus fefe parat;
Sic blandientis aura cùm fortis favet,
Nocet. quiefcit? integrat vires. jacet?
Reftaurat iras. elevat? lapfum parat,
Sed hem! liquentes unda garritus cirat.
Faves benignum Numen extremis malis,
O dulce manans rupe de fectâ liquor!
Propera medelam funeri.

Scena ultima.

Lamentum ad funera.

Marchefius. Calderia. Sefa.

Marchefius. ---- ô luctus graves!
Vicere noftra jam metus omnes mala,
Fortuna vires ipfa confumpfit fuas;

Humana justo fata qui nutu regis.!
Quid innocentes parvuli in cœlum reī
Peccasse valeant? Si qua debetur mihi
Scelerum expiatrix pœna, de cœlo tona
Nec deprecantem fulmine eliso expia:
Suspendis ignes? explico pectus: feri,
Feri volentem. Justus aliquando dolor
Si pauca peccet, dignus est veniā tamen.
Frustra querelis temporis moram increpo;
Date mihi reliquias funerum, infelix date
Videre pondus: lacrymis adhuc abest
Pars magna nostris. *Vas.* Lacrymis tuis venit
Pars magna Princeps. cerne num species tuæ
Sit prolis ista, aut conjugis vivæ jubar?
Sosa. Leonora!
March. Reliquum vocis absorbet dolor.
So Nati! *Cal.* Reclinat languidum in latus caput.
Funusque trino funeri accedit novum.
Sosa Heu cecidit altæ columen eversum domûs!
O dulce pignus! ô decus lapsæ domûs!
Genitoris ô spes vana, queîs demens ego
Lauros parentis bellicas, annos patrum
Omnes precabar, funere extincti jacent.
Sic ad reversum pignora reditis patrem.
Hæc illa facies igne sidereo micans?
Hic ille vultus flammeum intendens jubar?
Sic ad parentem natus ex voto redit?
Sic & revisit conjugem conjux? Ego,
Ego vos peremi liberi, & conjux: ego,
Ego interemptor ille; qui magnæ procus
Sortis, parentem & filios morti dedi,

 Dum

Dum vana venor. Spiritus altos gere
Dominare tumidus, quisquis aut lauro comas,
Aut nectis auro; generis & laudum ordinem,
Et spem Nepotum subita sors telo ferit.
Ego testis; ignes Nemesis in avaros agit,
Sequitur tumentes ultor à tergo Deus.
Sic scena mundi clauditur. Luctum date.

COMMVS.

Chorus. Heu quàm vanis pascimur umbris!
Dum nos magnæ vota fatigant
Sortis avaræ.
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
March. Quos felices nascens vidit,
Vidit miseros moritura dies.
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
March. Quidquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat.
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
March. Sublime potens; felixque tene:
Vertitur uno rota momento.
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
March. Mergitur illis, queis vaga lusit
Navis in undis.
Vertitur uno mare momento
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
March Mal pensantur magna ruinis.
Gravior lapsus incubat altis.
Sosa. Heu quàm vanis pascimur umbris!
Discite, si quos solio famæ
Locat ambitio, populosque super

Ire

Ire superbo jubet incessu:
Discite, si quos recreat blandi
Aura Favoni, non continuâ
Nube immunes sperare dies,
Nimis heu! vanis pascimur umbris!
Fatuæ sequimur flammæ errores,
Verasque faces patrij cœli
Spernimus. Ibit, qui nunc medio
Nitet axe dies noctis in umbras:
Vigor ætatis senio cedet,
Vel Rhadamanti præcoce fato
Ibit in urnam. Nihil æternum est.
Ubi purpureos Helena hortorum
Rosa lemniscos auræ explicuit,
Vix visa cadit. Nimis heu! vanis
Pascimur umbris!
Fortuna bonam sævior urget.
Si quæ stillam dedit ambrosiæ,
Pleno cyatho fel dabit. Eheu!
Nimium vanis pascimur umbris!
Si quæ explicuit gaudia Zephyrus;
Quæ ponè subit, complicat hora.
Fortuna bonis inimica viris,
Longum faustis invidet ævum.
Et tamen eheu! pascimur umbris!
Dicite tandem, quos fata Sosæ
Eversa monent, dicite, paria
Nos fata manent; quamdiu vanis
Pascimur umbris.

F I N I S.


Bis data Viennæ Austriæ Anno 1643.

SUSPI-



SUSPICIO SIVE POMUM THEODOSII.

ARGUMENTUM.



Abula fuit aliquando Discordiæ pomum, nunc veritas. Accepit dono pomum Theodosius junior Imperator; Eudoxiæ Imperatrici offert: illa nihil sequius cogitans Paulino Theodosii amico ægrotanti mittit: Paulinus actorum ignarus, rursum Imperatori. Sed nunquam sine strage in orbem lusit fortuna. Scilicet accepto commoveri Imperator, examinare, suum agnoscere, turbari, occultos amores suspicari. Advocat Eudoxiam, de pomo inquirit; terretur illa; & dum alia submetuit, edisse se etiam

etiam juramento confirmat. Hic scintilla in apertas flammas erumpit: pomum promit Imperator; mendacij arguit; amoris improbi ream agit; abdicat; Paulinum occidi imperat.

Sed licet diu, non semper latet veritas. Ipsa sibi sol est, eluctatur inter nubes. Eudoxiæ sanctitatis famâ, innocentiæ testimonijs, plausuum, quibus Antiochiæ & Hierosolymis excepta fuerat, perculsus nuncijs Imperator agente Chrysaphio Eunucho in Conjugis reditum consentit. Advocatur à Chrysapho per literas Imperatrix, idq; sapienti dolo efficitur, ut ea venienti Imperatori inexpectata occurrat. Hic mixta gaudijs lacrymæ concordia plausus.

Vide Cedrenum, & qui ex eo sumpserunt, Iustum Lipsium Monit. Polit. lib. 1. cap. 5. mon. 1. Nicol. Caussin. in Aula S. *Hieremiam Drexel. orbis Phaeth. p. 2, c. 15. §. 4.*

PERSONÆ.

Theodosius Imp.	Eudoxia Imperatrix.
Paulinus Aulæ Præf.	Chrysaphius Eunuch.
Maximus Servus.	Pollio servus.
Villicus.	Genij.
Paulini Umbra.	Suspicio.
Innocentia.	Timor.
Veritas.	Mendacium.
Venatores.	

PRO-

PROTASIS.

SCENA PRIMA.

Redux è templo Theodosius *Imperator, pietate, regnorum firmamento, ditandatâ, ab Ignobili quodam Asiatico pomum insignis magnitudinis dono accipit.*

Theodosius. Paulinus. Villicus Asiaticus.

Theod. Equidem serenum frontis augustæ jubar
In clara Solem prælia ardentem citat,
Dominamque radijs purpuram incendens facit
Orbi verendam: nosque conspicuo locat
Mundi theatro fama, dum cœlo vehit
Sublime nomen: hinc frequens multo calet
Domus cliente, & totus officio strepit
Famulante mundus. Nempè mendaces agit
Fortuna ludos. quanta majestas caput
Irradiat auro, tanta tempestas reum
Animum flagellat. Ostro in Oebalio vorax
Sibi cura solium præparat: quo Rex sedet,
Sedent eodem pallidi metus loco.
Diadema vastis verticem ærumnis gravat:
Sceptrum timores dexteræ ac menti ingerit:
Purpura cruento destinat fato Duces:
Solium est cacumen, undè per præceps ruas.
Gemmâ venenum bibitur: extremus dies
Raro incruentam Regibus mortem tulit:
Signata multo sanguine Heroum via
Patet ad sepulchrum. Quisquis excelsus sedet,

Pa-

Pavere nunquam desinat: levis Dea
Fortuna eâdem tollit, ac premit rotâ
Fœdifraga semper: illa, cùm lubet, thorum
Trahit in ruinam, dexteræ sceptrum eripit,
Tenui salino mutat Augustas dapes,
Aulam mapali, sarculo virgam auream,
Vili lacernâ purpuram, exilio domûs
Tectum paternæ, vinculis torquem, nece
Vitam, triumphos funeris pompâ, jocos
Dolore, tumulis pergama, sepulchro tholos,
Laurum cupresso. Sæpè quem nascens dies
Vidit superbum, vidit emoriens idem
Dies jacentem. Nemo securus sedet
Molli sub umbra, quando mugitu supra
Fulmen minatur; nemo sat tutus suæ
Felicitatis aureo amplexu latet.
Nam quanta cœli, quanta tempestas soli
Tonante circum vexat incursu minax
Superba capita. Dubia regnorum est salus,
Tumidosque constans turbo fortunæ Duces
Hinc indè versat. Hora, momentum interest
Inter sedentis regna, & alienum genu.
Sic insolenti lubrica arbitrio citat
Rhamnusis alas, quemque Dijs, cœlo parem
Tulerat, profundam sæpè sub vallem ejicit.
Una est minantes Diva quæ casus premit,
Avita pietas. Illa Regnorum salus,
Dubitantis æstûs anchora. Augustos patris
Appello Manes, cujus æternum memor,
Documenta teneo. Nate, dicebat, tui
Votum parentis; Nate genitoris decus,

Ne.

Ne te juventæ flexus ancipiti ferat
Hinc inde calle. pectore Alcidæ est opus.
Agnatus astris animus astrorum plagas
Petat volatu: sique te senem juvat
Virtutis æquo in tramite ac Regni vijs
Sequi Parentem, pectoris fixa in sinu
Stet alta pietas. Nullus impunè impium
Diadema Princeps gessit: augustum thorum
Pronum in ruinas semper Impietas trahit.
Timidâ rotatur dexterâ sceptrum, DEI,
Cœlestiumque negligens Ubi viget
Cultus Tonantis, regna firmantur benè.
Despecta pietas sceptra convellit Ducum.
Agnoscat orbis supparem natum Patri.
Paul. Imò videt iterum vivere in nato Patrem.
Theod. Sit prima Regis cura venerari Deum:
Hac arte mundum rexit Augustus parens.
Paul. Hac arte mundum natus Augustus regit.
Theod. Malè imperatur quando religio jacet.
Pa. Regnare non vult, quisquis in cœlū est reus.
Th. Quod tribuit æther, sanctitas regnum decet.
Paul. Et hoc peractum est. Vidit augustas manus
Cœlo levari terra, lunari genu,
Calere pectus, lumina affigi solo.
Theod. Exemplar esse Cæsarem suis decet.
Paul. Exempla Regum subditos sequi decet.
Exempla Regum jussa sunt. Illos videt
Positos in alto vulgus, & vitam notat,
Tacitoque secum murmure exemplum trahit.
Hinc templa fervent, quando majestas tua
Pietate pariter, pariter imperio præit.

Theo-

Theo. Ad alia curas vertere, æquali dies
Spatio diremptos limites spectans, monet.
Primas Tonanti legis ex nutu dedi.
Paul. Procede pompa, regium ad larem via est.
Asiat. Auguste Cæsar, proximum cœlo caput,
Amor que mundi; cujus augustas colit
Orbis secures, & genu curvo sacros
Fasces adorat: nostra si minimi gregis
Dignaris oculo munera, & magnum capis
In dono agresti pectus, Augustâ manu
Dignare pomum *Theo* Scimus & parvo gregi
Animum capacem laudis: & levi sua est
Mensura dono. Non ego pomum æstimo;
Dantis voluntas regium hoc donum facit.
Sed quo pependit ille pomorum Gigas
Parente ramo? sponte naturæ satu,
An arte crevit? *Asiat.* Solis occidui mea
Quà spectat ædes terminos, cœlo comas
Opaca miscet arbor, annosi labor
Quondam parentis: illa sublimi jugo
Pomonam, & omnes rapit in aspectum sui
Dryadum penates, ac honoratum caput
Levans ad astra, nil dein cœlo invidet;
Contenta stellis æmulos fructus dare.
Hic mollis umbra spiritus lenes bibit
Inambulantis Æoli, hic gratos trahit
Sudantis ægrum rustici mulcens opus
Philomela questus, agilis hic festos agit
Choros puella, quando dimissam labor
Quiete donat. *Th.* Arte quâ crevit? *Asia.* Patrie
Manus magistra, ac multus annorum labor

Su-

Sudavit illi, sive cùm tenerum ultimâ
Afferret Asiâ surculum, & matri daret
Terræ educandum; sive cùm propter leves
Aquæ susurros veheret, & gratâ sitim
Potaret undâ. Filij hinc fesso Patri
Successit ardens cura, ne damnum trahat
Spes una nostræ stirpis, & columen domûs
Pomona dives: illa, seu Phœbus diem
Impendat astris, sive nocturnis agat
Vigiles tenebris Luna stellarum choros,
Mentem lacessit. Sæpè cùm somnos traho,
Solicitus animus arbori vigilat suæ,
Et nunc potentes Sirij adducto peplo
Excludit ignes, nunc procellosas Jovis
Avertit iras. *Theo.* Tanta vix Ducibus sui
Est cura sceptri. Regium pomum placet.
Auro rependo munus. *Asiat* Est doni satis
Placuisse tanto Cæsari. *Theo.* Sed quod placet,
Cæsar rependit ære. *Asia.* Dij serò hoc caput
Astris reposcant, donec & senio gravis,
Meritisque turgens spontè submittat caput
Morti advocatæ. Numen adnuta preci.
Theo. Procede Pompa; tempus ad curas vocat.

SCENA SECUNDA

Eudoxia timoribus nocturnis agitata Paulinum advocat, cui mali ominis somnium exponit: ex eoq; discit vanam esse somniorum fidem.

Eudoxia Imperatrix. Paulinus.

Eudox. Heu quos timores inter & curas feror!

Si-

Simulacra necdum noctis exclusit pavor!
An dormienti pavidus illusit sopor
Mendace scenâ? vera an effigies fuit?
Properate famuli jussa; Paulinum volo.
O nox quieti noxia! ô somni graves!
O astra noctis conscia! An fortis furor
Felicitatis cursui insidias parat?
Gelata torpor membra trepidanti ligat
Horrore, & algens sudor è vultu fluit.
Heu noctis umbræ! dirus heu! somni pavor
Mentem inquietat, versat, affligit, rotat
Et huc, & illuc. Magne populorum arbiter
Deus, imminentûm conde fatorum minas,
Metusque somni gaudio ingesto occupa.
Paul. O dura Regum servitus, gravi licet
Premare morbo, morbidum obsequia citant.
Eudox. Ades nè tandem dulce solamen meis
Pauline rebus? *Paul.* Quis dolor mentem rotat?
Quid pavida metuis? *Eudox.* Arbitro sedes vacet
Procul remoto. Cuncta, queis vel tu premi
Pauline posses, aut ego infelix pati.
Pa. In me revolvite astra, quodcunque est malum
Quod Imperatrix metuit, & luctu grave
Pectus fatigat. Sed quis est menti pavor?
Eu. Nescio, sed intus trepido! & ingentis mali
Præsagus animus sorte se damnat suâ.
Pa. Quæcunque tantus damna formidat pavor
Nec inania esse credo, nec media puto.
Eud. Iterum pavore nuto, dum mentem quatit
Soporis altè fixus hesterni metus,

Pau-

Pauline! reliquum vocis obtruncat dolor.
Pauline! muto labra torpeſcunt gelu.
Pauline! verba cogit in fauces timor.
Paul. Auguſta luctum efferre ſi potes, potes
Malo levamen capere. Dum morbus latet,
Pœonia fruſtra ſudat auxilio manus.
Eu Vis magna vocem claudit, & vinctam tenet,
Curæ leves poſſunt loqui; ingentes ſtupent.
Paul. Pars ſanitatis velle ſanari fuit;
Qui ſanitatem poſtulat, pandat malum.
Non vult ſalutem vulneri, quiſquis tegit.
Quid eſt dolorum Auguſta? *Eud.* Solicitas tuas
Pauline lacrymas. Serò ſed ſcies tamen,
Quod & dolebis. *Paul.* Fata ſi quicquam meo
Dirum minantur vertici, ut caveam, refer.
In providentem mitius telum cadit.
Eud. Furata vixdum ſolis aſpectum quies,
Minora mundo ſidera videnda edidit,
Cùm me pavendo tenuit implexam malo
Caliginoſæ noctis obſcurum chaos.
Siſtere ſuperbæ rupis excelſo jugo,
Oculoque circum libero in vaſti plagas
Me mundi abire credidi; cùm ſe mihi
Geminus videndus exhibet cœlo caput
Miſcens coloſſus: alter Heſperiam aſpicit,
Alter Orientem, ſeque popularem ſuper
Furatus orbem, plebis undantes greges
Timore vaſto deſpicit: medius chalybs
Utrumque nectit, & catenarum rigor
Dulces perenni firmat amplexu moras.
Medius coloſſos inter accreſcit pigro

Viro-

Virore collis, quaque se campus super
Interjacentes mollior clivus levat,
Veneranda facies nemoris annosi jocos
Plaususque ventis instruit: medias vagus
Rivus per umbras errat, & quà se trahit
Molli natatu vitreus undarum lepor,
Vernus Smaragdi sequitur ad littus decor.
Circùm serenus aër, & puro dies
Venustus auro ludit, ac blandas citat
Etesiarum gratias. Medius dies
Æquo videbat limite abeuntes polos,
Ventus silebat, & quærebatur sono
Philomela dulci frondei Siren loci,
Et alumna nemoris multa concentu leves
Mulcebat auras: cùm subitus horror locum
Invasit illinc, unde Boreali sonat
Glaciatus Aquilo grandine, & pluvijs cadit
Rigidus Bootes nivibus: horrorem sonus
Venientis Aquilæ sequitur: hæc postquam aëra,
Et omne gemino terruit gyro nemus,
Imitata lapsum fulminis medios ruit
Inter colossos, seque non fausto impete
Urgens, catenas ore magnanimo increpat,
Rumpit, revellit, disjicit, & ungue abjicit
Pomum, potentis Imperî Augustam notam.
Malum sequuntur fulmina: exterrens fragor
Per opaca vallis errat. Ad flammæ impetum
Minor colossus territus, magnâ solum
Plangit ruinâ, teque vicinum trahit
In paria secum fata: quodque auget tuam
Pauline cladem, defluens venis cruor,

Mixtaque cruori vita desertum fugit.
Hinc fata mœsta, heu triste portentum auguror!
Paul. Et esse vanis somnijs certam fidem
Augusta censes? *Eud.* Ulla vix hora effugit,
Quin per timores squallida effigies meis
Oculis oberrans, sanguine & tabo oblita
Dubitantis animum quatiat, & crebrò increpet
Fidem morantem. *Paul.* Somnij illusam dolo
Inane spectrum terret. incassum pavet,
Quem noctis umbra verberat. *Eud.* Utinam metu
Torquear inani! *Paul.* Somnio fidem nego,
Quod histrionum more mortales agit,
Luditque sensus. Quidquid exacti dies
Videre triste; quidquid infaustum metu
Flagellat animum, quando nox tacitis volat
Per astra bigis, somnus exactor gravis
Diurna repetens acta, pacatam vetat
Menti quietem. Tunc per insanos metus
Animus vagatur: fortè si bilis nigra
Sese cruori miscet, & pressi intimos
Cerebri meatus occupat; metus, pavor,
Martis tumultus, scena bellorum gravis,
Cædes, sepulchra, funera, umbrarum chori,
Et insepulti Manium terrent greges.
Quoties prementem dormiens larvam timet,
Et incubantem pectori molem ferens
Clamare frustra tentat, & vinctas stupet
Hærere palmas, & catenatos pedes.
Quoties hiare lividam rictu stygem,
Et tristis Erebi luridas Umbras videt.
Quoties ruinas marmorum, casum ædium,

Et

Et mugientes fulmine excusso polos,
Et tota flammis astra vastari videt!
Non somnus omnis augur est: bilis, cruor,
Calorque formas sæpè mendaces creant,
Falluntque sensum *Eud* Fallat ô utinã hic pavor!
Sed non inanem somnij credo dolum,
Qui tam insolenti pectus affligit metu.
Paul. Deceptus animus ipse sibi larvas creat,
Eud. Præsagus utinam fraude ludatur dolus!
Paul. Quoscunq; trepidæ suspicax menti ingerit
Timor dolores, non levaturâ foves
Curâ Imperatrix. *Eud.* Sed, reluctantem licet,
Per mille scopulos naufragam mentem trahunt,
Ægroque claudæ pectori Empusæ incubant,
Et quotquot umbris pectus illusit sopor.
Metus reducit. *Paul.* An Deûm nostri putas
Posuisse habenas orbis, & nullâ diem,
Noctemque volvi lege, nec suis regi
Sortem lupatis? Regimur (hoc sat est) Deo.
Hic fata volvit, quemque vult rerum exitum,
Dat ipse; placitis cuncta divinis fluunt.
Nec sævientis damna fortunæ premunt,
Nolente cœlo, nec Deo invito polus
Benigniores sortis afflabit dies:
Utramque summus aleam versat DEUS.
Illo jubente cadimus, ad lætam diem
Illo jubente surgimus. Nectar pluit
Idem favente copia è cornu, ac idem
Jubet severis impeti telis caput.
Idem per altas ætheris vasti plagas
Natare mandat sidera, & parvos ferit

Per clara cœli ſpatia ſtellarum choros,
Aulamque multâ luce defendit ſuam;
Idemque rurſum condit alternâ vice
Mundum tenebris: nox diem, noctem dies;
Aëra ſerenum nubilus; rurſum aëra
Serenus arcet nubilum. Patere tuas
Auguſta curas dirigi, & recti tenax
Specta irretorto lumine arbitrium Dei.
Dabunt quietem ſomnia, & metus cadet.
Eudox Formido ſenſim frangitur; cadit pavor;
Cùm fata Divûm meditor arbitrio regi.
Quamcunque legem fata ſanxerunt, feras.
Serò expaveſcis tela, quæ cudit Deus.
Paul. Qui contumacis tela fortunæ tulit,
Vicit ferendo: quiſquis adverſæ cadit
Ad arma fortis, & laceſſentem dolens
Caſum recuſat, in malo duplex malum
Portabit uno. Ferre quam ſortem jubent
Superi, voluntas minuit, ubi promptè tulit,
Imaginoſus artifex Timor, & Amor,
Fateor, futura ſæpè præſagus canit:
Sed quem favores Cæſarum clypeo tegunt,
Eximius atræ lubrico fortunæ agit.
Regum timere neminem favor poteſt.
Sed qui propinquus regio lateri aſſides,
Quæ poſſe fieri non putas, prudens time.

SCENA TERTIA.

Theodosius Imparator, pomum per Chrysaphium Eudoxiæ Imperatrici dono mittit.

Theodosius. Chrysaphius.

Theod. Equidem. fatebor, regiâ dignum manu,
Oculoque pomum. *Chrys.* Qualis in vulgus tenet
Imperia Cæsar unus, & totos super
Popularis undæ solus emergit greges:
Talis minores rarus hic mali fatus
Superbientis spectat autumni choros:
Domina verendum purpura, & totum fluens
Murex per orbem Cæsarem in pomis facit.
Theo. At quod serenat Cæsarem, Augustam quoq;
Pomum serenet. Fæmina infelix viri
Olim impiato polluit pomo gulam,
Traxitque superum vindicem in caput manum,
Secura mulier esse nunc pomo potest.
Agreste donum, Chrysaphi, nostrum, thori
Regina consors, non manu indignum suâ,
Meaque sumat; faustius pomum à viro est,
Quàm fuerit olim fæminæ: primum fuit
Malum mulieris munus, at nunc sit viri.
Agat secundo gemmeos cursu dies,
Vitamque faustis prosperam evolvat rotis,
Pronumque amorem Cæsaris sui hinc sciat.
In orbe stat perennitas, pallens rubor,
Rubensque pallor proprius amoris color,
Ardor ruborem, cura pallorem imperat,
Quin à timore sæpè pallorem induit

 Amor,

Amor, timoris frater. Assiduo suum,
Quicunque amavit, roditur pectus metu.
Perge, ac amores perfer in pomo meos,
Chrys. Alis amoris nuncium ferri decet.

SCENA QUARTA.

Eudoxia Imperatrix pomum læta accipit, & illud afflicto podagrâ Paulino (ut hoc solatio dolores levet) transmittit

Eudoxia. Chrysathius. Maximus.

Eudox. Iterum fatigor. Omen hesternum metu
Solito revolvit animus, & toto tremens
Formido corde grande præsagit malum.
Sed quis citato lætus accurrit pede?
Chr. Augusta Princeps cujus ad frontem pavens
Hecate bicornis tumulat argentum facis,
Mediamque adultus Phœbus abscondit diem,
Augustus agere gemmeas luces jubet,
Vitamque faustis prosperam evolvi rotis.
In pomo amores Cæsaris tui bibe:
Vivit (suorum vota si pronus Deus
Non aure surdâ præterit) vivis quoque
Consorte tanto digna Cumæos dies.
Eudox. O Rex superbientis autumni, rubens
Pomonæ alumne, fructuum Phœbus micans,
Inter minora sidera hortorum dies!
Tuos amores Cæsar in pomo lego.
Imago amoris orbis est, omni caret
Et orbis & Amor termino Hinc pomum rubet,
Hinc pallet idem: rubor Amoris est nota,

Pal-

Pallorque amoris: quisquis hunc morti parem
Dixit, colorem mortis addixit simul.
Chrys. Dicere parabam Cæsaris jussu omnia:
Sed tardiorem prævenis. Pallor, rubor,
Et forma amoris signa, quæ refers, notant.
Eudox. In pomo Amores Cæsaris mei lego.
Utinam perennes! Maxime, ô fidus mei
Interpres animi, quando Paulinum tenet
Serpens per omnes corporis sinus calor
Lecto alligatum, quidquid ardentis mali est,
Nostri favoris nuncio pomo exime.
Maxi. Vive Imperatrix, quemq; Paulinum cupis
Morbo expeditum, rebus Imperij diu
Vivat superstes. *Eudox.* Veniat è pomo salus.
Max. Ad jussa promptos impetu gradus lego.

CHORVS.

Suspicio per Timorem & Mendacium in Aulam Theodosij vehitur. Cæsareos Genios in limine, maritali conjunctos catenâ, dissociat; factoque docet innocentes esse suspicioni obnoxios.

Suspicio. Mendacium. Timor. Innocentia. Hymen. Genius Theodosij. Genius Eudoxiæ.

Suspic. Procede pompa: rusticas
Abominamur ædes.
Mendac. Suspicio, quo Mendacium
Jubes rotare currum?
Suspic. Suspicio tecta Cæsarum
Regumque poscit aulas.

Menda. Patete scenæ cardines,
Regum redite postes,
Amamus aulas regias,
Non pauperum mapale.
Innoc. Heu experimur! regias
Evertitis curules.
Suspicio quanta diruis
Crepante regna casu?
Atlantas orbis bellua,
Quot sæva devorâsti!
Mendac. Ego potentûm provoco
Fallacijs furores.
Suspic. Ego trisulco fulmine
Regum cremo secures.
Si jubeo, Mavors prælia,
Bellona promit ignes.
Si jubeo, Amor, devortium,
Odiumque condocetur.
Si jubeo, sævis ignibus
Inambulantur arces,
Et regna vel firmissima
Unâ eruuntur horâ.
Innoc. Abscede tristis bellua
Tun' regios penates?
Ubi regnat innocentia,
Tibi regna sunt negata.
Hymen. Abscede tristis bellua:
Amor jubet: recede.
Suspic. Mendacium, quò nos trahis,
Hâc ilicet sequemur.
Mendac. Hâc ambulo Mendacium,

Quà

Quà me citant timores,
Auriga currus est Timor,
Quò me citat, volabo.
Timor. Ad purpuras, ad regias,
Ad regna, & ad coronas,
Nescisnè quo Mendacium
Nascaris in penate?
An tecta nescis patria?
Natalis, Aula, terra est.
Hic educatum nasceris,
Hic educâre natum.
Mendac. Admitte natum Regia,
Sic imperant timores;
Admitte, ego Mendacium,
Impello limen aulæ.
Timor. Arcemur hinc, excludimur:
Via vi paranda restat.
Suspicio, torque fulmina.
Fores patent: adimus,
Hymen. Heu nodus ille ruptus est,
Catena conjugalis.
Gen.1. Ego innocens. *Gen. 2.* Ego innoceus,
Quem criminis notabis?
Hymen. Tu fidus es, tuque innocens,
Nec tu reus, nec ille.
Suspicio crimen invenit
In innocente corde,

EPITASIS.

SCENA PRIMA.

Paulinus æger missum ab Imperatrice pomum accipit, illud Imperatori rarum ac regium munus offerri curat.

Paulinus. Maximus. Pollio.

Max. Pauline magnum Cæsarum votũ, ac amor,
Qui tibi per artus serpit accensos dolor,
Ipsos dolere Cæsares fecit quoque:
Dolet Imperatrix, cujus augustâ è manu
Hoc tibi levando tædio munus venit.
Paul. Etiam jacentis vivi Eudoxia memor?
Max. Vivit, tuisq́ue condolet doloribus.
Paul. Exosculamur munera Augustæ manûs.
Ringatur usque livor, & totas voret
Hausto medullas toxico, & acutis fibras
Curis perustus cruciet, immotam tamen
Meam favores Cæsarum sortem dabunt:
Sit testis hoc è regia pomum manu,
Magni favoris nuncium. Telo impari
Livor duellas: saliat in nervum licet
Totis pharetra viribus, densâ tegat
Arundo nube lucidum Phœbi diem;
Sagitta nulla Solis extinguet jubar.
Punctum tenemus altius, quam vel queat
Vatiniani dentis arrosu premi,
Vel sorte sterni. Tuta stat virtus, ubi
Nititur amore Cæsarum, & celsâ ruens
Ex arce populi turbinem undantis, suis

Ra-

Radijs venustat sidera; & Phœbi rotas.
Invidia testis laudis & meriti comes,
Virtutis umbra est: illa non humiles casas
Sed alta Regum mœnia assultu premit
Non opprimenda. Gloriæ invidiam pati est.
Accide famæ nomen, & magnæ decus
Sublime sortis, livor accisus quoque est.
At quisquis aulam sequitur, & magno potens
Favore constat, Cæsarum obsequijs emat
Auctis amores. vilia arrident quoque,
Cum rariora Regibus; etiam Dijs
Placuisse poma novimus. Si pomo emam
Cæsaris amores, lucror hoc pretio satis.
Ades citatum Pollio ad nutus gradum:
Abi sacratis manibus, abjectum licet,
Tamen æstimandum forsitan, pomum refer.
Memet venire decuit, at calidos vagans
Podagra per artus, pedibus officium negat.
Pollio. Domini volucri celero mancatum pede.

Scena Secunda.

Theodosius missum è Paulino pomum accipit, suum agnoscit, suspicionem concipit, dissimulat.

Theodosius. Pollio. Aulicus I.

Nimium secundæ sortis afflatu tumes.
Non est beatum, quidquid à casu potest
Trahere ruinam. Vivitur semper malè
Inter timenda: rumpit inflatum tumor,
Fortuna fronte suavis est, caudâ ferit,

Arridet oculis, donec in casses trahat;
Ubi traxit, arctè stringit, & gravius premit.
Nunquam beatum dixeris, quisquis suæ
Felicitatis exitum semper timet.
Ubi juga crescunt montium, ibi vallem trahunt:
Ibi ruina est proxima, ubi solium tumet.
Beatitatem molliter pauci suam
Posuêre Magni: quidquid hos levat, gravat;
Altamque nimio pondere ruinam trahit.
Quodcunq; magnũ est, cladibus propè objacet.
Cùm dormit unda Nerei, fluctus time:
Ubi sæpè lusit, mergitur navis quoque.
Quatiuntur alta montium ventis juga.
Fortuna rarò est facilis, & constans simul.
Sed ecce faustis vota volvuntur rotis.
Augusta jussus limina accedo, sacris
Donum daturus manibus, affatus suos
Ni denegârit Cæsar. *Aul.* I. Ac quali subis
Augusta Cæsaris ora cum dono? *Poll.* tegi,
Qui misit, imperavit. *Aul.* In votum dabo
Patere valvas. *Poll.* Nescio, quid animus mihi
Dictat sinistrum. Cæsarem insolitus pavor
Adire prohibet. Sæpè Cæsareos tamen
Vultus subivi, nullus adeuntem timor
Unquam occupavit, pelle solicitos metus:
Obtemperandum est jussui, en cardo sonat.
Aul. Conclave patuit Cæsaris vultus subi.
Poll. O grande columen orbis, & mundi arbiter,
Obsequia Dominum solita cum citant meum,
Vagus calore morbus articulos tenet,
Animique votis compares vires negat;

In-

Interpres animi lingua substituor, tibi
Agreste munus, Cæsaris dignum tamen
Oculis videri, & vota Paulini fero.
Theo. Agnosco veteres mentis addictæ notas,
Qua parte mundi dona Paulino hæc data?
Poll. A nesciente Auguste responsum petis.
Theo. Aut quando Domini tecta subierunt tui?
Poll. Nec hoc tenemus.
Theod. Merita revocamus: placet
Insigne munus, præmium compar feret.

SCENA TERTIA.

Demisso Paulini Aulico secum ipse variè agitur suspicione, dolore, ira, indignatione Imperator.

Theodosius solus cum Aulico.

Th. Quamvis tegantur scelera, non semper tamen
Latere possunt. Fœtor indicio putre
Prodit cadaver, fumus ardentem rogum.
Fallax Ulysses. Itanè Cæsareæ tibi
Luduntur aulæ? noster audacem favor
Pauline tenè fecit? hæc consors thori
Eudoxia fides? Illud est ipsum: nota
Impressa monstrat! pestis invisæ lues!
Aul. Si prima flamma incendio tanto crepat,
Quales adultus ignis ardores dabit?
Th. Hoc nempe frontis ille compositæ tenor,
Hoc ille vultûs horror, & vitæ rigor
Catonianus, hoc supercilium gravi
Arcu modestum, hoc facilis oculorum lepor,

Orisque ficta dignitas, promptus calor
Ad obsequendum voluit. O fallax Sinon!
Si par micaret pectore occulto dies
Par fronte candor, causa Paulini foret
Orata pridem & innocens Eudoxia.
At sæpè fictæ scena dum frontis patet,
Animus tenebris conditus suis latet.
Ignem impudicus pectoris pulchrâ tegit
Larvâ pudoris; mente qui fraudes coquit,
Fidei colores induit; modum probat,
Qui scelere summis inhiat impatiens modi;
Præfert amores fronte, cui flammis cremat
Odium medullas: invidus pronâ manu
Simulat favores: ficta componit levem
Oris modesti scena; furiosum quies
Non vera honestat; pacis osorem feri
Damnata bella Martis; audacem timor
Amorque reverens; juris inimicum Themis,
Prætexta pietas impium, virtus reum;
Simulata laudum scena, fallacem tenet.
Verùm tegantur scelera quantumvis, diu
Nullus alienam ferre personam potest.
Eudoxia! eheu! tune post tantos mei
Imbres favoris, post datam thoro fidem,
Post elevatam sorte meliori indolem,
Post jura solii, jura post sceptri data!
Potes! nefando (verba compescit dolor)
Potes! (resorbet alteram vocem pudor)
Potes! (sinite doloris immensi vices)
Tuos in unum infida Paulinum potes
Transferre amores? displicet Cæsar? placet

Lani-

Lanista fœdus, scurra rivalis meus,
Dolosus, audax, servus obscurus, nocens?
Et tu nec æquæ Themidos, aut legum memor
Oblita juris, moris humani, thori,
Tædæque conjugalis, & famæ, & tui,
Mique honoris regii, tantum scelus
Misera induisti? tuque tenebrosi Patris
Obscurus hæres, lixa postremæ notæ
Servile nomen, tune? quo trahis dolor?
Quo me revolvis criminis tanti pudor?
Pauline tantum dedecus! tantum nefas!
O quam profundi pectoris sensus latent!
Aliud putandum est, quàm quod in oculos venit.
Quicunque vult decipere, personam induit.
Hic ille vitæ simplicis, nunquam nocens
Candor, & amorum nescius, sancti tenax
Semper pudoris fictus ad tempus rigor?
O summe mundi Rector, & rerum arbiter
In tam nefanda crimina hoc passu pudor
Simulatus ibat! plura mœstitia vetat.
Penetrale subeo, dabitur hic intus locus,
Ut in dolores liber excurram meos.
Aulic. O Imperatrix! quanta tempestas tuo
Capiti paratur! jam tonat; fulmen time.

CHORUS.

Innocentiam in aula super pomo dormientem Veritas discedens deserit. Suspicio aggreditur, vulnerat, ne quidquam protegente Mendacio.

Veritas. Suspicio. Innocentia. Mendacium.

Veritas. Vale, vale Innocentia. Quam

Quàm ſomnus eſt profundus!
Vale, vale Innocentiâ!
Diſcedimus: valeto.
Non audit. at non protrahi
Diu ſomnus hic valebit.
Longos in aulis innocens
Nemo trahit ſopores.

Suſpic. Mihi nemo, nemo eſt innocens:
Virtus nocens fit ipſa.
Innoxios, & noxios
Proſterno fulminatrix.

Innoc. Ego innocens. *Suſp.* Ego nubilas
In ſole cerno labes.

Innoc. Abſcede *Suſp.* Nolo. *Inn.* Sum innocens.

Suſpic. Pomum probat nocentem.

Innoc. Mendacium! Mendacium!
Occidimur: tuere.

Mendac. Adſum. tegare pallio
Meo, innocens virago.

Suſpic. Malè tegeris: pellucida
Mendacii eſt lacerna:
Tenue quid eſt mendacium,
Non arcet hoſtis iras.

Mend. Habet. *Inn* Perimus! *Vterque.* Concidit!
Redeamus: eſt peractum.

Innoc. Heu vulnus atrox! Diſcite
Regesque ſubditique;
Malè protegi Innocentiam
Mendacii in lacernâ.
Et ſcepira quæ vos regiæ
Putatis eſſe ſortis

Sunt Arma in Innocentiam,
In vestra fata telum.
I crede sceptris, in tuam
Enses necem ministrant.

CATASTASIS.

SCENA PRIMA.

Theodosius æstu suspicionis actus Eudoxiam advocat, de pomo inquirit: illa comedisse se jurat. Indignatur Cæsar, pomum depromit, mendacii arguit, & occultos amores improperat.

Theodosius. Eudoxia.

Theod. NOn sic tumentis Nerei innantem salo,
Rixata ventis unda convellit ratem,
Cùm tundit Eurum Zephyrus, & Boream Notus,
Dubiusque pontus ambigit cujus pati
Imperia deceat: mentis ut motæ æstuat
Alternus ardor, dum maritalem dolor
Animum cruentat vulnere, & pectus coquit.
Amor dolori pugnat, & amori dolor:
Nec hic, nec ille vincit; at laniat tamen
Et hic, & ille. Siccine Imperii jubar
Amore vetito decuit, & læsâ fide
Contaminare? O Regii opprobrium gradus,
Pudorque Regum! at suspicax malum est Amor.
Adeste jussis fida famulorum manus.
Protinus adesse Cæsar Augustam jubet.

Diu

Diu latere veritas nunquam potest.
Si missa dono poma Paulino neget,
Mutet vè vultus, æstuet, dubitet, tremat;
Peracta causa est. Innocens animus sibi
Constat, nec ullo territus metu labat:
Non erubescit innocens. frontis color
Est mentis index; sceleris admissi nota est
Mutare vultus. hæret, & dubitat reus,
Et huc, & illuc fluctuat, pallet, rubet,
Ipsisque timidus capit ab auxiliis metum.
Quod vox negabit, dicet inconstans color.
Agnoscat orbis, quàm sit horrendum nefas,
Movisse in iras Cæsarem. At vultu dolor,
Animus prematur ore. succedit sera
Eud. Auguste sanguis. Cæsarum nepos, parens
Auguste Regum, gemmeo dies age
Cursu beatos. *Theo.* Surge meliori caput
Radiata in auro Cynthia, Eudoxia meæ
Pars melior animæ, grande Theodosii jubar,
Augusta Princeps, Cæsarum Mater, thori
Augusta consors, gemmeos dies age.
Secedite, vacet teste secluso locus.
Eud. Auguste Cæsar patere muneribus prius
Grates rependi, quàm tuæ evolvas mihi
Consilia mentis. *Theod.* Placuit agrestis Deæ
Tam vile munus?
Eud. Odor Achæmenium, color
Tyrium probabat, dulcis ambrosiam sapor,
Et ipse Divûm nectari certans liquor.
Theod. Credamnè dictis?
Eudox. Regii consors thori

Nun-

Nunquam fefellit. *Th.* Hæccine Augusta est fides?
Habes, teneris. *Eud.* Imperi testor notas,
Jubarque frontis lucidum, Cæsar tuum
Munus comestum. *Th.* Dædalum rursus putem
Finxisse pomo remiges pennas, tuo
Ut evolaret stomacho, & augustas redux
Manus subiret. Cernis? est ne ipsum? vides?
Vides nocentis indices mentis notas?
Quid trepida nutas?
Eud. Cæsar! an ream negem?
Fatearve? sermo trepidat, & ratio stupet.
Th. Habet hoc secutus crimen admissum timor,
Constare firmam sede rationem vetat,
Orique verba denegat: quidvis licet
Latente crimine audeat; quidvis timet,
Cum publicatum venit in lucem scelus.
Ingrata post tot merita, sum visus doli
Materia facilis? misera popularis gregis
Mediis natabas fluctibus; vulgus super
Ego te levavi; sorte Cæsarea dedi
Calcare populos, premere pulvinar sacrum,
Tractare sceptra, jura subjectis dare,
Radiare in auro verticem, nostrum pari
Thalamum tenere jure: Sed fallax fides,
Mutabilisque fœminæ! sceptri decus,
Diadema regni, jura connubii, thori
Decreta, sanctas fœderis leges, rei
Amore scurræ polluis. Testor datum
In dona pomum: sceleris agnoscis notas?
Nemo innocens est, quisquis est signis nocens,
Hæc norma juris? Quodque majori fidem

Ra-

Ratione firmat, culpa mendaci peplo
Induitur umbræ: Cæsar inquirit, negat
Rex Imperatrix · *nectaris dulcis liquor*
Ambrosia pomi placuit. O fallax! dolis
Assueta mulier! culpa si pectus reum
Nulla quatiebat, innocens poteras tuæ
Confisa causæ mentis arcanum palàm
Pandere roganti conjugi. Mendacium
Probat nocentem Excede; jam non es mea.

SCENA SECUNDA.

Eudoxia sortem suam deplorat, ac mendacium detestatur.

Eudoxia, Chrysaphius.

Eud. Quid agam? loquenti debita negatur fides,
Nec supplicantis aure suscipiet preces,
Neque lachrymantis. Cæsari qui displicet,
Ut crimen absit, sceleris est reus tamen.
Heu me! perimus! hinc inhumano minax
Augustus instat ore, nec centum pudet
Onerare probris Conjugis suæ caput,
O sors acerba! Fateor heu! misera potest
Esse Imperatrix, forma & exemplum priùs
Beatitatis, vile nunc aulæ probrum.
Vos me extulistis, gravius, ut ruerem, poli.
O quàm reciproco dubius Euripo natat,
Renatatque mundus! illa tam felix die
Ineunte conjux Cæsaris, fero die
Cadit cadente. *Chr.* Lachrymis (quid hoc?) sinus
Regina totos implet. *Eud.* O sortis favor,
Infide semper! *Chr.* Sortis infidæ rotas

Accu-

Accusat. *Eudox.* Eheu! sentio. tantum potest
Nocere, quantum profuit levis Dea.
Chr. Semper minantur fata, sed raro favent.
Eud. O turpis oris lapsus, & tanti parens
Sævus doloris: licuit heu! licuit tamen
Verum fateri: stulta, quid mendacio
Te protegebas.
Chr. Grande, quod plangit malum est,
Augusta, tristem transigis luctu diem,
Lentisque mœstas lachrymis urges genas?
Eud. Ades meorum causa damnorum, nocens,
Sed innocenter Chrysaphi in nostrum caput.
Chrys. Augusta parce, si quid admisi nocens
Nullius animus conscius culpæ est, tamen
Se perpetrati criminis reum timet.
Eud. Tu dona magni conjugis, agrestis manus
Insigne munus, nuper in nostri malum
Capitis tulisti. *Chr.* Vertat hoc telum Deus,
Quodquod tibi minatur, in nostrum caput.
Eud. Fatale pomum! *Chr* Sceleris id reum facis?
Eu. Male imputati! *Chr.* Sceleris immunes fibræ
Habent patronas semper auxilio manus.
Sibi constat animus innocens: premi potest
Non opprimi. *Eud.* Istud noctis exactæ sopor
Nuper docebat, quando dissolvi chalybs
Geminos colossos inter, ac alter gravi
Terrere casu subditæ vallis cavum
Visus colossus. Vera per somnum Deus
Quandoque narrat. Insequens noctis dies
Ostendit omen. Una labentis steti
Columna mundi, Sed steti (casus sequens
Docet)

Docet) caduca sede: furibundus thoro
Me Cæsar arcet conjugem. *Chr.* At forsan modo
Imminuit iras, cuncta quæ minuit dies.
Eudox. Non sunt furores Cæsarum leves: die
Minuuntur alia; Cæsarum cresc it furor.
Chrysaph. Augusta sic est. illa quæ lentas diu
Scintilla vires colligit, tandem micat:
Sed ubi satis bacchata, defervet quoque;
Sors longa nulla est.
Eudox. Scilicet longum est nihil,
Cùm nostra semper casus in pejus rotat.
Da spatia lachrymis, flere nunc tantum juvat.
Chrys. O tuta nunquam purpura! Euripus fugax!
Quot imminentes perpetim casus habes!

SCENA TERTIA.

Paulinus intellecta Cæsaris suspicione, hinc metu imminentis vindictæ, indè spe recuperandæ veniæ actus, quid agendum deliberat.

Paulinus solus.

O nulla veri nominis felicitas!
Uno rates jocantur, & pereunt die.
Fortuna fausta nemini, & longa est simul,
Quem res secundæ prosperant, malæ opprimunt.
O quàm beato ducit eventu dies,
Quisquis propinquam littòri navim regit;
Nec nimis in altum vectus infræni dedit
Raptanda vento lina. Qui littus tenet,
Facilè tumentes Nerei irridet minas.

Humilatentes ira Regalis casas
Non intrat: altas fulmen in quercus cadit,
Humili myricæ parcit. Erratis, Ducum
Qui teritis aulas; aula curarum parens,
Et machinatrix fraudium, mater doli,
Scelerum charybdis, mentis Euripus, mare est,
Reciprocatis æstuans semper Notis.
Quisquis favori credis, & magnâ diu
Spectatus aula, non levis memor Deæ
Latæ dedisti credulam mentem aleæ,
In me tuere, clara ludentis damus
Exempla sortis: ille terrarum Deus,
Cujus frequenti caluit affluxu domus
Semper clientum, cujus ad pedes dies
Vidit jacentes sæpè terrarum Duces,
Pronumque populum, cujus ad nutus dabat
Jura Imperator: ille qui arbitrio suo
Ipsos regebat Cæsares, aulæ atrio
Excesse jubeor. O diem luctu gravem!
Ego favores vendidi, sed nunc miser
Omni favore careo. Prô! quantum potest
Fœcunda sors mœroribus! cujus ferox
Consilia metuit Asia, nunc rebus suis
Consilia nulla reperit. Augustos lares
Adire tentem? nempè quos prior dies
Tentare vetuit. Cæsaris vultus petam?
Sed nubilosas asperæ frontis notas,
Diemque vultûs mortuum, extinctum jubar
Oris sereni, potero non trepido miser
Spectare vultu? Quisquis irati potest
Adire vultus Cæsaris, jacti potest

Vul-

Vultus ſubire fulminis, time, time.
Fulmen propinquos devorat. Frontem putas
Enubilabit? æmulus gnatus Patris,
Natura clemens, aurei mores, pius
Animus in omnes (quodque ſupremum reor)
Paulinus humilis, quidquid admiſit nocens
Paulinus, iterum terget; oppreſſos ſolet
Levare Cæſar: Cæteris nobis pares,
Uno hoc Deorum Cæſares ſortem trahunt,
Donando vitam. Prima regnantum nota eſt,
Regnare miti dexterâ. Et prædam Leo
Humilem benignus præterit: ſæpè impetrat
Veniam profuſus ſqualor; & ſupplex reus
Etiam meretur. Ibo. Quid agis? ah potes
Sperare veniam? Cæſarum nunquam ſolet
Eſſe levis ira. Quot tamen ſtratos humi
Erexit ille? parcere afflictis ſolet,
Calcare tumidos. Sæpè ſed animus ſibi
Humile imperavit aliquid, atque infra virum.
Fors & procella deſiit, turbo gravis
Seſe refregit. Graviter, & diu ſemel
Agitare mentes Cæſarum furor nequit.
Odia potentum vindicem chalybem gerunt,
Simul minantur & tonant: ſimul cadit
Fragor, & crepantis fulgur eliſum facis.
Veniam jubet ſperare, qui differt necem.

SCE-

Scena Quarta.

Theodosius tollere è medio Paulinum decernit; & qui id executioni mandent, ablegat.

Theodosius. Aulicus.

Theod. Quid agis? resistis anime? quid frustra es pius?
Vindicta! quò me timida nolentem trahis
Suspicio? vulsus animus in partes duas,
Nec huc, nec illuc certus inflecti potest.
Suspicio, sic est, dubia pro veris timet.
Quid ago? furentem Cæsar in pœnas potes
Cohibere chalybem? Recole, quam labem tuæ
Intulerit aulæ. In Cæsarem verò parum est,
Carere culpâ: suspicio culpæ procul
Abesse debet. Cæde suspectum luat,
Fors & patratum facinus. In pari est, scelus
Voluisse, vel fecisse. Non teste est opus,
Pomum fatetur. Dubia si pomi est fides,
Et hoc pavendum est: jure pro certis timent
Ambigua Reges. In malis nunquam gradu
Sistitur in uno. Lubricum est sceleris iter,
Periculosus ad aliud sternitur scelus via;
Audebit aliud, quisquis hoc audet nefas.
Quid non pavendum est? Antequam vires malū
Capiat, prematur. Nemo quem incolumē timet,
Queritur peremptum: præstat unius nece
Potare ferrum, tota quàm regni trahat
Moles ruinam. Sequere, quas justus vocat,
Castique Amoris tutor in pœnas furor.

Deliberatum est: ira vindictam vocat.
Ite hinc, & atræ debitum morti caput
Manante sensim sanguine in mortem date.
Aul. At si forensem jure compellet Themin?
The. Non audiatur. *Aul.* Supplices tendet manus.
The. Non audiatur. *Aul.* Si tuam clementiam?
The. Non audiatur. *Aul.* Si suam in regno fidem?
The. Non audiatur. *Au.* Merita si in Rempublicâ?
Theo. Non audiatur. *Aul.* Studia si sagi, & togæ?
Theod. Non audiatur: emori Cæsar jubet.
Aulic. Mandata Cæsar ordino, invitus licet.

CHORVS.

Paulini Genius suspicionis fulmina vitare nititur, sed frustra; nam in laqueos à Suspicione, & Mendacio structos incidit, & fulmine icitur.

Suspicio. Mendacium. Genius.

Suspicio. Ite ultrices fulminis alæ,
Suspicio jubet, currite tædæ.
Genius. Fugio instantis fulmina tædæ.
Suspicio. Non effugies. *Genius* Funera Cæsar
Animo volvit. Patriâ præstat
Sede relicta procul externis
Degere terris: fugimus, fugimus.
Susp. & Mend Non effugies. sequitur vindex
Furor à tergo. non effugies.
Gen Parcite tædæ. *Susp. & Mend.* Non effugies.
Genius. Quæ fugitivum regio excipiat.
Susp. & Mend. Non effugies. *Gen.* Parcite tædæ!
Susp. & Men Non effugies. *Gen.* Heu me! teneor!

Susp.

Susp. & Men. Currite tædæ. *Gen.* Pomum infœlix!
Mitte fugacem vertere terga
Susp. & Mend. Non effugies. tela volate.
Genius. Heu fulmen atrox! parcite flammæ!
Susp. & Mend. Sic suspicio, nescia veniam
Dare suspectis, fulminat orbem.

CATASTROPHE.

SCENA PRIMA.

Paulinus mortis sententiam excipit, innocentem se protestatur; necatur.

Paulinus. Aulicus.

Pau. Ergo moriendum Cæsaris jussa refers?
Aul. Utinam ipse dirâ morte cecidissem prius!
Aut muta saltem posset officio suo
Deesse lingua. Cogimur, contra est nefas
Niti, rapacis more jactamur freti,
Et obsequendum est: sortis extremæ ac ultimæ
Necessitatis nuncium invitus fero.
Sed parce Princeps.
Paul Scelere quo mortem genus
Mortale traxit, unus in mortem trahor.
Fatale pomum! & orbis exitium, & mei!
Quo jure damnor? *Aul.* Jure quo debes mori.
Paul. Lex universi me jubet mori? *Aul.* jubet
Cæsar Monarcha mundi.
Paul Inauditum! *Aul.* Jubet.
Paul Quæ causa mortis?
Aul. Culpa quæ reum facit.

Paul. Suspicio crimen suggerit.
Aul. Pomum probat.
Paul. Suspicio, fieri quod potest, factum putat.
Aul. Et hoc timere Cæsares malum decet.
Paul. Fatale pomum!
Aul Sceleris hoc pomum nota est.
Pa. Sit nota, sed ipsum crimen haud liquet tamen.
Aul. Ubi esse potuit Suspicio, scelus fuit.
Paul. Faciunt nocentem signa?
Aul Condemnant quoque.
Ex lege signa. *Paul.* Ex lege si causam exigit,
Sim reus: at illa Cæsaris pietas tamen
Sperare patitur. *Aul* Ratio, jus, leges vetant,
Quicunque crimen negligit Judex, facit.
Paulin. Cedamus anime tempori, ac iræ: scelus
Fecisse, quod sum visus, immeritus luo.
Succumbe virtus: morimur: at rutilo diem
Curru volantem testor, innocuus cado.
Probat anteactæ purior vitæ tenor,
Sine nube ducta linea ætatis prior,
Probatus aulæ candor, & veri sequax
Castæque mentis animus, exosus dolos,
Et longa virtus: Imperî augustam fidem
Appello, vitæ consciam, ac testem meæ.
Si destituto calculum mundus neget,
Tuere cœlum, terra quem peragit reum
Proba innocentem.
Aul. Mente quâ semper soles,
Pauline, consta. fortis, hoc specimen viri est,
Utramque vultu ferre fortunam pari.
Non est viri, pericla si demas, tubâ

Martem ciere, mortuum insultu & jocis
Petere Leonem. Placida cùm ludunt freta
Zephyro jocos ferente, si salvâ rate
Portum subintres, nemo miratur: mare
Fremitu & procellis æstuans Nautam probat.
Ostendit acies militem, adversi virum
Casus honestant: plurimum sibi adjicit
afflicta virtus gloriæ, ubi constat sibi.
Paul. Testor latentes pectoris sensus; mori
Non timeo: læsum Cæsarem doleo. Mori
Vulgaris est res: Cæsare irato mori,
Hoc est, quod horret animus. Innocuus licet
Moriar, nocentem authoritas faciet tamen.
Age nunc theatrum pande funereum neci.
Aul. Reserate postes, funebris pompæ locum.
Succede morti, patuit in pœnas locus.
Paulin. Iterum relabor. testor ardentem diem,
Deumque testor, non cadit animus, pedes
Exulcerato corpori officium negant.
Succedite pedes; ultimum officium mihi
Præstate misero; trita jam multis via
Alacri prematur ultimam ad metam gradu.
Et hoc theatrum gloriæ extremum tuæ
Pauline surgit? capita populorum super
Sic ambulatur? videor, & video mei
Scenam doloris. Iste funereus color,
Instructa morti Scena, fatalis rigor
Non terret animum. Vester aspectus mihi
Auget dolores. Nempe quis mentem videt
Oculos latentem? Nemo. Sed videt mea
Supplicia mundus. Inde quis dicet, necem

Paulinus obiit innocens. Quæ me reum
Ætas negabit, quando me Cæsar reum
Ad fata damnat? Nemo privatus potest
Damnare Regum jussa: Paulinum mori
Jubet Imperator; ergo promeruit mori.
Olim hoc canetur. Conscium at facti polum,
Verumque testem mentis appello Deum,
Suspicio me, non culpa condemnat. Tamen
Denunciatam Cæsaris jussu necem
Anime obeamus: fortis hoc viri fuit,
Et obsequentis. *Aul.* Quisquis extremam tulit
Sortem serenus innocens si non fuit,
Potuit videri. Causa si misera est necis,
Mors misera non est.
Aul. Stabilis, & nullo color
Terrore fugiens mentis innocuæ est nota.
Tamen obsequendum legibus: venas feri,
Fluidoque mixtam sanguine vitam extrahe.
Paul. Habeo: peractum est. Gratiæ ô vanus favor,
Ætasque vitrea! Sortis inconstans tenor
Semper nocenti melior, infidus bono.
Aul Sic aula pressos tollit, & stantes premit.
Quem lenis aura deserit, & aulæ favor,
Fatalis odii naufragum involvit mare.
Paul. I nunc & albæ sortis exceptus sinu
Lateri propinquus Cæsarum instratum preme
Pulvinar ostro, colla populorum gravi
Inscende passu, despice effusas gregis
Minoris undas: nempe non firma gradum
Statione figis. Quidquid excelsum est tremit,
Timetque casum. Quercus hoc gravius ruit,
Quô se superbo capite jactavit magis. For-

Fortuna si quem tollit, in casus parat.
Sensim fatiscit corpus, & robur cadit.
Rèsume vires anime: per fractos recens
Mens vigeat artus. Cœlites ad vos venit
Paulinus insons, innocens, solâ reus
Opinione. Pandite ætherei sacrum
Penetrale mundi, magna Paulinum suum
Spes præit ad astra. Pandite Augusti micans
Solium Tonantis: terra subsidit, boni
Tenuis recedit umbra, sincerum bonum
Dum mente volvo. Vos meæ testes necis,
Sævique casus conscii, extremam precor
Excipite vocem. Nemo confidat suæ
Beatitati: quidquid assurgit, potest
Iterum relabi: celsa quæ vulgus putat,
Prærupta crede; quæ rapi possunt, tua
Malè nominabis; illa quæ celsâ sedent
Secura mentis arce sectemur bona.
Aul. Sensim labascit.
Paulin Innocens, cœlum invoco
Scelerisque purus morior. *Aul.* O quantũ potest,
Quæ frena mundi flectit inconstans Dea!
Quid est, quod illâ sede non sternat suâ
Seu vi velit, seu fraude? Si ridet, time:
Dabit ille risus lachrymas. Si te levat,
Cave. profundam maxima ruinam trahunt.
Si ludit, ille lusus afflictam trahet
In acerba mentem vulnera. Extremum rudis
Hoc disco sortis vitream ætatem levi
Perire tactu; quodque se levat, gravem
Facili ruinam semper impulsu dare.

SCENA SECUNDA.

Eudoxia ab Imperatore Hierosolymam secedendi veniam impetrat, & discedit.

Theodosius. Eudoxia. Chrysiphius. Aulicus.

Chr Dive Imperator; tristis Eudoxia tuos
Subire vultus poscit, at tutam priùs
Pacem precatur. *The.* Merita jam pridem meis
Arceri ab oculis? *Chr.* Tracta clementis sinu.
The. Infida sperat? *Chr.* Id tuus tenor jubet.
The. Fides repellit læsa. *Chr.* Servatam probat.
The. Fractam probavit. *Ch.* Suspicax res est amor.
The. Venire patior. Et reluctantes fibras
Natura frangit, vincit & vires Amor.
Eud. Auguste conjux, (pace si licet tuâ
Hoc nomine uti, quando me tuam negas)
Et subditorum magne populorum arbiter,
Si mentis æstus patitur, & toto ream
Non perimis odio; pauca Cæsareâ precor
Non durus aure verba pro causa excipe.
Auguste conjux, fateor ex imo gradu
Miseram tulisti, quando jus æquum status,
Sceptri, coronæ, gloriæ, solii, thori
Mihi contulisti: gemina sed mecum tamen
Aulam subivit gemma, cui nequeat parem
Nutrire Ganges, aut fluens auro Tagus,
Pudor, fidesque. prima Cæsareo thoro
Data est; secundam fœda suspicio opprimit.
Utramque tecum perdidi. si te mei,
Post imputatum crimen, & læsi gravem
Opinionem juris, & Regni decus

Vel

Vel minima tangit cura, dimissam tuis
Excedere oris patere. secreto luam
Orbe imputatum crimen, ac aulæ probra.
Absens furorem mitius tuum feram.
Th Quis restat orbis, quo tuum abscondas nefas?
Eud. Quà Sol recente natus accendit face
Solymæa tecta vota concurrunt mea,
Hic osse multo Golgothæ albescit jugum,
Taboque sordens squallet humano solum,
Ubi Deus ipse brachia in partes duas
Diducta, gemino vulnere adstrictas manus,
Pedesque venis pervios sævo dedit
Ferro premendos: gentis humanæ hic nocens
Scelus expiatum est: crimen hic meum luam.
Theo. Quò te tuorum conscius scelerum vocat
Animus, abire fas sit. *Eud* Imperii jubar
Vale, valete regna. Meliori vale
Cæsar marite sorte. *Theo.* Quid frustra es pia?
Impune vota sequere *Eud.* Solymæos peto
Despecta colles aptus hic lachrymis locus,
Hic Patris iras Christus extinxit: mei
Iras mariti forsan extinguam quoque.
Abeamus anime: Solyma jam votis patet.
Abitum parate; Longa Byzanti est mora.
Feramus anime, quidquid adversum tuis
Imponit humeris arbiter mundi Deus.
Eudoxia patere. Regio sceptro cares?
Etiam carebat patrio extorris pulo
Deus Homo. Lachrymis quereris amissas opes?
Non perdidisti: quidquid ambiguus potest,
Rotare casus, esse ne tuum æstima.

Quidquid rapit Fortuna, nullius puto.
Chryſ. Auguſta Princeps immerita pœnas luis,
Quam nulla fœdat culpa. *Aul.* Sic aulæ premunt
Sæpè innocentes. *Eud.* Lubricam exemplo meo
Doceo jocantis eſſe fortunæ rotam.
Chr. At veniet albis vectus in cœlum rotis,
Qui te reponat gloriæ in ſinum, dies.
Eudo. Facilè reſurgit quiſquis in plano cadit;
At quem eminenti caſus è ſolio trahit
Speret reponi? Cæſarum eſt gravis furor.
Chryſ. Etiam tumentis ira Neptuni cadit.
Eud. Sed in tumore naufragas ſorbet rates.
Chr. Reſarciuntur naufragæ ad littus rates.
Eud. Diſperſa medio fruſta dum natant freto?
Chr. Quæ rapuit æſtus, mitior reddit quies.
Eud. Quos ira cœpit Cæſarũ premere, opprimit.
Chr. Latente vero. *Eud.* Veritas rarò ſolet
Patere in aulis. *Chr.* Veritas conſtat morâ:
Tandem una pandit hora, quod multis latet.
Eu. Sed ſera nimium. *Ch.* Propria naſcenti mora
Eſt veritati. Chryſaphî, ſi quid fides,
Aſtusque, nota ſi quid obſequia valent,
Dabitur reponi gloriæ rurſum in ſinum.
Eud. Tibi derelicta capere ſpem reditus queo.
Valete fida turba, jam tempus citat.
Chr. Vale Imperatrix.
Eud Noſter at per vos quoque
Conjux valebit. Nolit, eſt tamen meus:
Non amet, amabo: diſſitum ſolûm locus,
At junctum Amor tenebit. hoc animo fides
Nunquam exulabit. tempus invitat. vale.

Aul. I.

Aul. I. Confide rutilo frontis Augustæ joco,
Ut ridearis Invidâ sortis manu
Sceptra offeruntur. Porrigit lævâ, rapit
Oblata dextrâ, quidquid obtulerit, volans
Fulmen imitatur; quà venit, subito fugit.
Chr. Suspicio sortem prosperam à tergo premit.

ANTITRAGOEDIA,

Sive Triumphus innocentis Eudoxiæ.

ANTIPROTASIS.

SCENA PRIMA.

Dormienti Theodosio repræsentatur pompa, qua Eudoxia Antiochiæ excepta est; cùm ei, ut decimæ Musæ, ærea statua in Musarum concilio est erecta.

Chorus Statuariorum.

Chor. FRustra sollicitudinem
Virtutis studio pendis. Inutile est,
Quidquid Phidiaco manus
Sudore Oebalii marmoris erigit.
Virtus nescia plausuum,
Clangentisve tubæ, nec popularibus
Assueta obsequiis coli,
Illustrem proprii se satis ubere
Venâ luminis exhibet.
Qualis purpureo Cynthius essedo
Vivum, quà graditur, diem
Incendit radiis, nec magis exteris
Vivit cultus ab ignibus:
Talis, quà graditur, luminis orbitam

Virtus ducit amabilem;
  Nec gaudet nitidam hice domesticâ
Frontem pingere murice
  Mendacis stibii. Eudoxia si suâ
Virtute inclyta se latis
  Æternat, memores arte Corinthiâ
Quid frustra statuas levas!
  Formæ est opprobriũ grande, coloribus
Posse adscititiis coli.
Antichor. Etsi pulchra suá ridet amœniùs
  Virtus fronte; tuum tamen
  Non damnet studiũ. Surrige marmora
Admiranda Nepotibus,
  Quæ non vis avidi temporis exedat,
Non obl.vio deterat.
  Laudem incide basi: *Eudoxia Palladi*
Non impar Sapientiâ,
  Musarum decimo digna loco Dea,
Fœcunda ingenio, simul
  Fœcunda eloquio, moribus innocens;
Condemnata domi rea,
  Sed nobis sceleris pura, in imagine
Hac vincet Pylis senis
  Ætatem rigidam. Si nihil aggeris
Sic virtutis honoribus;
  At partem pretii ponis amabili
Virtutis merito; & tuo
  Es facto melior, cùm, licet impari
Conatu, egregiis cupis
  Factorum meritis solvere gratias.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Somnium rememorat Imperator; de Eudoxia ac Paulini Innocentia aliqua subit cogitatio.

Theodosius solus.

Quis dormientis pectori illusit sopor?
Inter disertos visa Musarum choros
Caput levare statua, Mygdonio Deas
Imitata in ære: decima Musarum cani
Audita nostra Eudoxia. Erravi. probant
Hæc innocentem somnia: externi favent
Populi, immerentem quando damnamus domi.
Si vera narrat Morpheus, turpi manus
Contaminavi sanguine, incautus necis
Decreta sanxi. Lenta judicia probo.
Tempore patescit veritas, licet diu
Sepulta lateat. Nulla, vel in hominem quoque
De plebe natum, propera judicia placent.
Carere potuit scelere, cui tantum favent
Inter remotas astra degenti plagas.

SCENA TERTIA.

Acceptas Antiochiâ de pompa, quâ Eudoxia salutata fuit, literas Imperatori porrigit Chrysaphius. ex quibus prima, quàm conceperat, innocentiæ cogitatio augetur.

Theodosius. Chrysaphius.

Chry. Dissimulo visas; ipse (quod voveo) petet

Cæsar tabellas: gestibus, vultu, notis
Denuntiari magna simulabo. Placet.
Etiam remotis afflat aspectu sui
Venerationem gentibus virtus. Nocens
Vix esse potuit Domina, quam populus sequax
Gratia tuetur. *Theod.* Conscias num tu mei
Portas tabellas somnij? *Chrys.* Augustum caput
Orbis veneránde Cæsar, & pridem polo
Æquande Princeps, parce, si vultus prius
Honora me non perculit species tui.
Theod. Cujus tabellas indices adfers rei?
Chrys. Momenta rerum Cæsares tractant, tuis
Indigna Cæsar vultibus petis. *Theod.* Leve
Delectat animos, gravia nolentes tenent.
Chr. Testor volenti porrigo. *Th.* Jubenti quoq;

Theodorus Chrysapio Salutem plurimam dicit.

ADvenit Augusta Imperatrix. Dea visa, cum aureo sublimis curru, salutanti Senatui, Populoq́; Antiocheno responderet. Secutus est dictionem plausus, erecta illi geminæ statuæ ære fusæ: altera forum tenet Imperatrici: altera Bibliothecam decimæ Musæ Eudoxiæ sacra. Musarum numero annumerari fecit aurea facundia. Nempè dispariæ sunt multorum judicia. Vos domi ream agitis, nos salutamus innocentem. Vix esse rea

poteſt, quam tantis favoribus cœlum proſequitur. Qua graditur Dea eſt: prævola Innocentiæ opinio Majeſtatem conciliat. Tu ſi in ejus cauſa quid potes, ne prætereas. Vale. Dabamus Antiochiæ Cal: Novemb.

Theo Quæ ſomniavit animus, hæc teſtes probant
Nuncia tabellæ. *Chr* Sæpè præſagus videt
Animus futura, ſæpè præterita quoque.
Theod. Sed cogitare ſingula exactè decet.
Int_s patebit tacitâ meditanti quies,
Redeunt amores pectori; & animum movent.
Chryſ. Benè eſt! beamur! currit in votum rota:
Primas amores rurſus incendunt faces.
Redit voluntas pronior, vetus favor.
Simulabo motum, craſtinus quando dies
Lucem quadrigâ dederit ambiguâ parem.

CHORVS.

Innocentia Suſpicionem, Veritas Mendacium Aulâ Cæſareâ flagellis expellunt.

Veritas. Mendacium. Innocentia. Suſpicio.

Verit. Excede regno. *Mend.* Verberas?
Innoc. Excede. *Suſpic.* Verberamur?
Verit. Excede. *Innoc.* Contraniteris?
Suſpic. Innoxiam flagellas.
Verit. Innoxium mendacium?
Mendac. Innoxium flagellas.
Innoc. Suſpicio non eſt noxia?

Suſpic.

Suspic. Innoxiam flagellas.
Verit. Mentiris ò Mendacium.
Innoc. Suspicio falsa fingis.
Verit. Te Regijs amoribus
Nocuisse famà narrat.
Innoc. Tu vulnere Innocentiam
Dolosa fulminâsti.
Verit. Vos Veritatem regio
A limine arcuistis.
Excede Regno. *Mend.* Parcite.
Innoc. Excede. *Suspic.* Cur flagellas?
Verit. Tu causa fusi sanguinis,
Et mortis innocentis.
Tu causa rupti fœderis,
Tædæque conjugalis.
Innoc. Excede. *Susp.* Cedo. *Mend.* Parcite.
Verit. Excede. *Susp.* Cedo. *Mend.* Cedo.
Verit. Redeamus Innocentia,
Et Veritas ad aulam.
Innoc. Tutus locus promittitur,
Superi velint perennem.
Verit. O Regiæ felicitas,
Par Cœlitum quieti:
Quam nec premit Mendacium,
Suspicio nec molestat.

AN-

ANTI-EPITASIS.

SCENA PRIMA.

Gaudet de felici machinationum successu Chrysaphius; alteras de Eudoxia Hierosolymam adventu literas producit Imperatori oblaturus.

Chrysaphius.

INcepta voto prosper impellit Notus.
Provehimur alto: prima perculsum tenet.
Et propè dolentem Cæsarem charta: in fibras
Penetrant amores, ira subsidit, cadunt
Animi tumultus: altera optatum dabit
Tabella rebus exitum. Evictum est, redis
Augusta Princeps, teque meliori tuis
Rependis iterum sorte. Non potest Amor
Semel excitatus reprimi, quando fovet
Subjectus ignis. Altera en faustæ micat
Materia flammæ.

Theodorus Chrysaphio.

AD 15. *Calend. Ian. Solyma tenuimus. Eminus adhuc spectantibus sacri Majestas loci venerationem afflavit. Dici non potest, quanti in singulis fuerint pietatis motus. Effusa ad ripam civitas pompam fecit ex-scen-*

ſcendentibus. Ad urbis valvas tenuit Clerus: Auguſtam veneratus ad ſacra pulvinaria deduxit. Sacer hic horror reverentiam imperavit. Hinc ad fora & mœnia proceſsit plauſus. Interim Eudoxia non Innocentis tantùm, ſed & Sanctæ nomen habet. Ita adverſæ ſortes aut exprimunt, aut manifeſtant, quod felices tegunt. Heri Olivetum, hodie Calvariæ jugum inviſit. Diva inter homines videtur. digna profectò meliori ſorte. Vale.

----- Perlege Cæſar: cadet
Immitis animus. Non tamen ſuxit Leæ
Ubera Lybiſſæ, non procelloſi ſatus
Furore ponti lacte commiſtas bibit
Hominum ruinas, funera, & cædem, & neces.
Et innocêntem Eudoxiam & ſanctam vocant
Populi ſequaces, calculi innocuam probant.
Diva inter homines dicitur. Non eſt rea,
Conſentientis vota quam vulgi tegunt.
Sed en dolenti ſimilis in ſcenam venit.
Maturus urget finis intenti locus.
Aggredior.

SCE-

SCENA SECUNDA

Chrysaphius Imperatricis Eudoxiæ causam apud Imperatorem Theodosium agit, & ejus animum emollit. Quare literas, quibus Eudoxiam advocet, expediri properat.

Theodosius. Chrysaphius.

Chrys. ---- O nutantis Imperij salus,
Columenque mundi; cujus ad genua jacet
Uterque terræ cardo, si sacræ patent
Aures loquenti, pauca Theodosio loquar.
Theod. Habere famulam Cæsares aurem decet
Necessitati publicæ. Loquere, audio.
Chrys. Jam sæpè Phœbus orbitam emensus rotis
Nullum sereni gaudij diem tulit.
Sæpè stetit axe media sublimi dies
Benè pexa crinem, at interim armatus manu
Caliginosæ noctis assiduus dolor
Lucem negabat gaudij; ærati gemunt
Mœrore postes, turba famulantûm gemit,
Gemunt & urbis compita, Augusti lares,
Diadema, sceptrum, purpura, solium, thorus.
Auguste Cæsar, Phœbus es mundi; tuæ
Sed viduus igne Cynthiæ, Titanem amat
Subjectus orbis. Cynthiæ ecclipsim dolet.
Alterna mundo lumina impendit soror,
Sed fratre plena. solus Imperium tenet
Per astra Phœbus, sed tamen gaudet suo
Lumine sororem accendere, & dare æmulis

Obire

Obire flammis astra: nec Solis minor
Laus est, honoris æmulam Lunam vehi.
Gaudent potentum gratiæ extendi. Vides?
Vides jacentem, squalido situ obsitam,
Mœrore multo languidam, & fletu genas
Aulam madentem? cernis & potes pijs
Aures negare precibus? *Th* An manus mihi
Illiberalis? pectus in preces dabo,
Si liberalis esse non possit manus.
Chr. Tuam reduci Eudoxiam in solium petit.
Theod. Ipsos latentis pectoris tangis sinus.
Judicia damnabo mea? *Chr* Damnantur benè,
Cùm corriguntur. *Th* Ipse me mali arguam?
Chrys. Corrigere laus est.
Theod. Facta damnantur malè
Quæ corriguntur.
Chrys. Sæpè, quæ laudem ferunt,
Mutâsse laus est amplior, quando vice
Meliore aguntur. *Th* Nemo quæ prudẽs probat,
Cum laude damnat.
Chrys. Visa tum nocens fuit,
Nunc innocentem fama posterior probat.
Theodos. Quis innocentem?
Chrys. Fama, rumor, exteri,
Domesticique: si sacro tabulas meas
Digneris oculo, quanta Solymæis Dea
Sit visa populis, Cæsar agnosces. *Th.* Lege.

Chrys. Ad 15. Calend. Ianuar. Solyma tenuimus, &c. ut sup.

Theodos. Nolentis animos, & reluctantis fibras

Eudoxia trahis. Sed tuam tanti facis
Famam Imperator? si ream absolvis, prior
Censura condemnatur, & temet reum
Agis. Vel illa est innocens, & tu reus;
Vel justa tua sunt judicia, & illa est rea.
Damnare memet nolo, damnatam vetor
Revocare. *Chr.* Regni prædo, populorum lues,
Latro petitam Cæsaris veniam in sinu
Invênit: Uni Eudoxiæ! Uni Eudoxiæ
A conjugali pectore negantur pia
Clementis animi signa! *Theod.* Paulinum necê
Per me cruentâ populus extinctum canet.
Chr. Infecta facta non queunt fieri: tamen
Facienda quæ sunt reliqua, peragantur benè.
Cædes dolorem postulat: at Eudoxia
Digna est amari Cæsari. *Theod.* Utinam regios
Lares teneret! *Chr.* Alite secundo volant
Meditata. Veniet, pagina Augustam ocyus
Regale Solymis rursus in solium vocet,
Expedio tabulas vota dum faustè volant.

CHORVS.

Paulini Vmbra persequitur Suspicionem, & ingesto Paulini sanguine suffocat.

Suspicio. Vmbra.

Tacete, vindex Umbra silentibus
Lunæ sub ipsis cornibus ad necem
Me quærit, hem! quis me vocavit?
Effugium date noctis umbræ.
Quis me recessus? quæ tegat exitimi
Latebra mundi? mergite Cælites

Phæ-

Phœbum reluctantem tenebris,
Cæca diem tumulate vela.
Caligo, noctes, umbra, chaos vetus
Involvat orbem, meque sequentibus
Umbris inaspectam latere
Cymereis patiatur antris.
Invise Titan cernis, & Innocens
Per astra curris? nec memor amplius
Umbræ Thyestææ serenos
Volvis equos, facilesque flammas,
Heu me! tenemur! vindice quid flagro
Premis fugacem? Desine. credimus
In antecedentem scelestum
Pœna sequax tonat ultionem.

ANTI-CATASTASIS.

SCENA PRIMA.

Eudoxia ad Constantinopolim redux apparet; patriam salutat; Chrysaphio reditum suum nuntiat.

Eudoxia. Aulicus.

EVdox. Resiste ductor, patriæ Augustæ eminus
Turres adora. Patuit ad muros iter.
Aulic. Salvete cœlis æmulæ terræ domus,
Sacri penates Cæsarum, annosi labor
Longus Cyclopis; majus humano decus
Labore salve: Eudoxiæ sinum explica,
Faustoque reducem rursus amplexu fove.
Eudox. Teneo potentis Imperi augustum solum,
Mise-

Miseræque votis exulis summum bonum,
Turres soli natalis, & patrios lares.
Aulic. Ut læta turba patriæ intramus lares!
Ancipite qualis nauta sub medio mari
Rate fluctuatus, quando turbatis tumet
Agitata ventis unda, & incumbunt simul
Rapiuntque pelagus infimo eversum solo
Adversus Euro Zephyrus, & Boreæ Notus,
Agitur procellis, cadit Imperio maris,
Et huc & illuc errat, ac pallens stygem
Timet propinquam; celsa si forsan Pharos
Ardente tenebras noctis evincat face,
Tenuisque sensim Zephyrus illapsus mare
Tranquillet alis, sperat, & magno petit
Amore portum: talis educta est specu
Mortis propinquæ Eudoxia, & patriæ, & sibi
Adest superstes. *Eud.* Dulcis in portu est labor,
Repetere fluctus mente; cùm exactis licet
Frui periclis. voce Chrysaphium meâ
Jubete adesse, nota dum lento gradu
Subintro nemora.
Aulic. Nulla retinebit mora.

SCENA SECUNDA.

Dum Chrysaphius cum desiderio Eudoxiam præstolatur, adest qui eam vicinam nunciat. Venationis à Cæsare indictæ nuncium accipit, opportunam hanc restituendæ Imperatricis occasionem offerri gaudet

Chrysaphius. Aulicus. Venator.

Chrys. Venisnè tandem servis accensis dies

Cupi-

Cupite votis! cujus invidiam faci
Eudoxia redux faciat, & lucem pari
Dispenset igne. Longa jam votis mora est;
Adesse pridem decuit ad tabulæ fidem.
Occurro, si fors eminus celso è jugo
Spectata, nostras gaudio terras levet.
Sed quis citato anhelus occurrit gradu?
Aulic. Adsum salutis nuncius.
Chrys. Videon' mei
Partem reversam pectoris? *Aulic.* Byzantium
Tuis citata paginis Eudoxia
Solymæ liquit tecta, & antiquos lares
Sparsos cruore Numinis. *Chry.* Qualis redit?
Aulic. Qualis marinâ Phœbus ex undâ solet,
Cùm convolutis noctis exactæ vijs,
Iterum recentes citat in officium rotas.
Chrys. Agnosco tantæ præviam stellam facis.
Sed num propinquum semitæ callem tenet?
Aul. Hinc quâ senescens Phœb' extinguit jubar
Ignota, paucis vecta subsidijs rotæ,
Paucis equorum, comite vix ullo, & humilis,
Quæ sævientem Cæsarem possit suo
Placare vultu; gratiæ fidens, spei
Plena appropinquat. *Ven.* Retibus circùm nemus
Omne obsidete; nemora vicini jugi
Terrete canibus. *Chr.* Cura quæ mentem citat?
Ven. Lustrare sylvas canibus, & reti feras
Cingere fugaces. Cæsar augustus jubet.
Chrys. Quâ parte nemoris?
Venat. Hic ubi denso citat
Agmine fugaces cervus in sylvam pedes.

Chrys.

Chryſ. Quando.
Venus. Minorum craſtinus turbas premet
Cum luce Phœbus ſiderum.
Chryſ. In portu nato!
Ite hinc, volate, veniet in caſſes fera.
Superi beamur! tempus hoc aptum dolis.
Sed quis tumultus?
Aulic. Chryſaphi Auguſtam vides?

SCENA TERTIA.

Eudoxiæ occurrit Chryſaphius, ſalutat, reditum gratulatur; l[illegible]e in ſylvâ ad tempus ſuadet, Imperatoru gratiam pollicetur.

Eudoxia. Chryſaphius.

Chryſ. Heros Princeps, Imperî Auguſtum decus,
Quanta appropinquas patriæ, & feſſas levas
Dolore mentes! qualis Eoo redux
Pelago venuſtus matris Idaliæ comes
Umbras reſolvit, luce dum juvenem præit,
Et ſolita Phœbum ad penſa naſcentem citat.
Talis renatum patriæ, & noſtro diem
Revehis dolori: ſoſpitem vel ſic juvat
Eudoxiam revidere. *Eud.* Chryſaphi ô mei
Medela morbi! Chryſaphi in tantis malis
Levamen unum! quod redux veteres lares
Auguſta regum mœnia, invidiam polo
Factura ſpecto, quodque ſuppreſſus furor
Cæſaris adeſſe Conjugem patitur, tibi
Debere fateor. *Chryſ.* Parcius laudum ſeges
Metenda Princeps: mentis innocuæ fuit

Emergere avida Nerei undantis gulâ.
Semper patronos innocens animus habet.
Precariam ceu Phœbus exosus facem
Suâ superbit; talis innocens sibi
Ipse est patronus. Veritas tandem patet,
Diu sepulta. *Eud.* Sed arte qua reddes meo
Charam marito? *Chr.* Crastinus quando dies
Solis coruscum promet in mundum jubar,
Inter penates frondeos, virides domos,
Et antra tenebris septa Theodosium dabo.
Hic una præda nobilis venies. *Eud.* Putas,
Placebo rursus? an (per[illegible]i grave
Attemperabit fulmen? *Chr.* Extinctæ ab oculis
Cecidêre pridem mentis iratæ faces.
Eudox Prior secundam sæpè tempestas ciet.
Chrys. Quando tonantis prima tempestas poli
Consumpsit iras, non habet vires sequens.
Eud. Quæ domita sæpè est visa, ad aspectum rei
Ultio revixit: hostis obtutus vetus
Accendit odium. *Chr.* Veteris at si quem premût
Odii dolores, hostis aspectu pudet
Properi furoris Fax supercilii jacet
Extincta pridem, & mentis expulsus rigor
Placidæ quieti pectoris sedem dedit
Hic inter arcus frondium, Dryadum domos
Augusta modicum tempus in moram extrahe,
Dum Phœbus undâ crastinus diem vehat.
Omnes amanti noxias moras scio,
Mori est morari: sustine hanc noctem, dies
Læta appropinquat. Cæsar hic feras aget.
Quid agas, amores suggerent: luctum preme,

Læ-

Lætitia ſemper major à luctu redit.
Eudox. Subeo propinquos frondium umbrantum lares,
Dum ſpes timori certat, & timor ſpei,
Spei facilior ſemper in bonum eſt fides.
Hoc facilè ſperat quiſque, quod nimium cupit.

ANTICATASTROPHE.

SCENA UNICA.

Audito Venationis tumultu Imperatrix ſpem inter metumque luctatur. occurrit venanti Cæſari: deprecatur. Agnoſcit errorem Cæſar. ſuſpicionem deteſtatur: veniam petit: innocentem promulgat Eudoxiam: ad aulam cum plauſu reducit.

Theodoſius. Eudoxia. Aulicus. Venatores.

Venat Properat moloſſus, jam procul lento ſuem
Odore ſentit, urget, & tacito locum
Roſtro pererrat. *Ven.* 2 Præda jam propior olet,
Cervice tota pugnat, & geſtu citat
Dominum tenentem, ſeque remoranti eripit,
Theod. Curis ſepultis, dulcis invitat labor.
Luſtrare nemora, perſequi feras placet.
Animis adeſte, prima Cæſareo ſonant
Initia cornu. *Aul* Multus in fugam ſalit
Hinc indè cervus: turba ſuccedat pari
Sonora cornu. *Theod.* Luſtra latratu ſonant.
Laxate lora, ſequere, parte iſta mihi. X

Cervus fugaces egit in sylvam pedes.
Resiste, tela porrige in casses abit.
Absiste: cecidit. Protrahite. Mensis date
Pauperibus epulum.
Aulic. Præpes in cursum canis
Leporis subacti dente jam collum tenet.
Accurre, tolle. Cæsarum ad mensas valet.
Theod. Succede sylvis intimis, dum se feræ
Intrò reducunt, & diem evitant fugâ.
Eud. Sonuêre sylvæ cornibus quantis mihi
Pectus duellat motibus! Timor, & Amor
Spes & cupido pectore sub uno tonant.
Volvor, revolvor, dubia ceu fluctum ratis
Et huc, & illuc sequitur. O rerum arbiter,
Cui spes, timorque paret, ac animi vices
Attemperantur, unus afflictis veni
Rebus patronus. Aderit, haud unquam suos
Deserit olympus. Hunc ego clypeum meo
Tendam pavori. Lectule Tonantis mei,
E quo pependit Numen, obtentu tui
Tuere famulam: si rigor frontem obsidet,
Unus quiete sternere furores potes.
Tu grande munus Cæsari datus, potes
Sedare calidæ mentis iratas faces,
Animique fluctus. Rursus à canibus latrant,
Sonantque sylvæ à cornibus. Tectum date
Frondosa nemora, donec accessum propè
Tentare liceat conjugi. *Aul.I.* Hic denso ruunt
Agmine per umbras dente minitantes apri.
Th. Quid hic per umbras serpit? accessum date.
Quæ monstra? *Eud.* Cæsar!

Theod.

Theod. Cæsarem fletu vocat.
Eudox. Pie Imperator! *Theod.* quem gem s?
Eudox. Sortem meam.
Admitte! *Theod.* Cede. *Eud.* Parce.
Theod. Cui? *Eud.* Miseræ. *Theod.* Tibi?
Eudox Genua tenenti. *Theod.* Quid petis?
Eudox. Veniam? *Theod.* Cui?
Eudox. Mihi supplicanti.
Theod. Quæ tu es? *Eud.* Ego! loqui vetor.
Theod Effare. *Eud.* Metuo.
Theodos. Cæsarem tuum paves?
Eudox. Meum. *Theod.* Quid ultra?
Eudox. Conjugem. *Theod.* Conjux? fibras
Vox ista mentis perculit.
Eudox. Meum. *Theod.* Peplo
Vultus revela. *Eudox.* Cæsar!
Theod. O Eudoxia!
Eudox. Conjux!
Theod Sacratam differ à genibus manum.
Eud. Parce, & fugetur omnis ex animo tumor.
Theod. Tu parce potius, quidquid admisi nocens.
Erasus omnis mente decessit furor,
Animo exciderunt odia. Sed fateor malè,
Malè judicavi! Conjugem innocuam, probam,
Fidei tenacem, scéleris immunem, piam
Ego in has coëgi sortis invisæ lues,
Ego innocentem perdidi, & falsum nefas
Cùm damno, mente contraho verum scelus.
Exempla terris Cæsar infelix dedi,
Quid inter aulas falsa suspicio queat.
Sed parce conjux. Tuque Cæsareos gradus

Quicunque sequeris, disce majores premi
Opinionis fulmine Heroum domos.
Eud. Mittantur ista. Si placeo rursum, sat est.
Theod. Audite fines ultimi: seu quà diem
Aurora lactat, sive quà Titan senes
Tumulat quadrigas: Sceleris immunem palam,
Eudoxiam pronuntio. *Eud.* Cæsar sat est.
Remitte plura. *Theo.* Tu magis tantò mea es,
Quantò fileri vetera depo'cis magis.
Eud. Grates rependat ille, quadrifidâ è trabe
Qui tensa membra porrigit: donum cape
Solymis paratum, & pectus in dono simul.
Theod. Placet: vereri mitte. per capitis rubos,
Pedumque chalybem: jam mea est Eudòxia!
Sit iste amoris vinculum novi novum!





CVRÆ CÆSARVM PRO DEO & POPVLO:

SIVE

THEODOSIUS MAGNVS, IVSTVS ET PIUS IMPERATOR.

ARGUMENTUM.



Via DEI vices in terris obeunt Imperatores ac Reges, DEI solius est sibi & Vicarios constituere; & cùm moles sit admodum gravis, (qua una & DEI Honor, & populorum salus continetur) in eos humeros reclinare, quorum alterum PRO DEO *firmet* PIETAS, *alterum* PRO POPULO JUSTITIA. *Hinc collata solùm stabilit Imperia* DEUS, *destruit arrogata. Illius Theodosium, hujus Eugenium*

nium exemplum damus. Cæsarem non unus hostis pressit: unus ille DEO auspice omnes oppressit. Prostrato Maximo surrexit Eugenius, cui Imperatoris titulos per summum nefas Arbogastes imposuit; quos tandem DEUS justè eripuit. Ejus tyrannidi ut obviet Theodosius, exercitum in Europam traducit. Ne temerè bellum ineat, eventum providet; quem ubi felicem futurum ex Ioanne Anachoreta audit, DEI nutum intelligit, ut PRO DEO & POPULO se murum opponat. Agit: sed dissipato primùm exercitu campum deserit; non DEUM. Sed nec ipse deseritur. Exhausta videbantur humana media; affluxêre Divina. Reductus tantisper in sylvam ad ædiculam sacram noctem inter preces vigil exigit. Orantem erigunt SS. Ioannes Evangelista & Philippus cœlitus allapsi. Recolligit copias Arbetionem Eugenii Ducem ad suas partes traducit. Eugenium jam propè devorata Victoria tumidum aggreditur: Pugnant pro Theodosio venti, qui magno impetu in ora hostium pulveres convolvunt. Pugnant & Cœlites, quorum exercitus visus est tela è nubibus jacere. Conficiuntur hostiles copiæ, Eugenius capitur, sistitur Theodosio, conjicitur in vincula, ac tandem (ut plurium fert opinio) ejus jussu occiditur. Arbogastes verò, rerum incentor sua se manu confixit.

Hanc victoriam adeptus, (*verba sunt Theodoreti lib. 5. Hist. Eccl. cap. 25.*) Filiis regnum ita distribuit; majorem natu sibi in Imperio succedere, minorem verò Europæ tenere sceptra statuit: utrumq; hor-

hortatus, ut pietatem perfectam custodirent. *Vide memoratum Theodor. loc. cit. Niceph. lib. 12. à cap. 38. Socrat. lib. 5. cap. 24 25. Zosim. lib. 4. Et ex his Bellarm. lib. de offic. Princip. Christian.*

PERSONÆ.

Theodosius Imp.
Arcadius Fil.
Honorius Fil.
Eugenius Tyr.
S. Ambrosius.
Arsenius.
Ruffinus.
Theonas.
Duces Theodosii.
Arbogastes.
Flavianus.
Arbetio.
Duces Eugenii.
S. Joannes Evang.
S. Philippus.
Ormundus Magus.
Genius Theodosii.
Genius Eugenii.
Fortuna.
Pax.
Joannes Anachoreta.
Senatores.
Europa.
Asia.
Africa.
America.
Victoria.
Ambitio.
Furor.
Bona Causa.
Spes.
Icarus.
Imperium Orientis.
Imperium Occidentis.
Genius Arcadii.
Genius Honorii.
Ratio
Fauni.
Salii.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

Ioanni Anachoretæ belli Theodosium inter & Eugenium Tyrannum exorti successus divinitus ostenditur; indeque Pax Ecclesiæ nascitura.

Iustitia. Pietas. Ioannes Anachoreta. Genius Theodosii. Genius Eugenii. Chorus cœlestis. Chorus Anachoretarum.

Chor. An. PAcem rogamus, sidera,
Beate pace mundum.
Soletis astra tristia
Mutare sæpè lætis:
Jovem pluentem tergere
Sereniore sole:
Exæstuantem Nereum
Componere ad quietem.
Soletis astra ludere;
Nunc premere, nunc levare.
Si luditis, pars prima sit
Hic terminata lusûs.
Pressistis orbem Maximi
Desæviente ferro.
Quid rursus arma ab altero
Minitamini Tyranno?
Pressistis orbem; ludite
Nunc alteram choream.

Marte exulante prælia
Compone Pax quiete.
Pacem rogamus: sidera
Beate pace mundum!

Ioan. Meruimus ergo Christe, Regnorum salus,
Ut fulminantem præliis semper novis
Patiamur iram? nuper albente ebrius
Felicitate Maximus strages diu
Cladesque sparsit. Vidimus quantum furor,
Et impotente posset effrænis calor
In arma nisu. Vidimus: piget loqui:
Vidimus amicos Urbium sterni lares,
Monumenta Regum dirui, & crispâ face
Ardere turres, sanguine cadentûm Patrum
Miscere natos sanguinem, & nondum tamen
Justè minantis ira satiatur Dei?
Nunc impiatâ gentis everso sacræ
Eugenius ardet dexterâ, & Martis parat
Ferale fulmen. Quantus undabit cruor,
Dum fulgurante vectus impulsu fragor
Propellet arma! Christe, qui strictas vides
In nostra flammas capita, qui venti horridas
Evertis acies, ac serenato excutis
Nubes olympo, frange minitantem tuo
Gregi procellam; sceptra quâ semel manu
Pio dedisti Cæsari, fortis manu
Tuere eâdem: quemque tempestas solo
Sereniorum siderum aspectum abstulit,
Repone terris: facilis ex alto Pater
Compone bello concitum Imperii salum.
Aut si procella dexteræ armatæ placet,

Parce innocenti Cæsari, & fontem preme.
Quid video? cœli nube revolutâ patent,
Geminusque ferro miles incumbit sibi.
Fallor? an ab altâ sede venturos Deus
Motus retexit. Dire quo fremis Draco?
Assurge victrix ales, & monstrum preme.
Genius Theod. Cruente! *Gen Eugen.* Dire!
Gen. Theod. Barbare! Moriere. *G. Eug.* Non inult',
Genius Theod. Impune nemo Numina
Lacessit in duellum.
Gen. Eug. Impune nullus impium
Sceptrum diu rotavit.
Gen. Theo. Paci studentem publicæ
Juvat benignus æther.
Gen. Eug. Paci minantem publicæ
Olympus execratur.
Gen. Theo. Exulcerâsti publicæ
Lene otium quietis:
Peribis. *Gen Eug.* Et te, & sidera
Mecum traham in ruinam.
Perit libenter, qui suâ
Hostem premit ruinâ.
Gen. Theo. Ego te. *Gen. Eug.* Ego te.
Gen. Theo. Robora
Deus hanc in arma dextram.
Gen. Eug Heu! heu! perimus. *Prolabitur.*
Gen. Theo. Hoc habet
Iust. & Piet. Io triumphe Cæsar!
Gen. Theo. Ecclesiæ hic triumphus est.
Omnes. Ecclesiæ est triumphus.
Pax hinc amica Ecclesiæ,
Pax nascitur. Triumphe! Io-

Ioan. Sopornè mentem lusit? an veram polus
Speciem futuri finxit? Agnosco ô Deus.
Nemo scelestus pariter & felix diu
Imperia vexat. Sceptra qui dolo petit,
Sibi ruinam sternit. I, felix latro
Ventis secundis Eugeni: quæ te vehit
Fortuna ad altà, cereas pennas habet.
Ubi prope steteris solis augusti faces,
Excussus astris Icarum mundo dabis.
Fortuna stabilem nemini servat fidem.
Quin si secundâ forsan exultet rate,
Lentâque pace gaudeat felix scelus,
Vindicta semper imminet. Quamvis pede
Progressa tardo veniat, at venit tamen,
Et tarditatem verberis stricti manu
Graviore pensat. Eugeni, miser jaces!
Hæc sors scelestos sequitur. At Victor super
Plaudentis undas Imperi Cæsar volas.
Virtutis hæc sors. lenta vilescit; nitet
Tentata melius: quæque jam gravi manu
Premi videtur, altius in altum exilit.
Turba hospitatrix rupium, quando Deus
Desideratum pacis ostentat jubar,
Et faustitatem nunciat, mecum Deo
Repende laudes; quamque promittit diem,
Ut celeret ipse, evince ferventi prece.
Chor. Anachor. Es Deus, orbem qui regis! altam
Nunquam sortem crescere pateris,
Ut tua sortem dextra tumentem
Non emineat; nec tui amantes
Unquam tantùm pateris sterni.

Ut tua rursus dextra levare
Nequeas stratos. Ibit felix
Scelus Eugenii; sed non lenta
Pœna sequetur. Veniat! Veniat!
Optata dies, quâ Theodosius
Læto pacem differat orbi,
Seroque paret sceptra Nepoti.
Veniat terris optata dies!

SCENA SECUNDA.

Theodosius à milite Sacramentum accipit. Mittit Ruffinum ad Joannem Anachoretam, ut de belli eventu sciscitetur.

Theodosius, Ruffinus Duces cum Exercitu.

Theod. Studia quietæ pacis, & lene otium
Tranquillitatis aureæ semper furor
Mavortialis lambit, & quâ se vehit
Pax alma curru, sequitur, ac sævum imprimit
Dentem curuli. Magna non constant diu
Fortunâ eâdem regna. Si solis jubar
Vident in ortu gemmeum, medium diem
Sæpè atra nubes delet, & avitum rapit
Oculis nitorem. Nulla sine nocte est dies:
Et sæpè nox est longior. Nondum bene
Sparsus refrixit nuperi belli cruor,
Cùm nòs timenda Maximus pressit manu,
Et quam parabat alteri, cladem tulit:
Et jam secundus regna populator premit,
Strictamque genti portat in ferro necem.
At non jacebo. Causa cùm Dei vocat,
Languere scelus est. Ille qui populos super

Cla-

Clavum gubernat, Numinis vicem subit,
Partes in omnes semper attento vigil
Speculator oculo, ne novercalem trahat
Fortuna scenam, seque per tragicos agat
Inimica lusus. Et licet magno fremat
Bellona risu; quando pro DEO damus
POPULOque in arma pectus, acclinis cadit
In nostra Laurus capita. Jam doctus loquor;
Nunquam rotavi acinacem, nisi pro DEO, &
POPULO: secundam semper at palmam tuli,
Quoties in arma prodii. Nunquam DEUS
Suæ studentem gloriæ magnâ diu
Periculorum mole sustinuit premi.
Properate mecum bella, si quibus calet
In corde Martis ardor, aut mentem cremat
Laudata honesti flamma; si patriæ salus
Si liberorum cura, si DEI movet
Amor tuendi. *Ruffinus*. Desides odi moras,
Quando patronos omnium vocat salus
Communis enses. Patriæ auxilium negat,
Qui lentus adfert. *Theod*. Capite venali placet
Regnum tueri? *Ruff*. Militem Cæsar rogas?
Infamis illic vita, ubi præstat mori, est
Moriemur? Illum fama non patitur mori
Sero Nepoti, quisquis heroâ nece
Patriam redemit. Funeri extremo super
Oblivionis ultimæ ignarus viget,
Quisquis ruentis patriæ casum suo
Casu antevertit. Ibimus, qua Mars fremit,
Ex toxicatâ jactat infernos manu
Bellona colubros. *Theod*. Ægidis vicem dabis

Fidelis

Fidele pectus Cæsari. *Ruff.* Pietas, Fides,
Amorque Regum census est Vixi satis,
Si morte nostrâ vivere ô Cæsar queas.
Theod. Suspicio fidi pectoris apertam indolem.
Eademne mens est militi? *Mil.* Ad vitam & necē.
Dux. Arena votum militum est, Quisquis timet
Casus honestos, gloriæ heroum timet
Subire callem. Gloria & casus viā
Currunt eâdem. *Theod.* Nullus in nostrum caput
Penetrabit ardor ense? *Dux.* Nisi nostrum petat.
Per nostra solùm pectora ad Regem via est.
Theod. Securiore mœnia objectu Ducem
Nunquam tuentur. Laudo bellaces manus,
Vastumque Martis spiritum. Verùm priùs
Quàm gemina campum teneat adverso cohors
Animata fremitu, nobili exemplo suæ
Præludat iræ. *Dux mil.* Concrepet Martis canor,
Dum mota signa fluctuant Arcus leva.
Vola in phalangem. pande per medium viam
Iræ volantis machinæ. Junge ordinem.
Posterior alas explicet miles. Genu
Pugna recurvo. Rursus in phalangem abi.
Terga fugientum persequere. Veteri pedem
Statione firma. Repe. da terga in fugam.
Subsiste. Quivis ordinem tuum cape.
Triplicate frontem, Flectere in lunam Vola
Latus in sinistrum. Dexterum in latus veni.
Pedem revolve. Densus in globum rue,
Constringe turmam, Rursus in phalangem abi.
Obverte frontes, Pes pedem trudat. Humero
Suspende nervos. Chalybe flammescant manus.
Con-

Conflige. Repete. Conde jam ferri minas.
Arcum resume. Triplica frontem. Tuum
Pronus verere Cæsarem, *Theod.* Vincis mei
Propago Martis, magna cui Virtus manum,
Laudanda pectus ira, cor sancto furor
Obarmat æstu. Sed tamen polus sinu
Arcana velat: nemini eventus licet
Certos videre. Fama si verum canit,
Hospes profundi nemoris, & cultor Dei
Est, cui futura sæpè præmonstrat polus.
Hic fortè nostra fata, & eventus dabit.
Ruffine, nutum sequere: quid cœlum probet,
Velitque Numen, hospitem antrorum roga.
Quod auspicante Numine aggredior, dabit
Feliciore fine concludi Deus.

SCENA TERTIA.

Eugenius Tyrannus, ut belli eventum intelligat, Flaviani Præfecti persuasionibus Magum consulere statuit.

Eugenius. Flavianus.

Eugen. In arma ruimus. Fata quò vergant, timet
Muliebre segnis flamma cui pectus dedit.
Hæc una Regem gloria augustum facit,
Quæsisse bello gloriam. Nescit reses
Sibi dare Virtus otium, quando calet
In magna famæ nomina accensus cruor.
Si cui Coronæ pectus accendit sitis,
Laudabilisque corda solicitat calor,
Hâc arte quærat regna: concussis metu
Impellat urbes, fulminet, cœlum solo

So-

Solimque cœlo misceat. Virtus Ducum
Nescit quietem. Degener somnos amat:
Cor inquietum Regibus cœlum dedit.
Non benè solutus animus incumbit rosæ,
Cùm dura *Martis* arma venalem ambiunt
Cohorte laurum. Pergimus quà nos vocat
Bene auspicatæ gloriæ impatiens sitis.
Flav. Frustra labores Martis, & campi graves
Movemus iras, cœpta nisi Divûm pater
Fausto secundet omine. A Diis venit,
Quæcunque palma militi nostro venit.
Eug. Palmam neganti hæc dextra diripiet Jovi.
Flav. Lacessere Deos abstine.
Eugen. Superûm metu
Belli timores obtege. O Martis virum!
Metui colorem ut induat, fingit Deos
Obstare factis. *Flav.* Sæpè qui linguâ tulit
Audace Martem, trepidus aspexit micans
Hostile ferrum. Vincere eventu potest,
Qui dura nullo bella consilio incipit:
Sapienter ille vincit eventum sua
Qui providente in arma consilio trahit.
Eug Qui providere semper eventum volet,
Sapientis equidem nomen in vulgo feret,
Perdet animosi. *Flav.* Bella consilio decet
Tractare Reges. *Eug.* Quando vis animis abest.
Fl. Vim temperari convenit. *Eug.* Quando tepet.
Flavian. Quando ferocit.
Eugen. Nempe tunc timet minus,
Fl Minusque terret. *Eu.* Frangit obstantes moras.
Flav. Sæpius at ipsa frangitur. *Eug.* Suâ tamen
Re-

Refert ruinâ gloriam. *Flav.* Vulgo *Eug* Sat est,
Flav. Errore vulgus ducitur. *Eug* Si quis viâ
Errare possit publicâ. *Flav.* Viâ quoque
Erratur etiam publicâ, quando aspicis
Tritam, terendam negligis. *Eu.* Trita hæc simul,
Simul & terenda est; impetus quà nos rapit
Calentis animi. *Flav.* Si polo venias calor.
Eug Credam calere siderum à flammis, mihi
Quoties calescit animus. *Flav* Indicio fides
Si fulciatur. *Eug.* Quis poli indicium dabit?
Flav. Futura cui non invidet cœli favor.
Ormundus ille est: cujus ad vocem stupet
Attonitus æther, cujus ad nutus equos
Revocat in ortum Cynthius, mare infremit,
Hiatque terra. *Eug.* Fausta num cœlo trahat
Felicitatis omina Ormundus, magis
An arte possit Colchicâ eventum dare
Rebus beatum, quære, qui semper meæ
O Flaviane quæris optatos rati
Afflare ventos. *Flav.* Adsit Ormundus. Tuis
Magnanime Princeps interim votis meros
Dispone Zephyros: omina Ormundus dabit.

SCENA QUARTA.

Ormundus Magiam exercet. Dehortatur Eugenium, sed hic magis Flaviani persuasionibus impulsus bellum prosequi decernit.

Eugenius, Flavianus Ormundus.

Eugen. Ormunde! *Ormund.* Princeps maxime.
Eugen. An curas vides.

Du-

Dubitantis animi? *Or.* Video Cæsareæ avidum
Procum coronæ. *Eug.* Nempè Cæsareum jubar
Irritat ignem mentis. *Orm.* In flammas eat.
Eugen. Eventa belli prævides?
Ormund. Possum. *Eugen.* Volo,
Ormunde, quidquid Thessalis herbis vales,
Fac prævidere prælij eventum queam.
Orm. Videbis. Atræ dexteram virgæ admove:
Et Flavianus. Basium labris date
Manui sinistræ. Circulum scribo. Loco
Hoc considete. Sive se pandat supra
In fulmen æther, sive discedens hiet
Terra in cavernas, sive funereis mare
Fremat procellis, abstine verbo, sacra
Quicunque spectas; donec è circo gradum
Efferre detur. Mira si videas, tace.
Horrenda si te spectra circumstent, tace,
Amica si te forma delectet, tace.
Verbum inchoata sæpè turbavit sacra:
Unum vocatos verbulum offendit Deos.
Si quid rogâro, verticis motu annue.
At jam vocare Spiritus notos juvat.
Adeste per quos Æolum, & ventos premo,
Adeste trini spiritus, vester vocat
Obsequia Princeps. Ferte famulari jugo
Me in alta venti, desides cæcis traham
Nubibus alumnos. Venio, densatum in sinum
Coite nubes, Spiritum obsequijs meis
Trinum daturæ. Sentior. geminæ citant
Nubes volatum. Terga suppono: date,
Quod opto pondus, Eugeni, ad nutus tuos.

Tria-

Triadem paratam defero. Hoc circo veto
Efferre gressus Igneas mentes suâ
Vocabo sphærâ. Ferte me faciles sinu
Ad alta nubes, quà superfusis volat
Flammatus æther ignibus. Mago fidem
Elementa præstant. Lente quid dubitas pole?
Celeri volumen nubium emitte impetu.
Parete nubes, terga calcantem Magum
Inferte cœlo. Spiritus vagi, mea
Audite jussa. Primus inscensum meis
Concede pedibus: alter in dextram veni,
Alter sinistrâ conside. Vive Eugeni!
In vota paret igneus cœli globus.
Assurge. Circum scribo, quo clausos veto
Efferre gressus. Maria jam Nereus mihi
Sinumque pande Tethyos. Lentâ pedes
Attollite algâ, claudite hoc circo gradum.
Dehisce tellus: pande vicinos nigris
Manibus hiatus. redde, quod semper soles
Mago tributum. Mugit ex imo solum,
Sinumque laxat. Exili. Ormundus jubet.
Isto ligatum circulo pedem tene.
Iam magne Princeps, si quid ad votum jubes,
Jube. Placetnè maria turbari, & solum
Miscere cœlo. *Eug.* Perage.
Ormund. Diffugiunt. sile,
Silere jussi. Spiritus solùm meam
Novére vocem. capitis annutu indica,
Si quid jubebis. Blandius vocis melos
Meditabor, ut refascinem obsequijs chorum.

Ve-

Venite amici Spiritus,
Qui inambulatis ignem:
Qui fluctuatis per mare:
Qui luditis per auras,
Terrasque qui convellitis,
O spiritus venite!
Designo rursus circulos:
O Spiritus venite!
Venite amici Spiritus,
Ormundus imperavit.
Subite ductos circulos,
Ormundus imperavit.
Crudi, scelesti! nempè sum vobis joci
Materia visus? agite quod Magus jubet.
Primum favere prælio Eugenij bonum
Jubete Martem, & debitam palmam dare.
Chorus Spirit. Mars amice, Mars cruente,
Imperator præliorum:
Mars calentis author iræ,
Pectorumque suscitator,
Punge corda nostra telo,
Sanguinemque bullientem
Gloriosos duc in ausus,
Debitamque pôrge palmam
Mars amice, Mars severi
Imperator agminis.
Orm. Magnanime Princeps, si quid effectum voles,
Jube, obsequentur. Visnè turbari polos?
Jubesnè pluviam nubibus? Jubes nives?
Jubes sonare grandinem? noctem jubes

Ob-

Obire cœlos? astra nocturno jubes
Pendere olympo? sidera abscondi jubes?
Tonare cœlos? cadere fulminei polo
Ignis procellas? crine ferali jubes
Cadere Cometas? Ire saltantes capras?
Flammeos Dracones? Vis inasluetis mare
Fremere procellis? Monstra vis toto excita
Spectare ponto? Vis serenatos supra
Zephyros jocari, perque tranquillum mare
Sirenas ire? Visnè concusso solo
Nutare montes? Dividi immani jubes
Terras hiatu? Serpere implexos jubes
Angues chelydris? varia præcipiti impetu
Volare monstra? Cernis in quantam Magus
Effundat artem! Quicquid ad votum tuum est,
Sperare nostris Eugeni à dolis potes,
Vocate rursum in omina armorum patrem.
Ch. Spirit. Inquietæ mentis ardor,
Segnis ira, lentis fervor,
Pectorumque deses ignis
Surge in arma, stringe ferrum;
Et cruore prostituto
Nundinantes militare
Lucis aurum, gloriosa
Duc per arma; sanguinique
Vende palmas Sic precantûm
Vota Mavors approba.
Ormund. Imitata Salios turba Gradivum voca.

Sub

Sub ſaltu immugit tellus, audiuntur bubones & cuculi, fiunt varia auſcultationes, cadit de Salijs unus, aufertur cum lamentatione. Ruit ipſe Eugenius. Exclamat. Diffugiunt Spiritus.

Eug. Portenta rerum! prodimur? vel quam meis
Infauſte bubo prælijs ſortem canis?
Orm Diſcede votis Eugeni: hoc omen jubet.
Præſentit animus fata, quæ tuo parat
Numen ſiniſtrum prælio. Invito DEO
Nemo benè bellat. *Fla.* Hoſtibus metus cane:
Meliora nobis. *Orm.* Non licet. Potes tamen
Fata impedire. *Flav.* Nempè ſi dici jocus
Ludibriumque Martis Eugenius velit.
Orm. Si ponat arma.
Flav. Fœminæ hoc ſuade. Virum
Semel inchoatum proſequi Martem decet.
Ormun. Niſi damnet æther.
Flav. Lenis aſpirat polus.
Omen ſiniſtrum Cæſarem tangit: favor.
Inclinat in nos militum & populi fidem:
Et tarda lento vota ſucceſſu trahes?
Spes certa ſæpè perditur, quando metu
Trepidante premitur.
Orm. Sæpè quam certam ſibi
Cupido finxit, nulla in eventu fuit.
Flav. Virtute fulta ſemper ad votum fluit.
Or. Virtus putatur, impotens animi eſt furor.
Flav. Ubi furor armis inſidet, certæ ſpei
Affulget ignis. *Orm.* Mota qui ſævo gerit
Furore bella, robur abſumit ſpei.

Eug.

Eug. Magnanimus ardor spem suam à vobistra-
Spe, quę & ausus impetu pari ruit. (hit,
Orm. Nec spes, nec ausus servat audenti fidem;
Nec ira felix semper est. *Eug.* Si eam premas.
Orm. Premere furentes impetus Virum decet.
Eug. Non est virilis flamma, quæ premi potest.
Eamus: ista nostra, si Mavors favet,
Spes est in armis, gloriæ in partem viri
Adeste mecum; quidquid accedet meo
Fœnoris honori, fœnus id vestri volo
Honoris esse: quisque constantem Virum
De militari pectore in manum vocet.
Si quam pararint Cœlites palmam mihi,
Victoriosis spolia dispergam viris.
Orm. Quæ liberali spolia dispergis manu,
Tenuisse par est: spolia, quæ nondum tua,
Victoriamque dividis, quam non habes.

SCENA QUINTA.

Ruffinus ex Ioanne Anachoreta intelligit prosperum futurum suscepti belli pro parte Theodosij eventum.

Ruffinus. Ioannes. Chorus Faunorum

Ruff. Hucusque densis nemora gradienti comis
Umbras dederunt, donec exeso specu
Verende magni Numinis cultor, mihi
Es evolutus. Causa quærendi fuit
Salus amata patriæ. Laudes tuas
Aperuit orbi Numen, & passim fide
Magnus vocaris, cui futurarum patent

Momenta rerum, cuique consilia polus
Arcana pandit. Regna, si nescis, petit.
Ferroque & igni vastat Eugenius solum.
Ioan. Nunquam tumentis impetus mentis sapit.
Tentare quidvis audet; at suis perit
Plerumque flammis. Opprimi nunquam potest,
Cui pugnat æther. Vera, si menti Deus
Nostræ est locutus, Cæsari ad palmas viam
Hæc bella sternunt. Tumuit infamis latro,
Ut celsiorem Cæsarem ostendat solo
Calcatus olim. Testor arcanos poli
Sinus latentis, Cæsari Deus favet,
Certamque palmam destinat. Fidem Deus
Ostende dictis. *Ruffin.* Quis canor ad aures venit?
Quæ bella densis nemora sub scapulis alunt?
Ioan. Subsiste. dictis Numen adportat fidem.
Fauni. Victoriam! Victoriam!
Victoriam canamus!
Victoriam! Victoriam!
Pan magne, Pan triumpha!
Qui nuper antra murmure
Vexabat insolente,
Jam victus est. Victoria!
Pan magne, Pan triumpha!
Non semper ille Victor est,
Quem concitant furores.
Tulisse Martem, est sæpius
Victoriam tulisse.
Victoriam! Victoriam!
Pan magne, Pan triumpha!

Ioan. Non vana nemorum spectra Ruffine autumes,
Faciunt futuris rebus ostenta hæc fidem.
Nunquam Tyrannus tempus in longum suos
Trahit triumphos. *Ruff.* Ille sed nimis diu,
Qui cæde populos vastat, atque impos sui
Per Itala rura ductus Imperium gradu
Quærit cruento. *Ioan.* Qualis hic Faunis stetit
Ludibrium rursus, talis Imperio jocus
Erit Tyrannus. Qualis est magno datus
Pani triumphus, Cæsari talem parat
Acclinis æther. Ille, qui terras sua
Sub arma cogit, quique terrarum Duces
Frenat lupatis, juribus causæ favet.
Educat arma Cæsar; in campo viret
Jam certa laurus Martio; ac tumidæ jacent
Consilia mentis. Quidquid intumuit nimis
Vastæ est ruinæ proximum. *Ruff.* O Divis sacrum
Caput Joannes, omen accipio; at meas
Non antè lauros numero, quàm partas feram.

SCENA SEXTA.

Eugenius Tyrannus exercitum ad Alpes Iulias locat. Iovis Fulminei statuas erigit, & adorat, Labaris signa Herculis præfigi jubet.

Eugenius, Flavianus.

Eug. Fæcunda laudum messis, & magna parens
Generosa Virtus Gloriæ, in campum vocat
Tua arma miles. Quæritur regnum mihi,

Æterna vobis fama, quam decimi canant
Olim Nepotes. Quidquid hic mentis calor
Vestræ meæque postulat, totum sedet
Vestris in armis, pectore in vestro, & manu.
Causa ipsa stimulos addit. In causa Ducis
Posuisse vitam, militi summum est decus.
Audete pubes: tempus hoc poscit viros,
Manusque & arma. Julias alpes tenes,
Mox & coronas Julias. *Flav.* Robur vides
Vivax in armis. segnis hic nulla est manus.
Quodcunque poscis, ensium hoc fulgur dabit.
Eug. Hoc astra rumpam tramite, & vasto inseram
Trophæa cœlo. Gloriæ gustu ebrius
Nunquam quiescit spiritus. Subter cavis
Hic miles antris pone tantisper grave
Pondus lacertis, donec aspiret dies
Parata pugnis. Interim magni Herculis
Præfige signis signa. Da ventis jocum.
Quicunque signa hæc aspicis, mente Herculem
Indue animosâ. Vallis à multâ Jovis
Statuâ colatur. Igneæ hic sistit Deus
Virtutis author. *Flav.* Sentio. Ardescens fibris
Inserpit ignis. *Eug.* Euge! dum ferrum calet,
In arma prodi Cæsar: Imperium mihi
Dabis & coronam. Vilis est sanguis, suâ
Qui sorte marcet: vividus gregem super
Popularis undæ tendit, & solio inhiat
Supremo honoris. Ite jam rupem in cavam.
Ferrique pondus ponite, sonorus tubæ
Dum canor ad aures lapsus in pugnam vocet.

CHO-

CHORVS.

Genius Theodosij à Genio Eugenij persecutionem passus, se sub Bona Causa, Iustitia ac Pietatis tutelam recipit.

Genius Theodosij. Bona Causa. Pietas. Iustitia. Furor. Ambitio. Spes.

Gen. The. Ergo timenti nulla salutis
Spes data menti? Furor insano
Sæva ministrat tela Tyranno,
Cædemque parat: Nil sine pace
Dulce dolenti est usquam menti.
Quid quæso refert, an mihi stringat
Corda catenans aurum, an ferrum?
Si perit isto, si perit illo
Sacra libertas. O dura mei
Prælia cordis! Nil sine pace
Dulce dolenti est usquam menti.

Spes. Pax licet absit, spes pacis adest.
Quando timentem prælia mentem
Armis cingunt: sanguine tingunt:
Una dolenti superest menti
Pacis amandæ spes reparandæ.

Gen. The. Spes sola necat. Nil sine pace
Dulce dolenti est usquam menti.
Cernis ut instant hinc terrores,
Inde timores, inde furores?

Gen. Eug. Non dabo pacem. Licet insani
Tecum Martis ferveat æstus,
Agitetque feros ira colubros,
Et vipereis crinibus horrens

In tua totam Stygā Thisiphone
Obsequia trahat. Non dabo pacem,
Perge sub ipsos radios Solis,
Vel sub ahenum Jovis ancile,
Aut famulantis Lyparæ totum
Indue chalybem; non dabo pacem,
Semel accensæ rabies iræ
Impete torti fulminis agitur;
Nec prius ignis sistitur ardor;
Quàm perimatur, quidquid iniquis
Ausibus obstat. Fœmina mollis
Ignibus ardet flammæ instabilis.
Moritura decet pueros ira,
Æterna virum. quamque sub ima
Semel admisit pectora flammam,
Non extingui. Non dabo pacem.
Fuge, lassabo: siste, peribis.

Gen. Theo. Superi justam cernite causam.

Bona Caus. Ad nos, ad nos. Tende sub astra
Cursum. *Amb.* Insequere.

Bona Causa. Non assequeris.

Furor. Sequimur. propera, confice, perime,

Bon. Caus. Ego pro clypeo populi corda
Tibi prætendo,

Pietas. Non penetrabis.
Quidquid Pietas protegit, extra
Ictum jaculi est. Non penetrabis.

Furor. Quæcunque furor tentat, vincit.

Bon. Caus. Non penetrabis.

Iustit. Quæcunque tegit
Justitia suo mucrone, fovet.

Furor.

Furor, Ohe furores! ite cruentam
Currite in aciem: stringite tela.
Bon.Caus. At bona semper Causa triumpho.
Ambitio Perge, volatu post terga preme.
Perge, rotatu preme telorum.
Bon Caus. Hoc sub clypeo securus eris.
Pietas. Arma sub isto signo vinces.
Furor. Ite furores. *Iustit.* Gladius Domini
Conteret hostes. *Fur.* Insiste furor.
Bon.Caus. Furis incassum. Quemcunque DEUS
Tegit, huic lauros destinat. Ite,
Ite furores. Sic bona semper
Causa triumphat.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

Ruffinus adfert Theodosio responsum à Ioanne Anachoreta: quo erectus Imperator, DEOq; confisus, frustra reluctantibus Ducibus castra moveri imperat.

Theodosius. Ruffinus. Theonas

THeod. Ruffine, rerum summa quo sistit loco?
Ruff. Affulget æther: crede disjectos dolos,
Inimica fusa prælia, Eugenium tuo
Mavorte victum.
Thedos. Vota prosequitur DEUS.
Cùm promovetur Numinis bellum manu,
Facilis tenetur exitùs.

 Theo-

Theonas. Quisquis vovet
Secundiora, pronior credit. *Theod.* DEUS
Cœptis secundis exitus pares dabit.
Theonas Non semper æquus excipit finis, rei
Initia læta. *Ruff.* Cùm futurarum DEUS
Victoriarum præscius fidem facit,
Dubitare scelus est. Vera, qui falli nequit,
DEUS Joanni cecinit: *Ad palmas viam*
Hæc bella sternunt. Tumuit infamis latro,
Vt altiorem Cæsarem ostendat solo
Calcatus olim: Cæsari DEUS favet,
Certamq; palmam destinat. Theon. Cœli favor
Non semper idem est.
Ruff. Quando non idem est merens.
Theon Fortuna causam nescit: & palmam malæ
Subinde donat. *Ruff.* Novit at causam DEUS.
Theon. Sed æquus ille sæpè victricem bonæ
Causæ negavit lauream, malæ dedit.
Theodos. Sed quando spondet, certus eventus rei
est.
Theon. Cui nempe vasti scena reseravit poli
Secreta? crede, sæpè delusus gemit,
Quicunque facilè credit: in magnis decet
Consilia rebus tarda regnantes sequi.
Theodos. Quæcunque Dominus jusserit, servum exequi
Decet imperata. Crimen haud leve est, sui
Librare Domini jussa consilio. Sat est
DEUM imperâsse, nulla consilio hic via est.
Theon. Ratione superûm jussa fundantur.
Theodos. Tamen

Se-

Secretiore, *Theon.* Lege mens nempè hac data
est,
Ut, quæ latent, rimetur. *Theod* Obtusus nimis
Hebesque mentis oculus humanæ, nequit
Penetrare cœli sensa. *Theon.* Prudenti tamen
Examinare lance par semper fuit,
Quæ subditorum trahere in exitium bona,
Patriæ salutem perdere, Imperij statum
Turbare possunt. *Cæsari ad palmas viam*
Hac bella sternunt. Credo, si pari tuus
Virtute, numero, ac viribus miles fremat.
Non benè cohorti maximæ minor manus
Per arma pugnat,
Theod. Quando virtute est minor.
Theon Virtute bella pondero; at numero quoq;
Est vastus hostis. *Theod.* Militis virtus mei
Numerum antecellit.
Theon. Ira virtutem premit,
Si major ardet.
Theod Ira virtute est minor.
Parvos lacertos animat ignitus calor.
Quo major hostis, majus exurget decus.
Theon. Vastis potitur Urbibus.
Theod Sed non tenet
Fidem ligatam civium. *Theon.* Nihil potest
Fides inermis. *Theod.* Invenit, si sit fides,
Sibi semper arma, vel facit.
Theon. Clausis tamen
Munitus Urbis mænibus vires tuas
Eludet. *Theod.* Alta nulla virtuti est vi;
Mæniaque nulla impervia. *Theon.* Feroces tamen

Mænia retundunt spiritus.
Theod. Non quos citat
Cœlestis ardor flammulæ; non quos vocat
Promissus alto certus armorum exitus.
Theon. Testor serenæ lucis auratum jubar,
Non torpet animus frigido internos sinus
Metu gelatus, dextra non languet feri
Ad Martis iras. Timeo, sed timeo tibi
Auguste Cæsar. *Theod.* Mitte, qui mentem gelu
Stringit, pavorem. *Theon.* Cæsaris vita, est sui
Vita una regni. Cæsar ubi perit, perit
Secundus omnis publicæ rei status.
Servare vitam Regis, est vitam Imperî
Servare. *Theod.* Regno Cæsar in murum est datus.
Periculorum tragica si quando ferat
Procella Martem, PRO DEO Reges decet
POPULOQUE stare. *Ruff.* Faveat aurato potens
Qui bella flectit æthere, ac JUSTUM & PIUM
Per bella fausta Cæsarem ad palmas regat,
Firmæque pacis otia. *Theod.* Hanc primam decet
Mordere curam Cæsares; tuta ut parent
Populo quietem, subditis pacem, DEO
Sacrisque honorem. Quisquis hoc pectus cremat
Calor, est Tonantis. Ille spem palmæ facit,
Qui semper adstat Regibus, quando premit
Injustus hostis. Pergite & Duces simul
Movete castra: quo vocat cœlum, sequor.
Causam patronus diriget suam DEUS.

SCE-

SCENA SECVNDA.

Eugenius Gentilibus aram Victoriæ restituit.

Eugenius. Civis. Chorus Statuariorum.

Eug. Hucusque Cœlum vota digessit mea
Ordine beato; vultus innubis poli,
Albique soles nostra spectârunt bona
Consilia fronte; Nempè cum Dijs suæ
Ardent acerræ, pronior cœli manus
In avita dona manat. Haud ægrè dabo,
Quas postulatis Numini rursum erigi
Victoriæ aras. Ite, quà Deæ vocat
Amor colendæ; scelere non uno erutum
Levate Numen: quidquid & cæco furor
Ausu impiavit, vestra restauret manus.
Civis. Ergo ad labores seriæ aptentur manus.
Non decet inertes esse, qui suos Deæ
Pendunt labores. Quisquis hic sudor fluet,
Hunc gra a pulchram stringet in gemmam Dea.
Chor. Stat. Ergo in labores surgimus.
Vos saxa præparate,
Vos huc secures, malleos,
Trudesque, scalpra, ferrum.
Pueri volate, currite,
Sunt Numinis labores.
Semich. 1. Aptata sunt laboribus
Hic marmora, hic secures.
Semich. 2. Instate vestris singuli

 La-

Laboribus. Gradivum
Tu finge, tu Victoriam:
Juvate vos labores.
Inverte marmor. brachio
Instate fortiore.
Unius horæ sudor est,
Sed præmium perenne.
Semich. 1. O dura fibra marmoris!
O pertinax! resistes?
Juvate marmor vertere.
Jam medius est Gradivus.
Alacriter Dimittite,
Alacriter sodales.
Semich 2. O trunce Mars! quàm turpis es!
Jam pulchrior resurges.
Formata necdum brachia?
Semich 1. Incumbo nunc sinistro.
Semich. 2. Properate. Jam Victoriæ
Palma inserenda dextræ.
Nunc dexteris conjungite
Victoriam, & Gradivum.
Eja labores claudite.
Hinc amovete moles.
Ad alta nos victoriam
Delubra devehamus.

SCE-

SCENA TERTIA.

Civium ab Eugenio malè habitorum querela.

Civis primus, Secundus, Tertius, Quartus.

Prim. Spes & timores corde subtrepido grave
Cient duellum. Quantus in metus meos
Eugenius ardet, tantus in novos micat
Cæsar favores.
Secund. Dubia securo ratis
Necdum quiescit littore; adversi fremunt,
Pugnantque venti. Dubius armorum exitus
Spes & timores miscet. In dubio est salus.
Quid, quod cruenta Patribus mortem fames
Natisque portat, populus exanguis gemit,
Reptatque morti similis, & suos trahit
Vix ipse manes.
Tert. Triste documentum sumus,
Quid rigida possint fata. Vix tenuis cutis
Defendit ossa Civium. Exangues putes
Umbras vagari corporum, & rupto ingredi
Acheronte manes.
Quartus. Quamlibet tristis fremat
Hinc ira Martis, inde tamen almæ micant
Radii salutis. *Secund.* Nulla non levior statu
Fortuna nostro, penitus extinguit spei
Omnem favillam.
Primus. Melior hanc rursus polo
Aura excitabit. Proxima est prorsus salus.
Tert. Facilè est secundis credulum rebus dare
Animum voventi.

Quartus. Nec minus timidi reor,
Omnem procellam credere supremam. Mala
Bonis duellant. Mitior Phœbus redit,
Tempestuosus imber ubi cessit polo.
Prim. Supremus iste fluctus, & mali ultima
Procella nostri est. Gravius exardens micat
Peritura flamma; crebrius ventus fremit,
Cùm jam parat silere: concusso tonat
Fragore nubes, quando discessu polum
Suo serenat. *Secund.* Qualis è tanto dies
Speretur imbre? *Primus.* Qualis ejecto solet
Venire nimbo. Numinis jussu juvant,
Nocitura quæ videntur. *Tert.* At nocent quoq;
Quartus. Si non caventur.
Secundus. Nemo sat potuit malum
Instans cavere. *Primus.* Quisquis id manu DEI
Venire credit, vertere in bonum potest.
Credite volente Numine obscuras diem
Ire in tenebras, Cardines mundi gravi
Fremere tumultu Martis, accendi solum
Fulminis ab igne, nemora terreri poli
Cadente flammâ: credite sed iterum diem
Sereniore luce radiatam solo
Pensum daturam; Martis effrenes globos
In blanda pacis otia abituros, sinus
Effulminantùm nubium levi fugâ
Eliminandos æthere. Alternas solet
DEUS choreas agere: nunc tristem dare
Rebus tenorem: rursus at læto choro
Corrigere luctum. *Tertius.* Sæpè sed luctu dies
Extremus agitur, nec prior suum tenet,

Quàm

Quàm vita finem. *Quartus.* Casibus nullis obit
Unquam sinistris, vera quem virtus tegit.
Secund. Illo frequenter laurus interiit die,
Quo viruit; illo navis interiit mari,
Quo lusit. *Prim.* Illud semper in miseros malum
Et clade pressos sævit, ut lætis fidem
Adhibere rebus nesciant, quamvis bona
Sereniore enubilet torvam iride
Fortuna frontem. Cujus at motu strepit
Forum? *Secun.* Tyranni miles est Ite hinc procul.

Scena Quarta.

Eugenii miles umbratili prælio Victoria præludit: sed omine sinistro.

Miles 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Fortuna.*

Primus Victoriæ præludimus.
Secundus. Cœlum annuit.
Jam purpuratus, Eugeni, accumbet tuo
Popliti Imperator: quodque non sua sedet
Diadema fronte, vertici inserpet tuo.
Victoriam! Victoriam! Victoriam.
Fortuna. Ad laureas! ad laureas!
Ad Cæsarum coronas!
Audite si quos Martiæ
Tenet libido lauri:
Audite, quos in prælia
Rapit Imperi corona:
Ego ministro laureas,
Ego divido coronas.
Velociter, velociter
Ad laureas venite.

Miles 1. Magni propago Martis, Heroum genu
Decora alta belli, sæpè cui primos dedit
Bellandi honores palma, quos unus tubæ
Egit per hostes clade metuendâ canor;
Fortuna nostrum serva in obsequium venit.
Adeste, calidâ lauream objectam manu
Prensate, dextrâ rapite venerandæ decus
Diadema frontis. Primus in laurum volo.
Fortuna. Ad laureas! ad laureas!
Ad Cæsarum coronas!
Venite. Res laboribus
Hæc indiget. Venite.
Miles 4. Illudimur. Volubili
Fugit corona lapsu.
Fortuna. Desiderantum pectora
Hic motus in calores
Irritat Ite in laureas.
Hoc dulcius tenetur,
Majore quod conamine
Paratur, & labore.
Quintus. Venis, fugisque: porrigis.
Et eripis coronam.
Subsiste tandem. *Fort.* Si potes
Rotam tenere, sistam.
Sextus. Frustraneis incumbimus
Laboribus coronæ.
Vel siste tandem perfida,
Vel hinc gradum facesse.
Fortuna. O lenta dextra militum!
Sicitis in coronas?
Quæ pulchra sunt, laboribus
Emuntur. Ad coronas!

Qua

Quartus. Tentate rursum. Heu perfida!
Sic allicis cruenta,
Ut vulneres! ô perfida!
Fortuna. Per vulnera ad coronas
Iter est. Venite ad laureas!
Ad Cæsarum coronas!
Velociter, velociter
Ad laureas venite.
Quintus. Infida semper! occidi!
Vanus amor est coronæ.
Fortuna. Cùm non mereris. Vulnere
Gloria metenda Marti est.
Qui vulnera nimium cavent,
Non demetent honores.
Ad laureas! ad laureas
Venite, & ad Coronas.
Sextus. Satis, alienas laureas
Impune nemo tentat.
Fortuna, Sic est. Theatra gloriæ
Servat DEus merenti,
Et immerentûm audaciam
Severiore pœnâ
Insequitur ultor. Laurea
Theodosio virebit.

SCENA QUINTA.

S. Ambrosius statui Ecclesiæ ingemit, & lachrymis epistolam, ad Eugenium scribit, quâ ejus tyrannidem arguit.

S. *Ambrosius.*

S, *Ambr.* Fuimus! malorũ turbo convolvens rapit
Beatitatem gentium. O Secli lues! In

In quæ sequentem monstra præcipitem prior
Dies adurget? Quantus in nostram furor
Agitur ruinam! Templa dispulsis jacent
Inhonora sacris, cultus extinctus Dei est,
Expulsa pietas, candor erasus perit,
Egressus omnem limitem pudor, gemit
Oppressa Virtus, luditur honestas, forum
Astræa abacta deserit: subit furor,
Omnemque Juris ordinem, ac legum metum
Licentiosâ laxat in nefas manu:
Ambitio sceptris inhiat, & pacem fugat
Invidia, livor curiam tenet, jubet
Libido, peragit jussa vis, nullo impia
Tractantur arma jure, sed cœco impetu.
Regnum cruentâ poscit Eugenius manu
Tonantis osor, calidaque in certam trahit
Felicitatem vota per stragem urbium,
Per innocentûm funera, & Regum lares
Cinere sepultos. Cernis ex alto Deus?
Cernis? manumque fulmine ultore abstines?
O Christe! si quid sanguinis tui valor
Mollire mentem Patris irati potest,
Ostende vastis oscitans plagis latus,
Manus, pedesque fulmen & strictum tuæ
Averte pretio mortis: & bonam ingere
Mentem tyranno, Sapiat: atque olim tuis
Humili advolutus poplite accedat sacris.
Quod si furentem nulla consilia queant
Sistere leonem, Cæsari tuo fave,
Custos tuorum Christe. Tentabo prius,
Si quid tabella possit Ambrosii. Fibras

Si non gelavit Caucaso, aut sævâ tigre
Mutavit animum, spiritu molli induam.
Sede & papyro sensa lugentis nota.
Dilecte semper Eugeni, Ambrosius tibi
Vovet salutem. Sceptra dominatu petis
Nimium impotente, Nate; dum fusus cruor
In te innocentûm clamat, orbatæ status
Gemendus urbis, igne populati lares,
Viduæ maritis conjuges, natis patres,
Patribusque nati, & fulmen ultoris Dei
In sævientem provocant. Multæ preces
Sunt multa tela. Metue, dum tuum petit
Telorum hic imber verticem. Differt Deus?
Et lenta gravidos dextra suspendit polos?
Nondum pepercit crimini. Incessu jubet
Nemesin venire laneo. Indulget moras,
Diu minatur: justus insurgit tamen,
Mensura quando sceleris impleta est. Cave!
Propera in ruinam vita nam magnis jacet
A morte spatiis. Vita non semper brevis
Datur Tyranno. Pectus in melius refer
Dilecte semper Eugeni: nisi referas,
Sub mole scelerum pressus in barathrum ruis
Non retrahendus. Jam rapit fulmen manu
Rubente Numen, & procellosâ face
Accendit ignes, quos Avernalis furor
Non terminandâ foveat æternum pyrâ.
Flens ista scribo: sæpia expallet meis
Permista lachrymis: lachrymis pennam rigo,
Etiam daturus sanguinem aliquando tibi,
Si fata jubeant. Poplite adflexo meum

Inscribo nomen. Vive, sed melior, tibi,
Tuisque semper Eugeni O Numen manum
Adfer patronam: quodque jam torpet gelu,
Incende sacrâ Spiritûs flammâ jecur.

SCENA SEXTA.

Theodosio in rem Christianam intento, ostenditur divinitus Idololatricæ superstitionis interitus.

Theodosius. Idololatria cum Diis.

Theo. Malè imperatur, quando non suæ calent
Tonanti acerræ: lubricas regni vices
Pietate firma, quisquis ad clavum sedes.
Despecta Pietas patitur inimicum DEUM.
Inane nomen Cæsarum est, quando jacet
Neglecta cœli cura, contemptus DEUS.
Hâc parte primùm læsa populorum salus
Capit ruinam, parte quâ regnum occupant
Adversa Christo Numina, & falsis data
Religio Divis. Vidimus fatis Stygis
Effusa ab antris monstra per nostri sinus
Impune regni liberis flammis coli,
Et thure, & aris. Jam satis: posthac sua
Cernam repulsum in antra Plutonem rapi,
Duroque vincta Ditis inferni ostia
Adamante claudi. Gloriam hanc lubens sequor;
Peperisse nostris prælius cultum DEO.
Hec cura magnæ Principem mentis decet,
Stabilire Numen; sique sit fuso fides
Sanguine probanda, sanguinem & vitam dare.
Cùm pulchra causa mortis est, pulchrū est mori.

Si moriar inter arma, non trepidus Deo
Animam rependam. Vita si dabitur, Deo
Donabo vitam. Cæsares lege hac sumus,
Ut bella nostra militent Deo, ferant
Tranquillitatem subditis, vitia improbo
Enata luxu demetant, summâ sacra
Jura æquitate sanciant, Solis tamen
Non fido bellis. Nemini satis patent
Consilia cœli. Sæpè sperantur bona,
Sed spes inani vota deludit fide.
Quamvis inundet arva ferrato seges
Animosa nimbo, perque subjectos soli
Bellona campos grande momentum ferat
In bella nobis; parciùs fidem tamen
Impendo prompto militi. Dubiâ agitur
Fortuna Martis aleâ. Accedit, fugit,
Venitque rursus, sæpè sed rursus fugit
Deo imperante. Numinis nutu venit,
Fugitque palma; Justus & quando rapit,
Et quando laurum donat. In nostris licet
Signis feratur gloriæ nomen suæ,
Salusque multa mentium; potest Deus
Victoriam negare. Si neget, meus;
Idemque, si concedat, est Deus meus.
Sed perduellis Numini & regno licet
Per tragica Mars theatra violentum fremat:
Nescio quid intus ridet animus mihi, sui
Securus, augur candidæ sortis, diem
Pollicitus illum, cujus ad radians jubar
Videam Deorum vana delubra erui,
Simulachra ab aris cadere, subverti sacra,

Focos-

Focosque vasto incendio vert. in rogos,
Et sacra saxeis templa Numinibus dare
In busta flammis. Crastinus fidem suo
Aperiet ortu Phœbus. Incumbens suis
Dum miles armis valle sub densâ capit
Somno quietem, parsque vigilias agit,
Mod cum quietis Cæsar admittam. Brevis
Decet imperantem somnus, & brevem facit
Multiplicatis cura vepretis rigens.

Chor. Mar. Vivite læti, vivite Divi!
Jam vos soli jura tenetis
Maris & terræ. Vivite Divi!

Idololatr. Vivite læti! nostra secundo
Alite naves in vota volant.
Vivite læti. *Gen. Eug.* Vivite læti!
Cadmea seges, quam traho felix
Mihi pro vobis riget in bellum,
Martemque ferit, palmasque metit.

Dii. Non vincemur: si tua nobis
Dextera pugnet. *Th* Numina misera
Quibus humano est opus auxilio!

Dii. Non vincemur. *Gen. Eug. & Idol.*
Si quæ vestro
Tela minentur capiti, flammas
Prius in nostro capite obtundent.
Binos dabimus clypeos Divis.

Omnes. Vivite læti! vivite Divi.

Gen. The. Cedite vani Numinis umbræ,
Cedite mundo. Non stat, quidquid
Homines fingunt. Nescia fati
Æterna Fides sola virebis,

Cui

Cui Theodosius Martemque ferit
Palmasque metit, sola virebis.

SCENA SEPTIMA.

Infremit epistolæ Ambrosii Eugenius; extrema quæque minatur.

Eugenius. Arbetio.

Eug. Stygis sacerdos! vomica lymphati gregis,
Senex dolose; fungus Eugenius tibi
Est nempe visus, facilis in fraudes trahi,
Dolisque ludi? Melleo mulces stylo,
Sed lancinante saucias plagâ fibras.
Dilecte semper Eugeni, Ambrosius tibi
Vovet salutem. Quis? cui? Ambrosius mihi?
Stolate latro! cæde ut extremâ cadam,
Et sceptra mitis Cæsari cedam voves.
Hanc mihi salutem? Jura quæ Mavors dedit,
Iterum abdicare. Nempe sic facilè est Duci
Cadere ad aratrum. *Sceptra dominatu petis*
Nimium impotente, Nate: Quid Natum vocas
Mendace verbo? Vulneras quando arguis
Animi impotentis; vulneri emplastrum admoves
Natum vocando. Non sumus rudi é grege,
Ut nesciamus vulpis astutæ dolos.
In te innocentem clamat effusus cruor.
Clamet: calentem sanguine chalybem magis
Accendet ille clamor. Est mitis furor
Quem clamor urbis sedat, aut placat gemens
Turba puerorum: Nominis veri furor
Calcata capita civium incessu terit.

Pre-

Premitque quidquid obvio iratam manum
Nisu retardat. *Fulmen ultoris DEI*
In sævientem provocant. Veniat, polos
Sive ille teneat, sive damnatæ stygis
Incestet ignes, stipiti affixus Deus;
Veniat, & omni robore Eugenium premat:
Unus prementem Tartaro inferias dabo.
Veniat. Inermis provoco armatum. Timet
Conferere mecum dexteram. *Multa preces*
Sunt multa tela. Metuendum tuum petit
Telorum hic imber verticem. Virtus mihi
Ancile fiet. Quanta tempestas cadet,
Tanta jacientum vertices rursum petet,
Nostris repulsa viribus. *Differt DEUS?*
Et lenta gravidos ira suspendit polos?
Jaceret trisulcâ fulmen ejectum manu,
Nisi adhuc teneret clavus affixam trabi.
Nondum pepercit crimini. Incessu jubet
Nemesin venire laneo. Qui non potest
Urgere Nemesin penneo. *Indulget moras,*
Diu minatur. Aliud imbellis nequit
Furor. Minari, fœminæ est. Viri est manu
Prius tonare, fronte quàm torvâ emicent
Furoris ignes. *Iustus insurgit tamen,*
Mensura quando sceleris impleta est. Cave.
Cave, ô cruente! Quæ mihi visum rapit,
Oculosque nubes? Video, nec video tamen,
Quid atra pingat sæpia. *Arb.* Est cæcus furor,
Extingue flammas mentis, & nullus tuos
Invadet oculos fumus. *Eugen.* Infudit suis
Toxica tabellis toxico enatus Draco,

Pro-

Proles Medusæ, spuma Tartarei lacus.
Hinc de veneno cœca me nubes premit
Quod legere non licet, audiam. Arbetio lege.
Arb. Propera in ruinam vita non magnis jacet
A morte spatiis. Vita nam semper brevis
Datur Tyranno. Eug. Vita sat longa est mihi,
Si vel hodiernus memet extinguat dies,
Dummodo cruoris flumen exhaustum tui
Præmittam ad orcum. *Arb. Pectus in melius refer*
Dilecte semper Eugeni. Eugen. O fallax Sinon!
Redivive Ulysses fraudibus! *Arb. Nisi referas,*
Sub mole scelerum pressus in barathrum ruis
Non retrahendus. Iam rapis fulmen manu
Rubente Numen, & procellosâ face
Accendit ignes, quos Avernalis furor
Non terminandâ foveat æternum pyrâ.
Flens ista scribo. Euge. Nulla sed flammas meæ
Extinguit iræ lachryma, nisi totis fibris
Cruor hauriatur. *Arbet. Sapia expallet meis*
Permista lachrymis.
Eugen. Rubeat exhausto chalybs
Posthàc cruore. *Arb. Lachrymis pennam rigo,*
Etiam daturus sanguinem aliquando tibi,
Si fata jubeant. Eug. Sanguinem volo: date,
Date vota superi! *Arb. Poplite adflexo meum*
Adscribo nomen. Eugen. Nomen inferno Jovi
Pridem execrandum! Nomen horrendo grave
Magis tonitru; cujus ad sonum polus
Extinguat ignes Cynthii, & densæ irruant
Mundo tenebræ; quodque dum Stygias sonat
Inter paludes, totus evulsis tremat

Cardinibus Orcus. Ibo, quà vocat furor,
Quà pellit ardor; sanguine extinguam sitim
Calentis animi; quaque defigam pedem,
Premam cadaver; quaque spirabo halitum,
Afflabo bustum; quaque sustollam manum,
Excelsa quæque diruam: fana impiis
Cinerabo flammis; & ubi Galilæum bibit
Sua thura Numen, stabula recutitum dabo
Olitura Numen: funditus vertam omnia.

CHORVS.

Icarus ad Gloriam stimulante Ambitione, dehortante Ratione provectus in fluvium prolabitur, docetque ambitionis exitus esse infelices.

Gloria. Gloria puræ filia lucis,
Soboles Phœbi, nescia noctis,
Solis amœno vestior auro.
Huc vota trahit, postera quisquis
Sæcula magno nomine gaudet
Implere. Reses procul hinc animes;
Gloria fortes amat Alumnos.
Procul hinc somno dedita corda,
Gloria vigiles abit in curas.
Illa est fictæ gloria frontis,
Quæ vulgarem fluit in dextram:
Mentem undantis turbine vulgi
Eripe, quisquis vivere longum
Clarus in ævum non immemori
Nomine gestis, & post cineres
Serâ affectas laude Nepoti

De-

Decimo ostendi. Lucis avara
Mens amat astra.

Icarus. Satis est umbræ: Lumen amamus.
Patria cœlum est: discede solum,
Patria nostros trahit affectus.
Icarus astris tendo volatum.

Amb. Vilis in alga mens tumulatur,
Iter herous semper in altum
Spiritus urget. Perge, favebo.

Rat. Quo magis alto crescis honore,
Virtute magis deprime mentem.
Stulte ruinam quæris. Ab alto est
Facilis casus. *Amb.* Fortis ab ipsis
Casibus heros robora sumit.

Rat. Fortis in ipsis casibus heros
Sæpè occubuit. *Icarus* Gloria nostros
Aspice nisus, ad te faustis
Icarus alis tendo per auras.

Amb. Annue cœptis fortuna bonis.

Rat. Cæcam exoptas in vota Deam.
Veniat; fugiet. Nulli docta
Servare fidem *Icarus.* Fortis stabilem
Sibi fortunam facit heroæ
Virtute manus. *Rat.* O stulta nimis
Vota! sepulchrum fortè reperies
Ubi venaris lumen honoris.
Si vis faustâ vivere forte;
Utere parcè sorte secundâ.

Icar. Annue cœptis Fortuna bonis.

Ratio. Cave! ceratis nitere pennis;
Non bene solem periture feres.

Icarus. Teneo solium! vivo! beatè!
Ratio. Stulte peribis. *Icar.* Sentio, pennis
Ardeo, Solis cremor à flammis.
Heu! heu! pereo! pereo incautus!
Ratio. Sic alienos quisquis honores
Icarus. Invidus ambit sua damnabit
Vota interitu.
Astra Tyrannos odêre. DEUS
Regit Imperium, servatque suo
Regna favore.
Chor. Mat. Stulta Ambitio! tantane lucis
Dulcedo malæ est? Ipsâ in luce
Reperis noctem: quaque levaris
Arte, necaris. Sancta Tyrannos
Astra flagellant, servantque bonos
Sidera Reges.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

Theodosius exercitum suum contra Eugenium locat, & pramissâ prece ad conflictum animat.

Theodosius.

Theod. QUid provocati militis justus furor,
Et mitis ira Cæsaris possit, dies
Decernet iste. Fateor, in bellum pede
Procedo lento, nec nimis avidâ manu
Tractanda quæro tela: cùm semel tamen

Insedit ira pectori, lentè cadit:
Et hoc decere Cæsarem reor, manum
Lentè admovere prælio; admotam novo
Animare semper spiritu. Imperii bene
Is fræna tractat, qui triumphalem impetum
Sic temperare novit, ut nec se nimis
Laxet furori, nec nimis teneat brevi
Iram lupato: qui nec Imperii avidus
Aliena tentat, regna nec patitur sua
Premi à Tyrannis. Testor armorum arbi-
Deum, nec audax cordis incensi furor,
Nec proferendi terminos regni sitis
Me provocavit: sola me patriæ salus,
Et justa cœli causa sub Martem trahit.
Divine miles (non meum voco amplius,
Qui præliaris Numini.) miles, feri
Pridem per omnes Martis instructus vias,
Cui bruma dena cassidem aspersit nive,
Et dena galeam flamma succendit canis,
Multus probavit hostis: in tuos retrò
Quando triumphos specto, vel lauros memor
Toties ab armis hostium raptas ago:
Tum mihi jacere pedibus attritos tuis
Videre videor gentium Duces; jugo
Subdita Tyranni colla, calcatas premi
Regum secures, sceptra non suâ diu
Tractata dextrâ, rursus illabi suæ;
Cadere coronas fronte; quàm dandam inferis
Cinxit libido ad victimam; ruere thronos,
Quos sors levavit sontium in casus graves.
Animose miles, cujus in ferro sedet

Felicitatis patriæ auguſtus tenor,
Pax ſoſpitatrix Imperi, ſceptri ſalus,
Vindicta magni Numinis, cuſtus Dei:
Exſuſcitate mentis antiquæ igneos
Rurſum vigores, quando vos Deus ſui
Jubet eſſe honoris vindices. Fremat licet
Exaſperatus Martis in campo furor,
mnémque latè rigida tempeſtas agrum
ıdet ære; mentis excelſæ vigor,
rque ferro impervium victas metet
o cohortes; perque ſubjecta altior
Ibit cadavera hoſtium: palmas Deus
Vobis parabit ille, cui bellum fero.
ux 1. Vincemus unà, vota ſi cœlum probat:
ota reprobat, una mors omnes teget.
d. Cùm facta Numen imperat, votum probat.
Dux 2. Nos facta dabimus. Ille vel natus tigre eſt,
Vel rupe duri marmoris cœſus, fibras
Pietate vacuus; funeri quisquis tuo
Objicere nolit pectoris ſcutum, & gravem
Arcere proprii capitis objectu necem.
Ego (pericla Numen avertat pium)
Quacunque parte funus immineat, caput
Obtendo primus funeri. Nec ſe prius
Sagitta pectus condet in tuum, mea
Quàm ſe per oſſa rapiat, & rumpat ſinus.
Theod. Fidele laudo pectus affectum probo,
Calidasque flammas mentis excelſæ oſculor.
Frenator orbis Chriſte, bellorum arbiter,
Idemque terror hoſtium, inceptis fave.
Da robur animis, enſibus flammam, exitum

Cauſæ

Causæ decorum; da superbificos premam
Ausus Tyranni. Causa præsentis viæ
Mortale nihil est. Marte, quem gero, tua
Tua Numen agitur causa, cui palmas peto,
Cui sceptra quæro. Nostra tranquillâ vide
Tu bella mente: sanguinem & vitam tibi,
Tuoque honori miles hic mecum vovet.
Insúme campum miles. *Dux 2.* Hoc latus tene.
Hic vos ministram Cæsari manum date.
Vos parte ab istâ state; si casus premet
Vel hac, vel illac militem; auxilium date.

Scena secunda.

Ad Theodosii adventum fugiunt Dæmones ex Alpibus.

Dæmon primus, Secundus, Tertius, Quartus.

Prim. Fugite, à tergo pejor Averno
Nos premit hostis. Jam Theodosius
Antra profundæ vallis adimplet.
Secund. Fugite, arma fremunt. Nulla est nostro
Via sudori: latus omne tenet
Multo Cæsar milite cinctus.
Tertius. Corde excordes! ô lenta manus!
Probrumque stygis! sistite gressum!
Sistite: quò vos fuga præcipitat?
Vestra Eugenius provocat arma.
Cohibete fugam!
Quartus. Premimur nimium;
Omnis ademptus locus est iræ,
Quando major nos premit ira.

Primus. Fugite, arma tonant: sola salutem
Fuga despectis donare potest.
Tertius. Sic ergo feres tua tam lento
Milite verti regna? nec ullis
Obvia telis hoste marcebis
Incola regni turba profundi?
Sic lenta foves Phlegethon odia?
Non decet orcum lentè irasci.
Secundus. Vanus furor est, itaque vana,
Si sua desint arma furori.
Tertius Sæpiùs animos ipsa ruina
Facit excelsos. *Sec.* Fugite, insanit
In nostra furor fortior arma.
Tertius. Vigor inferni sic cadet omnis?
Siste fugacem turba volatum.
Si rapta semel palma, redibit,
Fortuna vices alterna rotat.
Fugite, fugite, fugite, fugite, &c.

SCENA TERTIA.

Confligitur sinistro partium Theodosianarum eventu.

Theonas. Arbogastes.

Theo. Res est sub ictu, dubia stat geminas super
Laurus cohortes, cujus in partes fluat.
Utrinque magnus ardet in pugnam calor,
Utrinque virtus gloriæ ingentis capax
Exercet arma. Sequere, quà nostræ labat
Cohortis ala. Si qua spes palmæ est super,
Labor hic parabit: nulla si superest salus,
Unum sepulchrum Cæsarem & Duces teget.

Vo-

Volate mecum. *Dux* 1 Lubricæ ô sortis vices!
O nostra damna! concidit regni status,
Occidimus! olim fuimus. *Theon.* ô Cæsar! Dei
O magna soboles Cæsar! ô socii quibus
Spes nulla, vel suprema jam fulsit, date
Animam supremam Cæsari. Laus hæc tibi
Ultima notetur: Cæsari miles suo
Donavit animam. Quando meliorem exitum
Deus negavit, immori pugnæ licet,
Ite, ite, vitæ prodigus quò vos calor,
Vestrasque stimulat dexteras. *Dux* 2. Magnâ ruit
Fortuna mole: fragilis est sortis tenor.
Fugite, fugaces urget Eugenius gradus.
Arbog. Necdum tenetur præda: fugienti timor
Appendit alas. qualis ubi sonos dedit
Venator ære, cervus in fugam volat,
Timetque retrò aspicere; properantem fugâ
Tales adurgent Cæsaris Duces pedem.
Præverte miles arma, quà durum est iter,
Quà spes salutis aliqua fugientem vocat.

SCENA QUARTA.

Victor Eugenius insolescit de Victoria.

Eugenius cum Exercitu.

Eug. Calcamus astra! jam supra populi leves
Elatus undas misceo cœlis caput.
Fugitiva vario cæteris fidem negat
Fortuna motu. Martis hic laurum prece
Calidâ lacessit: ille tranquillos petit
In vera Zephyros; alius Imperii procus

Focosque vasto incendio vert. in rogos,
Et sacra saxeis templa Numinibus dare
In busta flammis. Crastinus fidam suo
Aperiet ortu Phœbus. Incumbens suis
Dum miles armis valle sub densà capit
Somno quietem, parsque vigilias agit,
Mod cum quietis Cæsar admittam. Brevis
Decet imperantem somnus; & brevem facit
Multiplicatis cura vepretis rigens.

Chor. Mar. Vivite læti, vivite Divi!
Jam vos soli jura tenetis
Maris & terræ. Vivite Divi!

Idololatr. Vivite læti! nostra secundo
Alite naves in vota volant.
Vivite læti. *Gen. Eug.* Vivite læti!
Cadmea seges, quam traho felix
Mihi pro vobis riget in bellum,
Martemque ferit, palmasque metit.

Dii. Non vincemur: si tua nobis
Dextera pugnet. *Th* Numina misera
Quibus humano est opus auxilio!

Dii. Non vincemur. *Gen. Eug. & Idol.*
Si quæ vestro
Tela minentur capiti, flammas
Prius in nostro capite obtundent.
Binos dabimus clypeos Divis.

Omnes. Vivite læti! vivite Divi.

Gen. The. Cedite vani Numinis umbræ,
Cedite mundo. Non stat, quidquid
Homines fingunt. Nescia fati
Æterna Fides sola virebis,

Cui

Cui Theodosius Martemque ferit
Palmasque metit, sola virebis.

SCENA SEPTIMA.

Infremit epistolæ Ambrosii Eugenius: extrema quæque minatur.

Eugenius. Arbetio.

Eug. Stygis sacerdos! vomica lymphati gregis.
Senex dolose; fungus Eugenius tibi
Est nempe visus, facilis in fraudes trahi,
Dolisque ludi? Melleo mulces stylo,
Sed lancinante saucias plagâ fibras.
Dilecte semper Eugeni, Ambrosius tibi
Vovet salutem. Quis? cui? Ambrosius mihi?
Stolate latro! cæde ut extremâ cadam,
Et sceptra mitis Cæsari cedam voves.
Hanc mihi salutem? Jura quæ Mavors dedit,
Iterum abdicare. Nempe sic facilè est Duci
Cadere ad aratrum. *Sceptra dominatu petis*
Nimium impotente, Nate: Quid Natum vocas
Mendace verbo? Vulneras quando arguis
Animi impotentis; vulneri emplastrum admoves
Natum vocando. Non sumus rudi é grege,
Ut nesciamus vulpis astutæ dolos.
In te innocentem clamat effusus cruor.
Clamet: calentem sanguine chalybem magis
Accendet ille clamor. Est mitis furor
Quem clamor urbis sedat, aut placat gemens
Turba puerorum: Nominis veri furor
Calcata capita civium incessu terit.

Pre-

Premitque quidquid obvio iratam manum
Nisu retardat. *Fulmen ultoris DEI*
Insævientem provocant. Veniat, polos
Sive ille teneat, sive damnatæ stygis
Incestet ignes, stipiti affixus Deus;
Veniat, & omni robore Eugenium premat:
Unus prementem Tartaro inferias dabo.
Veniat. Inermis provoco armatum. Timet
Conserere mecum dexteram. *Multæ preces*
Sunt multa tela. Metue dum tuum petit
Telorum hic imber verticem. Virtus mihi
Ancile fiet. Quanta tempestas cadet,
Tanta jacientum vertices rursum petet,
Nostris repulsa viribus. *Differt DEUS?*
Et lenta gravidos ira suspendit polos?
Jaceret trisulcâ fulmen ejectum manu,
Nisi adhuc teneret clavus affixam trabi.
Nondum pepercit crimini. Incessu jubet
Nemesin venire laneo. Qui non potest
Urgere Nemesin penneo. *Indulget moras,*
Diu minatur. Aliud imbellis nequit
Furor. Minari, fœminæ est. Viri est manu
Prius tonare, fronte quàm torvâ emicent
Furoris ignes. *Iustus insurgit tamen,*
Mensura quando sceleris impleta est. Cave.
Cave, ò cruente! Quæ mihi visum rapit,
Oculosque nubes? Video, nec video tamen,
Quid atra pingat sæpia. *Arb.* Est cæcus furor,
Extingue flammas mentis, & nullus tuos
Invadet oculos fumus. *Eugen.* Infudit suis
Toxica tabellis toxico enatus Draco,

Pro-

Proles Medusæ, spuma Tartarei lacus.
Hinc de veneno cœca me nubes premit
Quod legere non licet, audiam Arbetio lege.
Arb. Propera in ruinam vita non magnis jacet
A morte spatiis. Vita nam semper brevis
Datur Tyranno. Eug. Vita sat longa est mihi,
Si vel hodiernus memet extinguat dies,
Dummodo cruoris flumen exhaustum tui
Præmittam ad orcum. *Arb. Pectus in melius refer*
Dilecte semper Eugeni. Eugen. O fallax Sinon!
Redivive Ulysses fraudibus! *Arb. Nisi referas,*
Sub mole scelerum pressus in baratrhum ruis
Non retrahendus. Iam rapit fulmen manu
Rubente Numen, & procellosâ face
Accendit ignes, quos Avernalis furor
Non terminandâ foveat æternum pyrâ.
Flens ista scribo. Euge. Nulla sed flammas meæ
Extinguit iræ lachryma, nisi totis fibris
Cruor hauriatur. *Arbet. Sapia expallet meis*
Permista lachrymis.
Eugen. Rubeat exhausto chalybs
Posthàc cruore. *Arb. Lachrymis pennam rigo,*
Etiam daturus sanguinem aliquando tibi,
Si fata jubeant. Eug. Sanguinem volo: date,
Date vota superi! *Arb. Poplite adflexo meum*
Adscribo nomen. Eugen. Nomen inferno Jovi
Pridem execrandum! Nomen horrendo grave
Magis tonitru; cujus ad sonum polus
Extinguat ignes Cynthii, & densæ irruant
Mundo tenebræ; quodque dum Stygias sonat
Inter paludes, totus evulsus tremat

Cardinibus Orcus. Ibo, quà vocat furor,
Quâ pellit ardor; sanguine extinguam sitim
Calentis animi; quaque desigam pedem,
Premam cadaver; quaque spirabo halitum,
Afflabo bustum; quaque sustollam manum,
Excelsa quæque diruam: fana impiis
Cinerabo flammis; & ubi Galilæum bibit
Sua thura Numen, stabula recutitum dabo
Olitura Numen: funditus vertam omnia.

CHORVS.

Icarus ad Gloriam stimulante Ambitione, dehortante Ratione provectus in fluvium prolabitur, docetque ambitionis exitus esse infelices.

Gloria. Gloria puræ filia lucis,
Soboles Phœbi, nescia noctis,
Solis amœno vestior auro,
Huc vota trahit, postera quisquis
Sæcula magno nomine gaudet
Implere. Reses procul hinc animes;
Gloria fortes amat Alumnos.
Procul hinc somno dedita corda,
Gloria vigiles abit in curas.
Illa est fictæ gloria frontis,
Quæ vulgarem fluit in dextram:
Mentem undantis turbine vulgi
Eripe, quisquis vivere longum
Clarus in ævum non immemori
Nomine gestis, & post cineres
Serâ affectas laude Nepoti.

De-

Decimo ostendi. Lucis avara
Mens amat astra.

Icarus. Satis est umbræ: Lumen amamus.
Patria cœlum est: disce de solum.
Patria nostros trahit affectus.
Icarus astris tendo volatum.

Amb. Vilis in alga mens tumulatur,
Iter herous semper in altum
Spiritus urget. Perge, favebo.

Rat. Quo magis alto crescis honore,
Virtute magis deprime mentem.
Stulte ruinam quæris. Ab alto est
Facilis casus. *Amb.* Fortis ab ipsis
Casibus heros robora sumit.

Rat. Fortis in ipsis casibus heros
Sæpè occubuit. *Icarus* Gloria nostros
Aspice nisus, ad te faustis
Icarus alis tendo per auras.

Amb. Annue cœptis fortuna bonis.

Rat. Cæcam exoptas in vota Deam.
Veniat; fugiet. Nulli docta
Servare fidem *Icarus.* Fortis stabilem
Sibi fortunam facit heroæ
Virtute manus. *Rat.* O stulta nimis
Vota! sepulchrum fortè reperies
Ubi venaris lumen honoris.
Si vis faustâ vivere forte;
Utere parcè sorte secundâ.

Icar. Annue cœptis Fortuna bonis.

Ratio. Cave! ceratis nitere pennis;
Non bene solem periture feres.

Icarus. Teneo solium! vivo! beatè!
Ratio. Stulte peribis. *Icar.* Sentio, pennis
Ardeo. Solis cremor à flammis.
Heu! heu! pereo! pereo incautus!
Ratio. Sic alienos quisquis honores
Icarus. Invidus ambit sua damnabit
Vota interitu.
Astra Tyrannos odêre. DEUS
Regit Imperium, servatque suo
Regna favore.
Chor. Mar. Stulta Ambitio! tantane lucis
Dulcedo malæ est? Ipsâ in luce
Reperis noctem: quaque levaris
Arte, necaris. Sancta Tyrannos
Astra flagellant, servantque bonos
Sidera Reges.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Theodosius exercitum suum contra Eugenium locat, & præmissâ prece ad conflictum animat.

Theodosius,

Theod. Quid provocati militis justus furor,
Et mitis ira Cæsaris possit, dies
Decernet iste. Fateor, in bellum pede
Procedo lento, nec nimis avidâ manu
Tractanda quæro tela: cùm semel tamen

Insedit ira pectori, lentè cadit;
Et hoc decere Cæsarem reor, manum
Lentè admovere prælio; admotam novo
Animare semper spiritu. Imperii bene
Is fræna tractat, qui triumphalem impetum
Sic temperare novit, ut nec se nimis
Laxet furori, nec nimis teneat brevi
Iram lupato: qui nec Imperii avidus
Aliena tentat, regna nec patitur sua
Premi à Tyrannis. Testor armorum arbit.
Deum, nec audax cordis incensi furor,
Nec proferendi terminos regni sitis
Me provocavit: sola me patriæ salus,
Et justa cœli causa sub Martem trahit.
Divine miles (non meum voco amplius,
Qui prælia ris Numini.) miles, feri
Pridem per omnes Martis instructus vias,
Cui bruma dena cassidem aspersit nive,
Et dena galeam flamma succendit canis,
Multus probavit hostis: in tuos retrò
Quando triumphos specto, vel lauros memor
Toties ab armis hostium raptas ago:
Tum mihi jacere pedibus attritos tuis
Videre videor gentium Duces; jugo
Subdita Tyranni colla, calcatas premi
Regum secures, sceptra non suâ diu
Tractata dextrâ, rursus illabi suæ;
Cadere coronas fronte; quàm dandam inferis
Cinxit libido ad victimam; ruere thronos,
Quos sors levavit sontium in casus graves.
Animose miles, cujus in ferro sedet

Felicitatis patriæ auguſtus tenor,
Pax ſoſpitatrix Imperi, ſceptri ſalus,
Vindicta magni Numinis, cuſtus Dei:
Exſuſcitate mentis antiquæ igneos
Rurſum vigores, quando vos Deus ſui
Jubet eſſe honoris vindices. Fremat licet
Exaſperatus Martis in campo furor,
mnémque latè rigida tempeſtas agrum
ıdet ære; mentis excelſæ vigor,
rque ferro impervium victus metet
ó cohortes; perque ſubjecta altior
Ibit cadavera hoſtium: palmas Deus
Vobis parabit ille, cui bellum fero.
ux 1. Vincemus unà, vota ſi cœlum probat:
ota reprobat, una mors omnes teget.
e. Cùm facta Numen imperat, votum probat.
Dux 2. Nos facta dabimus. Ille vel natus tigre eſt,
Vel rupe duri marmoris cœſus, fibras
Pietate vacuus; funeri quisquis tuo
Objicere nolit pectoris ſcutum, & gravem
Arcere proprii capitis objectu necem.
Ego (pericla Numen avertat pium)
Quacunque parte funus immineat, caput
Obtendo primus funeri. Nec ſe prius
Sagitta pectus condet in tuum, mea
Quàm ſe per oſſa rapiat, & rumpat ſinus.
Theod. Fidele laudo pectus affectum probo,
Calidasque flammas mentis excelſæ oſculor.
Frenator orbis Chriſte, bellorum arbiter,
Idemque terror hoſtium, inceptis fave.
Da robur animis, enſibus flammam, exitum

Cauſæ

Causæ decorum; da superbificos premam
Ausus Tyranni. Causa præsentis viæ
Mortale nihil est. Marte, quem gero, tua
Tua Numen agitur causa, cui palmas peto,
Cui sceptra quæro. Nostra tranquillâ vide
Tu bella mente: sanguinem & vitam tibi,
Tuoque honori miles hic mecum vovet.
Insume campum miles. *Dux 2.* Hoc latus tene.
Hic vos ministram Cæsari manum date.
Vos parte ab istâ state; si casus premet
Vel hac, vel illac militem; auxilium date.

SCENA SECUNDA.

Ad Theodosii adventum fugiunt Dæmones ex Alpibus.

Dæmon primus, Secundus, Tertius, Quartus.

Prim. Fugite, à tergo pejor Averno
Nos premit hostis. Jam Theodosius
Antra profundæ vallis adimplet.
Secund. Fugite, arma fremunt. Nulla est nostro
Via sudori: latus omne tenet
Multo Cæsar milite cinctus.
Tertius. Corde excordes! ô lenta manus!
Probrumque stygis! sistite gressum!
Sistite: quò vos fuga præcipitat?
Vestra Eugenius provocat arma.
Cohibere fugam!
Quartus. Premimur nimium;
Omnis ademptus locus est iræ,
Quando major nos premit ira.

Volate mecum. *Dux* 1 Lubricæ ò sortis vices!
O nostra damna! concidit regni status,
Occidimus! olim fuimus. *Theon.* ò Cæsar! Dei
O magna soboles Cæsar! ò socii quibus
Spes nulla, vel suprema jam fulsit, date
Animam supremam Cæsari. Laus hæc tibi
Ultima notetur: Cæsari miles suo
Donavit animam. Quando meliorem exitum
Deus negavit, immori pugnæ licet,
Ite, ite, vitæ prodigus quò vos calor,
Vestrasque stimulat dexteras. *Dux* 2. Magnâ ruit
Fortuna mole: fragilis est sortis tenor.
Fugite, fugaces urget Eugenius gradus.
Arbog. Necdum tenetur præda: fugienti timor
Appendit alas. qualis ubi sonos dedit
Venator ære, cervus in fugam volat,
Timetque retrò aspicere; properantem fugâ;
Tales adurgent Cæsaris Duces pedem.
Præverte miles arma, quà durum est iter,
Quà spes salutis aliqua fugientem vocat.

SCENA QUARTA.

Victor Eugenius insolescit de Victoria.

Eugenius cum Exercitu,

Eug. Calcamus astra! jam supra populi leves
Elatus undas misceo cœlis caput.
Fugitiva vario cæteris fidem negat
Fortunâ motu. Martis hic laurum prece
Calidâ lacessit: ille tranquillos petit
In vera Zephyros; alius Imperii procus

Cœcam fatigat irritis votis Deam.
Torvum minatur, ac supercilium arcuat
Vultumque acerbat, & superbifico pede
Calcat clientes cæteros: tamen fide
Constante me, quà vota propellunt, levat.
Jam sceptra Victor teneo, jam frontis jubar
Unum me adorat; serva se nostro implicat
Jam trabea lateri; jura subjecto fero
Populo Imperator. *Dux* 1. Parciùs Dux in sinum
Lene influentis dona fortunæ bibe.
Palmam parare laudis est parùm, nisi
Premas paratam. Sæpè qui victus priùs;
Collegit iras mentis, & campo extulit
Victor triumphum: sæpè quos palmæ efferunt,
Vertente sorte casus affligit gravis.
Laus æqua, parere prælio palmam, ac manu
Tenere partam. *Eug.* Vile quid possit genus?
Dux 1. Quod vulnerata vipera ubi vivit caput,
Nunquã venenum deficit. *Eu* Et ipsum caput
Calcabo victor. *Dux* 1 Viperæ in modum pede
Elubricabit. Sunt sui victis doli;
Sua semper inconstantia est Sorti; manu
Palmas sinistrâ porrigit, dextrâ rapit.
Eug Quid mihi sinistræ lubricos motus Deæ
Mirasque sortis occinis? metuat rotam,
Cui fungus animus. Sola mihi mens est mea
Fortuna quæque pectus in laudes rapit
Scintilla: cujus nutibus sortis rotam
Impello, sisto, verto, quam in partem libet.
Dux 1. Durum laborem Sisyphi versat, rotam
Quicunque sortis torquet: impulsa in latus

Dex-

Dextrum, sinistrum repetit; & quantum favet,
Tantum minatur. Quin suas ipso tegit
Minas favore. *Eug.* Fabulas vulgi canis,
Dux 1. Per quas ruisse magna momento tenes.
Eu. Imbelle vitium mentis est, quidquid ruit.
Dux 1. Imbelle vitium mentis, ubi cogit furor
Supremus iras, mentis excelsæ Duces
Sæpè interemit. Debilis quamvis manus
Sæpè alta fecit vulnera. *Eug.* Timeas licet
Imbelle vulgus; turbo qui Ducem [illegible],
Aliunde perflat. *Dux* 1. Turbo qui rupes quatit
Cœlo minantes, quique disrumpit polos,
Luti è vapore nascitur, quando furit
Devictus hostis, impetus graves habet.
Eug. Secura cùm sunt omnia, feroces gerat
Lanista motus, in suum funus geret.
Dux 1. Secura cùm sunt omnia; hanc ipsam time
Securitatem. Gravior in ferrum ruit
Contemptus hostis. *Eu.* Perge, reliquias preme
Siquæ supersunt, Cæsarem vinctum meum
Siste ad tribunal, discat Eugenium genu
Prono vereri; quando calcandum dabit
Mihi caput, unus frena cum mundi regam.

SCENA QUINTA.

Theodosius intelligit solas à sua parte auxiliares copias cecidisse: Christianos omnes salvos: jubet dispersos colligi.

Theodosius. Dux

Theo. O modice numero miles, at grandi mihi
Cohorte miles gratior! Vidi fidem,

Magnæque mentis spiritus. Non hic tuus
Defecit animus. Ille, qui *Mundum* regit,
Qui providente temperat nutu polum,
Solumque, justâ lance dispensat bona.
Illo volente vincimur. Tuam tamen
Animose miles osculor semper fidem.
Ades fidele pectus, amplexum cape.
Sed quanta clades nostra? num vivunt Duces?
Aliquisne miles nemora præcipiti fuga
Invasit? *Dux.* Hic se sylva frondosâ levat
In astra nube, cujus extremo exitu
Præceps profundam petra se in vallem trahit
Minata saxis: hujus in sinu tenet
Ruffinus alam. Conscium belli DEUM
Cœlumque testor; nullus hostili fibras
Exhauriendas pectoris ferro dedit,
Quos Christianus eluit quondam latex:
Cecidere soli Barbari. *Theod.* Vivunt mei?
Cæsar revixi! nullus hostili manu
Vulnus recepit? *Dux.* Neminem suus cruor
Rubore tinxit. *Theod.* Valle dispersos globos
Lege in cohortem. Solus hic mecum moras
Levine ad aras protrahe. Reductis patent
Jam templa valvis. Cæsari hic fidam vigil
Impende mentem, dum genu pronus sacras
Advolvo ad aras Numini supplex cliens.

SCE-

Scena Sexta.

Theodosio supplicanti apparent sanctus Ioannes & Philippus, à quibus in spem Victoriæ erigitur.

Theodosius. S. *Ioannes.* S. *Philippus.* *Chorus Cœlestis.* *Levinus.*

Theod. O magne domitor hostium, cujus pedi
Æquè triumphans ac triumphatus caput
Recline subdit; Numine coactus tuo
Suscepta duxi bella, sed tuo quoque
Numine volente victus ad primum impetum
Excessi arenâ. Sed potes tamen Deus
Principia belli mœsta felici exitu
Donare rursus. Tu premis, tu idem levas.
Manum paternam exosculor, quando levas;
Eamque rursus exosculor, quando premis,
Si non meremur vincere Eugenium; tua
Certè id meretur causa, quæ belli mihi
Suggessit ignes. Causa si bona est, fave.
Tuos honores quæro, non laurus mihi,
Vel inane pondus gloriæ: O Numen fave!
Sed quis repentè fertur è cœlo sonus?
Lev. Quis iste cœli exercitus?
Chor. Cœlest. *O nimium dilecte* DEO! *tibi militat æther,*
Et conjurati veniunt in prælia venti.
S.Ioan. Resume Cæsar arma: conflictu novo
Paranda palma est, Major ad Martem redit

Magnæque mentis spiritus. Non hic tuus
Defecit animus. Ille, qui *Mundum* regit,
Qui providente temperat nutu polum,
Solumque, justâ lance dispensat bona.
Illo volente vincimur. Tuam tamen
Animose miles osculor semper fidem.
Ades fidele pectus, amplexum cape.
Sed quanta clades nostra? num vivunt Duces?
Aliquisne miles nemora præcipiti fuga
Invasit? *Dux.* Hic se sylva frondosâ levat
In astra nube, cujus extremo exitu
Præceps profundam petra se in vallem trahit
Munita saxis: hujus in sinu tenet
Ruffinus alam. Conscium belli DEUM
Cœlumque testor; nullus hostili fibras
Exhauriendas pectoris ferro dedit,
Quos Christianus eluit quondam latex:
Cecidere soli Barbari. *Theod.* Vivunt mei?
Cæsar revixi! nullus hostili manu
Vulnus recepit? *Dux.* Neminem suus cruor
Rubore tinxit. *Theod.* Valle dispersos globos
Lege in cohortem. Solus hic mecum moras
Levine ad aras protrahe. Reductis patent
Jam templa valvis. Cæsari hic fidam vigil
Impende mentem, dum genu pronus sacras
Advolvo ad aras Numini supplex cliens.

SCE-

SCENA SEXTA.

Theodosio supplicanti apparent sanctus Ioannes & Philippus, à quibus in spem Victoria erigitur.

Theodosius. S. Ioannes. S. Philippus. Chorus Cœlestis. Levinus.

Theod. O magne domitor hostium, cujus pedi
Æquè triumphans ac triumphatus caput
Recline subdit; Numine coactus tuo
Suscepta duxi bella, sed tuo quoque
Numine volente victus ad primum impetum
Excessi arenâ. Sed potes tamen Deus
Principia belli mœsta felici exitu
Donare rursus. Tu premis, tu idem levas.
Manum paternam exosculor, quando levas;
Eamque rursus exosculor, quando premis.
Si non meremur vincere Eugenium; tua
Certè id meretur causa, quæ belli mihi
Suggessit ignes. Causa si bona est, fave.
Tuos honores quæro, non laurus mihi,
Vel inane pondus gloriæ: O Numen fave!
Sed quis repentè fertur è cœlo sonus?
Lev. Quis iste cœli exercitus?
Chor. Cœlest. O nimium dilecte DEO! tibi militat æther,
Et conjurati veniunt in prælia venti.
S. Ioan. Resume Cæsar arma: conflictu novo
Paranda palma est, Major ad Martem redit

Afflicta virtus. Sera, non dubia tamen,
Respiciet ad te palma. Si premitur semel
Tentata virtus, opprimi tamen DEUS
Non patitur unquam.
S. Philippus. Militum parvâ licet
Cingare turmâ, Cœlites habes tamen
Tibi militantes. Barbaros DEUS sui
Noluit honoris vindices; soli hoc decus
Tibi, tuisque servat. Impavidum gradum
In prælia urge. Cerne radiantis poli
Auxilia prompta. Plaudat auspicio chorus.
Chor. *O nimium dilecte DEO, tibi militat æther,*
Et conjurati veniunt in prælia venti.
Levin. Audivit æther, Cæsarem palmæ decus
Jam certa firmant signa.
Theodos. Non fallis DEUS,
Quidcunque spondes. Numen ô verè pium!
Adversa lætis temperas. Ibo tuis
Jam fultus armis. Ære galeatum trahat
In bello Martem Eugenius, & vastâ furat
Vallatus acie latera: tutorem DEUM
Oppono castris. Clausa littoribus freta,
Et nauseantis ultimi terræ sinus
Audite: Visi Cœlitum nivei globi,
Audite, Cæsar vota quæ defert DEO.
Quidquid sub isto pectore cruoris latet,
Tuæ rigandæ gloriæ effundam lubens.
Mihi nulla veniat palma, nisi pariter tui
Crescant honores. Summus hic honor mihi est,
Tuam ampliâsse gloriam. Jubes DEUS

Refer-

Referre palmas? pareo. Jubes mori?
Pari calore pectus in mortem dabo.

Scena Septima.

Plaudens Eugenianorum militum manipulus à manipulo Theodosianorum obruitur.

Milites Eugenij. Ruffinus. Milites Theodosij.

Mil. Eug. 1. Io! subacto ex hoste Eugenius
Retulit palmam! Ne mihi posthac
Fama Alcidem garrula narret.
Fabula mundo est vetus Alcides
Per Hyperbolicos cantata modos.
Volat Eugenius viribus illo
Hercule major: cujus in acta
Si Fama tubâ concrepet omni,
Linguasque omnes obsequioso
Trahat eloquio, nunquam veri
Finem attinget. *Ruff.* Subsiste. locus
Favet in fraudes. Iste sub ictu
Nostro est miles. *Miles Eug. 2.* Qui domitorem
Facit Alciden, sive leonum,
Sive Hydrarum, sive Gigantum,
Sive profundi canis Inferni:
Multo miscet vera errori,
Dum plura refert. Quisquis laudes
Canere Eugenij volet incautus,
Multa errori quoque miscebit,
Magni Eugenij dum facinoribus



Famæ inferior penna volabit.
Ruff. Tu latus istud; tu latus illud;
At tu frontem tacitè observa.
Mil. Eug. 3. Demus ad orci penetrâsse cava
Antra Alcidem, Stygiasque pede
Victore semel pressisse domos;
Sed non dicas inde rediisse.
Vel dicemus Phlegethonteo
Amne trifaucem traxisse canem,
Primâ infecti nocumenta soli.
Unus furias omnemque Stygis
Nigræ sobolem rursum Eugenius
Mergit Averno. *Mil. Eug* 4. Quidquid canimus,
Minus est meritâ laude Herois.
Quà sua tendit merita Eugenius,
Nequit eloquium tendere fama.
Ruff. Arma, arma miles, res, locus, tempus vocat.
Huc arma miles. O Stygi sacrum genus!
Mil. Eug. 1. Heu nos perimus! perimus!
Mil. Theo. Sanguinem & vitam date.
Mil Eug. 2. Admitte lytrum.
Mil. Theod. Sanguinem in lytrum dabis.
Ruff. Suspende ferrum. Cæsarem vinctus colat
Poplite recurvo. Discat ambiguâ vice
Sortem rotari; quodque monstravit jubar
Enubilatæ frontis, obductâ tegi
Repentè nube.

SCENA OCTAVA.

Theodosius recollectum militem narratione divini ostenti ad redintegrandum prælium animat.

Theodosius. Levinus. Ruffinus.

Theodosius. - - Martius quis hic canor?
An noster arma miles in campum refert?
An hostis urget? fida da latebras specus.
At tu, Levine, Cæsari certas notas
Instantis aperi Martis. *Levinus.* O Cæsar tuus
Redintegratis viribus miles redit.
Ruffinus. Parce Imperator.
Theod. Surge, jam nota est fides.
Ruff. Non mihi timores pallidi, aut gravium metus
Periculorum suaserant Martis fugam.
Tibi metuebam Cæsar. In suâ licet
Statione deceat militem victum emori:
Tamen & honori est fugere, si quando fugâ
Salus paratur Cæsari. Nam quid juvat
Cecidisse lecti militis fortem manum;
Si non sit inde tutior Cæsar? petit
Hoc cura regni, civium salus, bonum
Commune, lex prudentiæ, cautè ut manum
Exasperatæ fortis evites fugâ;
Si quando spes victoriæ à fuga emicat.
Theod. Fugam paventis militis cœlum improbat:
Commendat illam, quâ venit patriæ salus.

Fu-

Fugisse vos non improbo: ad suum caput
Redijsse laudo. Si quid in prædam tulit
Hostilis ensis, Barbarus miles fuit,
Quem nuper Asia misit auxilio mihi.
Reliquus superst. s Cæsari rursum tuo
Per arma sei vis: nullus ad numerum deest
Numerus priorem. Vivite, ô sceptri mei
Pars magna, lecti milites. Nubes suo
Vacuata tandem fulmine est; nec jam polus
In nostra damna mugit. In certo est salus,
Non vana narro. Visus æthereâ mihi
In nube densi militis fortis manus
Spondere palmas, meque dum allapsu petit,
Resume, dixit, *arma conflictu novo,*
Premetur hostis. Sera, non dubia, tamen
Respiciet ad te palma. Non magnâ licet
Cingâre turbâ; Cœlites habes tamen
Tibi militantes. Dixit, & dulci chorus
Lætum per auras cecinit auspicio melos:
O nimium dilecte DEO, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt in p ælia venti.
Si bellicosis aliquis in viris vir est,
In pectore anima, sanguis in venis, vigor
In mente vivit; Marte repetito impetum
Tentate belli. Cæsarem pono: pater
Vobis vocari gestio, & meos volo
Vos esse natos. Filios sinu geram,
Cædemque vestram cæde prohibebo meâ.
Et vos vicissim Cæsari fidem date.
Dux 1. Jurate fortes dexteras.
Omnes. Juro. *Dux 1.* Fidem?

Omnes.

Omnes. Juro. *Dux 1.* Generosos spiritus?
Omnes Juro *Dux 1.* Impetum
Per arma? *Omnes.* Juro. *Dux 1.* Sanguinem?
Omnes Juro *Dux 1.* Necem?
Omnes. Juro. *Theod.* Adsecunda Numen! adamatam manu
Laurum tenemus. Antequam ponto diem
Titan Ibero mergat, eventu poli
Promissa stabunt; quique nunc tumidus ruit,
Timidus feroces impetus ponet leo.

C H O R V S.

Bona Causa furoribus pressa per Genium Theodosij periculo eripitur.

Bona Causa. Furor. Ambitio.

Bon Cau. Quo me præcipiti volvitis impetu?
Heu mentis furias! Sim licet innocens,
Sum damnata nocens. Hoc scelus unicum est,
Quod nostrum facilis Cœlituum favor
In votum veniat. Quanta fluentibus
In nos sideribus munera prodigum
Cœlum conglomerat tanta cupidinis
Urgent tela sitim. Semper hiantibus
At frustra sequeris rictibus; aufugam
Præsenti eripient astra periculo,
Jurati veniunt in mea Cœlites
Semper vota. *Furor* Vides? ut tibi gemmeæ
Disceisère fores, & patet intimi
Lux reclusa poli. *Amb.* Nempè volantium
Turmæ Cœlituum, cùm libet, æthere
Debent obsequijs sistere se suis.

Bon.

Bo.Ca. Nunquam non faciles Causa habuit bona
In votum Superos. Si premar, opprimi
Me nunquam patitur dextera Numinis.
Fur. Non si fulmineis detonet ignibus
Fœta è nube polus, sævaque siderum
Tempestas timidam dissociabili
Naturam laceret fœdere, dexterâ
Te nostrâ rapiet. *Bon. Caus.* Numina, Numina!
Fur Quis turbo violens? quis furor ætheris?
Ambit. Erepta est manibus præda tenacibus.
Fur. Divorum rabies invida siderum.
Delusus semel est impetus. Ibimus
Quò nos ira feret. quò furor æstuans.
Bon Caus. Frustra Tartareis ignibus incita
Exardet rabies. cùm DEUS ægidem
Obtendit furijs. *Gen* Discite posteri,
Quando Causa bona est *pro populo & DEO*,
Nunquam Numen abest. Pacat amabili
Iustitia & Pietas omne prælia.
Carmen Heteroclitum fecit necessitas vocis.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

Eugenius Victor dum præmia militibus distribuit, intelligit Theodosium vires redintegrare.

Eugenius. Duces. Arbogastes. Flavianus Arbetio. Exercitus.

Arb.

ARb. Substerne miles arma, quæ Victor refers.
Eug. Generosa Virtus militum Ducis sui
In largum apertas præmiis manus petit.
Merces laboris umbra. Quà labor præit,
Sequatur umbra. Bella certatim huc volant,
Spes undè prædæ prospicit. Tepet manus
Ad arma, quando fructus est belli unicus
Depositus hostis. Nemo cum misero lubens
Luctatur hoste. dives irritat face
Meliore pectus, cujus ex casu lucrum
Aliquod resurgat. Vincere, hoc Ducum est decus.
Bello referre spolia, militum est lucrum.
Nec denegari convenit, quidquid manus
Heroa peperit. Primus in donum venis
O Flaviane! gemma virtutis tuæ
Hæc testis esto. *Flavian.* A nomine hæc noctem meo
Arcebit omnem lumine. *Eug.* Secundus subi
In munus Arbogaste, tibi multâ scyphus
Illusus arte, & gemmeo ridens joco
Debetur. *Arbog.* Isto vina cùm dedero Dijs,
Annos vovebo, quotquot Eugenius vovet.
Eugen. Arbetio cassis verticem hæc tuum impleat.
Casside sub ista nullus est metui locus.
Reliqua per orbem singulis dona egere
Tribune. Nullus præmio miles vacet.
Nullius negavit Martijs factis manum.
Milites. Vivat perennes Victor Eugenius dies.
Miles. Invicte Princeps, prælium novum imminet

Pe-

Pejus priore. Cæsar armatas tenet
In monte turmas. *Eug.* Nempè non uno satis
Periijt duello. Vita restabat: dabit:
Superstitemque sanguinem, miles, tuis
Infundet armis. *Flav.* Bella si semper patens
Bellona traheret, & in apertum pulverem
Mars provocaret, parte metuendum tibi
Nullâ esset: at si fraudibus bellum gerat,
Cauto timore Victor in campum ruat.
Eug. Frementis hæc est ira Neptuni ultima:
Procella postquam gravior insultum stetit,
Positisque pelagus omne detumuit Notis,
Adhuc movetur murmure indignans fretum,
Irasque lentè devorat. Sic post gravem
Incendiorum turbinem, micant adhuc
Tenues favillæ. Nerei extremus furor
Est iste Martis fremitus, aut incendij
Ultima favilla. *Flav.* Quod voves, credas minus,
Eug. Non sic leonem mordet imbellis lepus.
Flav. Se posse cuncta existimat, quisquis furit.
Eug. Semel subactus hostis in pejus ruit;
Pavidaque victum dextera ferrum gerit.
Flav. Contemptus hostis sæpius victor redit.
Eug. Præsumptuoso pectore insanus furit:
Effulminabo, quidquid armorum trahet.
Hâc sequere miles: bella si vocent, pari
Ut antè studio, fortis ad palmas vola.

SCE-

SCENA SECVNDA

Arbetio non parem Virtuti suæ in munerum elargitione locum sortitus, & acuto dicto offensus, defectionem ab Eugenio meditatur.

Arbetio.

Non ſic Tyranne abibis. Irato furor
Dabit calores. Ira dum fervet, quies
Negatur omnis pectori: frendet, fremit,
Rapitur, rotatur, volvitur, quaquà patet
Semita nocendi. Flamma vindictæ appetens
Effulminantis æmula eſt flammæ, capit
Ab obice vires: avida pœnarum volat
Artes per omnes. Primus in aciem irrui,
Exercitumque primus ingentem impetu
Mavortiali diffidi, & ſtragem dedi.
Qualis coactis intumet torrens aquis,
Poſitique fragiles obicis indignans moras
Per plana violens rapitur, & totos tegit
Campos procella, ac arbores ſecum rapit,
Segetemque ſternit: talis Arbetio meâ
Hoſtilis agmen militis preſſi manu.
In Marte primus, tertius doni fero
Arbetio ſortem. Nempè ſic virum æſtimas
Cruente prædo! quodque mihi grave imprimit
Sub corde vulnus, caſſis in donum datur:
Caſſide ſub iſtâ nullus eſt metui locus.
Sic me pavoris arguis? mundi probrum,
Ferale buſtum patriæ! oſtendam manus

Quid

Quid ista possit. Cassidem tuam tibi
Excors, & umbra desidis Viri, lepus
Galeate! nudum Arbetio violento dabo
Pectus furori. Ne quid insano impetu
Peccet furentis ira, consilio indiget.
Non sum ligatus. At sacramentum dedi.
Sed non Tyranno. Perfida patriæ est fides,
Quæ se Tyranno dedicat. Pulchrum est genus
Fidelitatis, perfida Tyranno fides.
Tententur auro milites: auri nitor
Vel abnuentes allicit. quo auri sitis
Penetrare potuit, facilè discessit fides.

SCENA TERTIA.

Victoria Theodosij Genio laurum imponit, & futuram Cæsarum in Imperio successionem ostendit.

Victoria. Theodosij Genius.

Conversa sors est; aleâ
Secundiore ludit.
Justos Piosque Cæsares
Non derelinquit æther,
Tibi Theodosi lauream
Decrevit ordo cœli.
Tibi, Tuisque posteris
Hæ laureæ virebunt.
Aspice futura pignora,
Tuæque gentis ævum,
Arcadius iste, sanguinis
Primus tui pyropus.

Gen.

Gen. The. O digna mille laureis
Frons! mille digna gemmis!
O digna sceptris dextera!
Et mille digna regnis!
Tibi servus oriens verticem
Accliner, occidensque.
Victor. Theodosius hic est junior:
Hic Honorius. sequuntur
Tui Nepotes ordine.
Gen. The. Sic me beatis astra!
Quæ DEA serenas irides
Supercilî explicavit?
Vultuque ridet gemmeo,
Cristallinoque labro?
Victor. Est Austriorum Gloria.
Gen. The. Hæc illa Diva tandem est,
Quam mihi futuri conscius
Toties spopondit æther!
Victor. Hæc illa Diva, Cæsares
Quæ mille, mille Reges
Dabit, columnas Imperî,
Fulcra occidentis orbis.
Rudolphus hic, Albertus hic,
Amor, timorque mundi:
Hic terror orbis Carolus:
At ille Ferdinandus:
Maximilianus alter hic,
Rudolphus hic secundus.
Hic Matthias amabilis;
Hic Ferdinandus alter:
Hic Tertius, At hic Quartus est.

Gen. Th Quæ Scena? quod theatrum
Auſtria recludit gloriæ?
Et poſteros recenſe.
Sunt mille, mille, mille ſunt,
Et mille, mille, mille,
Si mille mundus purpuras,
Et mille ſceptra haberet,
In purpuras tot Cæſares,
In ſceptra totque Reges,
Fæcunda Mater Cæſarum
Auſtria crearet orbi.
Gen. The Vivite Nepotes, ultimi
Rotatè ſceptra mundi.
Nec fronte veſtrâ decidat
Prius Imperî Corona,
Quàm terminetur ultimi
Suprema meta mundi:
Quamdiu ſerenum Cynthius
Rotat per aſtra currum.

SCENA QUARTA.

Arbetio tranſit ad Theodoſium.

Arbetio. *Theodoſius.* *Ruffinus.* *Nuncius.*

Arb. Deliberatum eſt. Agite meditatum decus
Animæ cruoris prodigæ: quorum fide
Tutus per omnes Martis inſani vias
Semper volavi. pergite, propinquis fremit
Ubi Cæſar armis. Rupta cum laude eſt fides,
Quæ ſine nefando ſcelere ſervari nequit.
Theod. Quis apparatus iſte Mavortis? tuba

Evo-

Evocet in arma militem. *Nunc.* Nullo dolo
In castra penetro. Cæsaris causæ studet
Arbetio. Si non displicet, seque & suos
Tibi sistit. *Theod.* Arma si prius ponat, meos
Vultus subire tutus Arbetio potest.
Nunc Deponet ante Cæsaris magni genu.
Theod. An hîc timendum est aliquid?
Ruff. Armatos fero.
Si ponat enses Marte, metuendum est nihil.
Th. Adesne amicus? *Arb.* Ante Cæsareos pedes
Adsterne miles arma Si pateris tuo,
Auguste Cæsar, nostra Mavorti quoque
Servire bella, dabimus in bellum fidem.
Nuper fatemur alteri datam, tamen
Et jure ruptam; quando quem nobis Ducem
Statuimus, esse desijt. factus novo
Ausu Tyrannus Causa bellandi quoque
Pro te perorat. Sceptra, quæ Numen dedit,
Justè tueris: ille per nefas petit.
Bissena jam me vidit in castris hyems,
Bissenaque æstas vidit: at semper bonæ
Causæ studentem. Si bonam Causam sequor,
Admitte Cæsar; Cæsari juro fidem.
Th. Assurge magnæ mentis haud minor calor,
Scintilla pulchra Martis, & misce meæ
Temet phalangi: tuque magnanimæ caput
Arbetio turmæ; tanta ne virtus suo
Honore careat, inter excelsos Duces
Numerêre posthac. *Arb.* Veneror Augusti pedes,
Si Martialis rursus in pugnam canor
Acies vocârit, morte juratam fidem

 Te-

Testabor. aut hâc dextera palmam feram.
Theod. Quis rursus aures æris increpuit sonus?
Nunc. Propinquat hostis, & metu valles replet.

Scena Quinta.

Redintegratur prælium: Vincit Theodosius.

Theodosius. Eugenius. Duces. Et uterque Exercitus.

Theod. Cape arma dextris miles, & juncto ordine
Victoriarum certus in pugnam rue,
Date mihi dextrâ tesseram *Miles* Justus DEUS
Theo. In hac triumphos tessera cœlum parat.
At ecce vestras hostis invitat manus.
Si quando pectus ante, nunc animos viri;
Statione nemo cedito: & juncto ordine
Lentoque passu coge in angustum feri
Martem tyranni. Crude regnorum latro.
Eug. Imbellis Imperator. *Th* Agnoscis tamen,
Nolensque dicis Cæsarem. *Eug* Stirpis tuæ
Imbelle probrum. *Th.* Scylla communis boni.
Eug Scelerum charybdis.
Theod. Fraudium mille artifex.
Eug Infamæ bustum purpuræ. *Th.* Nulli Ducum
Metuende miles. *Eug* Miles ad quemvis Ducem
Formidolose *Theo.* Sanguinem tuum meo
Propino ferro *Eug* Sanguinem tuum siti
Propino averni. *Th.* Regna, quæ injustè tenes,
Hic mucro repetet.
Eug. Regna, si quæ adhuc tenes,

Ovi-

O vilis umbra Cæsarum! hic rapiet chalybs?
Theod. Hodie videbo popliti affusum meo
Gemere Tyrannum.
Eug. Facinus hoc Titan vides?
Theod, Videt iste, cujus signa de manu gero.
Et quod tin ere ducis op robrium, jubet
In te patrare. *Eug.* Perge, si Vir est Viro,
Si pectus animo. *Theod.* Pergo, tu cedes. Sonet
Indicta miles tessera. *Omnes.* O *Iustus* DEUS!
Theod. Ru te. Secundus prosperat votum DEUS.
Flav Heu me! perimus,
Arbog. Illa, quæ cœlo cohors?
Impunè nemo conferit DEO manus.
Theod. Sequere volantem miles Eugenium.
Mil Eug. Cadit
Undique cadaver Aggere objecto fugam
Funera coercent. *Arbog:* Dira! ineluctabilis
Fortuna! donec opprimas, semper premis.
Fugio, nec ullâ parte fugienti datur
Securum asylum.
Dux Eug. Vincimur. Cœlum invidet
Virtuti honores. *Ruff.* Sequere, condice, eneca.
Arbog. O sors acerba! cursus infelix poli!
Inimica cœli sidera! ô cæci DEI!
Palmam dedistis ante, nunc rursum invidi
Datam recipitis. Capite. Sed si aliquod adhuc
Lentâ tenetis dexterâ fulmen, manu
Vindice vibrate: meta succensæ facis
Sit Arbogastes. Gratius vitâ est mori,
Inhonora quando est vita. Districtum rota
In pectus istud fulmen, ô quisquis polos

 Ali-

Aliquando terres fulmine. En magni patet
Capax furoris area. O luctûs gravis!
Mori volenti Cœlites mortem negant.
Hæc est malorum pœna, dum volunt mori,
Non posse; vitam trahere pejorem nece.

Scena Sexta.

Arbetio cum suis insidiatur Eugenio.

Arbetio.

Hic in propinquo colle successu tumet
Ficto Tyrannus. Arma in tempus petit:
Adeste socij. Poscit officium locus:
Invitat ultrix Nemesis; in nostra est manu
Tyrannus audax, astra ni fallant fidem.
Inscende plaudens eminus montis jugum,
Victoriamque voce repetitâ cane,
Victoriam! Victoriam! magnum tuis
Præfige signis Herculem. ubi suas ratus
Fors ille turmas, steterit; inimicam injice
Manum, & catenis stringe prodigum feræ.
Nihil morare. Sæpè discrimen parit
Mora parva magnum. Ne tamen sui immemor
Generosus ardor peccet, aut belli impetus
Abripiat animos. Bella qui temeré gerit,
plerumque victus cæditur. Pariter Viri
Nihil timete. Facilè, qui timet, cadit.
Cautela vobis calida sit, cautus calor.

Sce-

SCENA SEPTIMA.

Flavianus instante Theodosio fugit.

Flavianus.

Flav. Quæ mihi nigrantes latebra concedat sinus,
Tenebrisque fidis contegat? cœlo diem
Devolve Phœbe; merge præcipites mari
Currus Ibero: redde inaspectam fugam.
Huc Flaviane tota pollentis statûs
Detracta pompa est! fremuit à tergo sonus?
Nemo hinc minatur? solus, abjectus, miser,
Vacuus honoris, Martis opprobrium ultimum
Sylvæ per omnes erro fugitivus plagas.
Hinc instat hostis. Solis inimicæ faces
Truncate radios Nemo fugientem premit?
Hæc sunt rotantis fata fortunæ: levat,
Sed stare prohibet: incito cursu suâ
Statione magnos ejicit, parvos levat.
Sonantnè rursus arma? quid pejus queat
Instare miseris, quàm pavor mentis sequens
Premens priorem? lubricæ ô sortis vices!
Timete si quos scelere fortuna extulit
Virtutis hostis. Hora quod dedit prior,
Rapiet secunda. Gloriam quisquis suam
In scelere fundat, discat exemplo meo,
Cum sole natam gloriam, cum illo mori.
Sonuère rursus arma. Da fugam nemus.

SCENA OCTAVA.

Vinctus Theodosio sistitur Eugenius.

Theodosius. Eugenius. Arbetio. Dux Theodosianus.

Dux Theod. Hic sylva tremuit, & repercusso sono
Admonuit aures: aliquis hàc rapuit fugam.
Abjecta produnt spolia.
Theodosius. Suspendat furor
Nunc arma miles. Fessa cedendo manus
Detur quieti. Quis fragor belli sonat?
Arbet. Vive Imperator Hostis in tua est manu.
Theod. O astra cœli mitia! ò clemens DEUS!
Arbet. Sublterne magno Cæsari victum caput.
Theod. Vicisse satis est.
Arbet. Tam diu serpens nocet,
Donec teratur. *Theod.* Barbarum hoc Regem sapit,
Postquam refrixit mucro, captivi fibris
Hostis sitire sanguinem. Nobis sat est
Vicisse. Clemens Cæsares furor decet,
Et ira mitis. Prædo regnorum, DEO
Exosa pestis! disce, quàm nunquam DEUS
Faveat Tyrannis *Eug.* Cæsar, hoc sero nimis
Victus docetur. *Th.* Cæsarem vocas? *Eug.* Voco,
Coloque. Magne Cæsar, in victum manus
Temerare parce. *Th.* Nulla me quamvis sitis
Cruoris urat, noxium tamen suas
Pœnas reposcit crimen. In novum scelus,

Quis-

Quisquis patratum sustinet, sternit viam.
Quicunque parcit hostibus, is hostes alit.
Eug. Qui supplicantis vota non durus capit,
PII meretur Cæsaris nomen. *Theod.* Tamen
JUSTUS vocari desinit. Non est PII
Contra æquitatis jura patratum nefas
Remittere hosti: Justa sit pietas, pia
Justitia Regum. *Eugen.* Cæsarum primum est
decus
Lentè tonare. *Theod.* Sed tamen Reges decet
Tonare. *Eug.* Facies blanda commendat polum,
Vultus serenus Cæsarem. *Theod.* Quando scelus
Serenitatem poscit expungi, est nefas
Parcere Tyrannis. Grande nocumentum est
probis.
Tolerare nocuos. *Eug.* Tolle peccantes, perit
Pretiosa gemma Cæsarum, Clementia.
Theod. Lentus remitte crimina, ejectum foro
Jus exulabit. Sceptra non rigidus gero,
Sed JUSTUS Imperator. In reos favor
Si se reclinet, civium perit salus.
Eug O magne Cæsar! *Th.* Judicem tuum voca.
Eug. O juste vindex criminum, quando potes
Simul esse justus, & simul mitis, decet
Magis esse mitem. *Theod.* Si suâ pœnâ caret
Impune crimen, semper audaces facit.
Prius residat ira, quàm plectas. Probo
Judicia lenta. Sanguinis pondus grave est.
Judicia facilè nemo præcipitet furens.
Furor est iniquus criminis judex; licet
Plectat rebelles, Interim vinctus mea

Sequeris arma, militis nostri jocus,
Donec procella Martis accensi suos
Ponat furores, seque refringat calor,
Populusque reducem Cæsarem effusus colat.

CHORVS.

Dum pax Orientis & Occidentis Imperia componit, Virtus Genios Arcadij & Honorij instituit ad gubernandum: instructos allapsa è nubibus gemina Aquila repentè abripiunt, & Imperijs in nubes elatis sistunt orbi præficiendos.

Pax. Virtus. Imperia. Genij.

Pax. Ite cruda Martis arma:
Pax beata mandat: ite:
Dum sereno vecta curru
Patria astra inambulo.

Semich. 1. Pax amœnæ mater auræ,
Pax soror beatitatis,
Siderumque faustiorum
Pax amœna filia.

Pax. Convenite dissoluti
Regna mundi, copulanda
Lege amoris, convenite,
Pax paravi vincula.

Imperia. Obsequamur, est amœnum
Pacis imperantis omen.
Convolemus in beata
Fræna pacis aureæ.

Semich.2. Prima vena suavitatis,
Blanda mater æquitatis,
Utriusque risus orbis,
Faustitatis gratia:
En Orientis, en Cadentis
Regna Solis in lupatos
Convolârunt. Junge nexu
Mundi utrumque cardinem.
Virtus. Ad sceptra grande pectus erudij Date
Quæ prima magnos Cæsares Virtus (decet
Gen. Arc. Imperare jussus, audi.
Frons amœna sit, serenus
Risus oris, mite labrum,
Et modesta lumina.
Virtus Hæc una virtus subditis gratum facit.
Gen. Hon. Liberale frontis æquor,
Pectus acre, Justus ensis,
Et Pius calor, manusque
Expedita in prælia.
Virtus. Urgente nullô suscipi bellum decet?
Gen. Arc. Si frementis ira Martis
Sæviente vecta flammâ,
Vel rebelle gentis æstrum
Regna ferro vulneret.
Virtus. Quid si furores pace componat quies?
Gen. Hon. Si quiescat ira Martis,
Orietur æstus ensis.
Bella belluas tuentur,
Pax amica Principes.
Virtus. Paci studentem Cæsarē mundus colit.
Gen. Arc. Cura Numinis tuendi,

Cura civium perennis
Pectus urat; Æquitasque
Facta lance ponderet.

Virtus. Æquo studentem Principem cives amant.

Gen. Hon. Pro DEO decet labores
Imperantem non timere,
Populorum pro salute
Excubare Principes.

Virtus. DEO & saluti civium princeps datur.

Semich. 1. Audijstis eruditos:
Ad Coronas. Ite fidi:
Alites, DEI ministri,
Ad Coronas tollite.

Semich. 2. Ad Coronas evolate.
Cæsares Pios & Æquos
Diligit DEUS. Venite
Ad Coronas Imperî.
Cæsares DEO studentes,
Publicoque militantes
Civium bono benignus
Ordo cœli deligit.
Ad Orientis, ad Cadentis
Imperî venite Sceptra.
Astra nutant: advolate.

Imperia. Ad Coronas evocati
Sistimur jubente cœlo.

Omnes. Pace longâ uterque vive.
Pace Regna floreant.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Erigitur jussu Senatûs arcus triumphalis.

Senator. *Artificum Chorus.*

Senator. NOndum peracta jussa? vicinus gradum
Jam Cæsar urget Victor, & Patriæ Pater.
Alacres citate spiritus. Nunquam nimis
Citò paratur debitus virtuti honor.
Chor. Art. Virtus inclyta non eget
Umbrâ pegmatis aurei,
Dives laude domesticâ:
Cultus negligit exteros.
Non est vultus amabilis,
Non frons pulchra, nitoribus
Quæ crescit stibii adliti.
Turpe est, quidquid honestius
Cultu redditur extero.
Phœbo Græcia lampadas,
Urat mille, serenius
Non sparget jubar æthere,
Dives lumine proprio.
Virtutem popularium
Tollat gloria plausuum;
Illi se famularibus
Ganges fluctibus ingerat,
Et vestis Tyriæ nitens

Inserpat lateri color;
Surgant invidiam polo.
Ingestura palatia,
Virtuti nihil aggerent.
Illam non popularium,
Tollit gloria plausuum,
Non frontis diademata,
Non fluctu Tagus aureo.
Fingi nescia, marmoris
Stantis præmia despicit.
Quis nos sudor inutili
Cogit solicitudine,
Victori decus addere?
Non adscititio litas.
Mentitur stibio genas
Frons, quam gratia inambulat,
Quid nos Praxitelis labor,
Vel cœsum Rhodium juvat?
Virtus culta precariis
Non fit clarior ignibus.
Sola est ipsa sui decus.
Facti gloria nobilis,
Fecisse est: alio nequit
Virtus munere crescere.
Quidquid luminis aggeres
Virtuti, merito est minus.
Semich. Quamvis præmia non petat,
Tu ne subtrahe publicos
Plausus. Si meritum nequis
Exæquare laboribus,
Saltem sed poteris tui

Partem solvere debiti
Mente intendere sufficit,
Ad quod dextera deficit.
Chor. Art. Vivat gloria Cæsarum!
Æternet Theodosius!
Cujus munere sæcula
Evolvit polus aurea.
Æternet Theodosius!

SCENA SECUNDA.

Victor ingreditur urbem Theodosius. Perorat pro iis Ambrosius, qui se in templa reduxerant, & clementiam Cæsaream impetrat.

Theodosius. Duces. Senatus. Ambrosius. Manipuli militum laureati.

Manip. 1. Vicimus! Io! quisquis fragili
Dextrâ cautus volvere magna
Bella aggreditur; palmas emere
Duro Martis pretio tentat.
Hoc Theodosius tulit ex hoste
Pretio lauros. Vicimus! Io!
Manip. 2. Vicimus Io! quisquis ab undis
Pelagi gestit conchas legere,
Vasti penetret viscera ponti, &
Mersus amaras hauriat undas,
Hâc Theodosius merce coëmit
Dulcia amatæ munera lauri.
Manip. 3. Vicimus Io! Vicimus Io!
Quisquis odores amat hortorum,
Divamque rosam, veris ocellum,

Flo-

Horumque Ducem carpere certo
Ungue minatur; non formidet
Digito acerbas tangere spinas.
Sic Theodosius, per acerba feræ
Vulnera fortis retulit palmam.
Man: 4. Qui Phryxææ pecudis vellus
Victrice volet per freta vectus
Tollere dextrâ; non ille maris
Horrea iras fluctusque gravi
Turbine motos. Sic Theodosius
Per mare tumidis fluctibus horrens
Felice suum littore tandem
Statit Imperium. Vicimus Io!
Ruffin. Subsiste miles Patriæ optatæ inclytas:
Turres adora *Theod.* Laureis centum caput
Fastigiata patriâ heroum lares,
Regina mundi, Cæsarum ferax domus,
Cœlo invidenda tecta, regnorum parens,
Dilecta salve terra, quam densis seges
Armata telis, ære radiantes globi,
Horrensque ferro miles, & fuso horridus
Undique cruore per obviæ necis minas
Defendit usque, Cæsarem tuum excipe,
Faustoque reducem pacis amplexu fove.
Senator I. Invicte Cæsar, gentis afflictæ salus,
Domitor Tyranni, pacis assertor, tui
Vindex Senatûs, Civium pater. Oculo
Hoc patere nomen dextero, postquam tua
Patriæ labantis dextera ruinam stitit.
Sen: 2. Exosculamur sceptra, quæ manu geris,
Cæsar paternam, quæque si vota audiat

Deus

Deus suorum, pace perpetuâ frui
Proni advovemus. *Sen* 3. Aure si patriæ excipis.
Sensus benignâ, civium interpres loquar:
Salve labantis magne Reparator rei,
Cui præliatus turbine insano Notus
Submisit iras, & procellosi maris,
Inter furores sæpè dubitantem ratem,
Tuto quietis littori Virtus dedit.
Sen. 4. Composita pacis studia, tranquilli dies,
Serenitatis otia, æqualis tenor
Felicitatis, civibus constans fides
Reposita, munus dexteræ est, Cæsar, tuæ.
Theod. Quem præsidere publicæ rei Deus,
Regnoque jussit, publicæ jussit rei
Munimen esse, & vertice objecto dare
Clypeum saluti patriæ: Dedi: Tibi
Hæc si probantur studia, jam satis mihi
Est gloriarum: Vicimus: sed hoc decus,
Post affluentis Numinis Magni manum,
Est vestra virtus milites. *Ruff*. Virtus Ducis
Ingessit animam militi. *Theo*. Per vos jacet
Calcatus hostis Imperi. *Ruff*. Sed te Duce.
Theod. Per vos Tyrannus mordet afflictus solum,
Terrâque miscet sanguinem. *Ruff*. Laudis decus
Debebit istud Cæsari miles suo.
Theod, Per vos subactus hostis ad cœlum facit
Gradum altiorem Cæsari. *Ruff*. Flammæ Ducis
Virtutis igne militem accendunt suum.
Theo. Pars magna laudis Cæsari est miles bonus,
Ruff. Et summa laus est militi Cæsar bonus.
Theod, Quis iste pavido tremulus incessu chorus?

S. Am-

S. Ambrof. O digne Cæsar æthere, Augustæ man'
Exosculari liceat invictum decus.
Postquam serenos sidera eventus tuis
Dedere bellis, illud ad tuos quoque
Adjice triumphos; ut tuam Clementiam
Pejora meritus sentiat, quisquis sacras
Fugerat ad aras. Quisquis ad clavum sedet,
Deum æmuletur; ille non semper manu
Jacit trisulca tela, cùm peccat furor:
Suspendit ictum, parcit, & simulat diu
Vidisse crimen. Lege si belli exigis
Causam, Imperator, nulla spes victis manet;
Sed si feroces impetus belli premis,
Iramque ponis, glorias vincis tuas.
Vitam rebelli auferre Victori licet;
Donare, laudum est maxima. Abjectos leò
Molli ungue tractat, ungue contentus gravi
Stravisse tumidos. Parce. Nam victis preces
Tantùm supersunt; nulla Victorem ligant
Decreta legum. Sternere superbos, gradus
Victoriarum primus est; alter, piâ
Tractare dextrâ supplices. *Theod.* Non sum tigris
Aut lacte pasta tigridis Æmoniæ fera,
Qui pertinaci sanguinis siti ardeam.
Vicisse satis est. Nolo mihi cingat latus
Vestri cruoris purpura. Afflictum caput
Attolle turba. Discat hoc orbis, meo
Me tegere Cives Marte, non victi necem
Quærere. *S. Ambr.* Benigni Cæsaris pedes cole
Rediviva turba. *Supplex 1* Vivo, sed vivo tuâ
Benignitate Cæsar. Hoc proprium Dei est.

Do-

Donare vitam, rapere quam quivis potest.
Theod. Vivite, measque laureas quisquis probat,
Inter serenos exigat plausus diem.

SCENA TERTIA.

Datur plausus à nobili Iuventute Vrbis.

Primus. Orbis Clypeus bonus est Cæsar;
Sive micantes ira sarissas,
Sive furentes Marspiter enses,
Sive cruentas B. llona faces
Torqueat, isto tegitur tutus
Clypeo mundus. *Secundus.* Pater Imperij
Bonus est Cæsar. Quotquot amantes,
Numerat Cives, tot dilectos
Gremio natos condit amante.
Tertius. Numinis Oculus bonus est Cæsar:
Cùm DEUS isto conspicit Orbem,
Simul afflicto prospicit Orbi.
Quartus. Dextra Tonantis bonus est Cæsar:
Levat hac miseros, tumidosque premit.
Quintus. Regula recti bonus est Cæsar:
Regis ab act s capit exemplum,
Quisquis in actis errare fugit.
Sextus. Sol Imperij bonus est Cæsar:
Quacunque ruant parte tenebræ
Noctis amicæ, munere grati
Numinis arcet. *Septimus.* Gemma Imperij
Bonus est Cæsar: Civis amico
Jungere nexu, suus ut gemmam

Annu-

Annulus ornet cinctu aurato.
Octavus. Deus in terris bonus est Cæsar:
Illum prono veneretur Iber
Indusque genu: quique rigenti
Subditus Arcto Tanain haurit.
Nonus. Ara salutis bonus est Cæsar:
Huc vota volant, spes unde micat
Certa bonorum.
Decimus. Centrum Imperij bonus est Cæsar:
Omnes unus trahit affectus.

SCENA QUARTA.

Theodosius Imperator pace partâ de successore cogitat. Filiorum Arcadij & Honorij virtutem coram Arsenio experitur.

Theodosius. Arcadius. Honorius. Arsenius.

The. Maxima parentis cura sunt sanguis meus,
Stirpis columnæ, nominis nostri decus,
Arcadius ac Honorius, gemina sui
Simulachra patris. Vivit in natis pater,
Virtute quando filij vivunt patris.
Est anima virtus Cæsari: hâc solâ traho
Auras superstes: anima si virtus meis
Sit ista natis, emori nullâ mihi
Ætate dabitur: posteri in natis patrem
Post fata cernent, una quos anima animat.
Adsint parentis columen & major mei
Fortuna sceptri filij: in quorum gravis

Hu-

Humeros recumbet orbis. Ex istis sibi
Florens parentis gloria hæredem petit.
Arsen. Auguste Cæsar, nominis gemmas tui,
Decora paterni sanguinis, mundi duo
Sisto labantis fulcra. Sed utinam tibi,
Dum cernis ora, cernere liceret bonæ
Mentis recessus! Frontis excelsæ tamen
Tenor explicatus candidum interni sinûs
Prodit colorem. Rebus Imperij vides
Pater gerendis indolem natam, & tuum
Cum sole Numen vehere, quà mundo diem
Aurora veniens reserat, & claudit Tagus,
The. Nati, una magnæ stirpis atque æmulæ domûs
Gloria superstes: Cæsar est parens: siti
Avidâ parentem bibite; & immensæ sinum
Laudis capacem spiritu vivi Patris
Animate. Sceptris Imperî vasti indoles
Vos vestra genuit: pectoris magni vigor
Altam imperantis Cæsaris mentem regat.
Arcad. Ad provocatum gloriæ culmen tua
Exempla rapiunt: inde regnandi modos
Formasque sumo. Nasci ad Imperium dedit
Aliquando casus: Regere virtutis fuit.
Theod. Quas Imperantis esse virtutes putas?
Honor. *Iustitia* populos flectat, & *Pietas* Deum
Servet faventem.
Arcad. Pro DEO ego primùm reor
Populoque stare. *The.* Utrumque regnantem decet:
Iustitia Populo pugnat, & *Pietas DEO.*
Honor. Ergo ista in unum confluunt.
Arcad. Limes tamen

Disjun-

Disiungit aliquis. Subditos quamvis regat
Iustitia, non sola tamen. Ingenuis quoque
Dominatur animis Cæsarum clementia.
Honor. Optanda laus est Cæsari, clementia:
Necessitas *Iustitia*, ubi magno fremit
Populus tumultu. *Arc.* Justitia cautè ut tonet,
Pietas refrenat impetum ardentem manus.
Honor. Ne lenta jaceant jura, metuentem incitat
Justitia dextram. *Arcad.* Cautior pietas ferit.
Honor. Sed fortior Justitia, cùm suos metu
Populos coërcet. *Arc.* Belluis frænum est metus:
Amica cives gratia & favor regit.
Honor. Homo sceleratus belluâ distat parum:
Ferat lupatum belluæ; *Arc.* Excutiet quoque.
Rebelliones primus accendit timor.
Ho. Extinxit idem. *Arc.* Nêpe post gravia Imperî
Exulcerati vulnera. *Theod.* Accenso neces
Nec semper ense fulminet; nec se nimis
Facilem propinet Civibus Cæsar. Gravem
Nimia ira, Pietas nimia contemptum facit,
Attemperanda est altera alterius sale.
Honor. At esse rigidus Cæsar absque irâ potest.
Arc. Potestque clemens esse, nec deses tamen.
Hon. Aliquis rigorem semper insequitur timor.
Arc. Aliquis amorem semper insequitur amor.
Meliorque amoris census est. Populi fides
Sequitur amorem: Clypeus Imperii est fides,
Obsequia fidei serviunt: longo retro
Ordine sequuntur faustitas, candor, dies
Sine nube amœni. *Honor.* Perpetem fidem tenet
Iustitia, cujus civis intuitu timet

Vio-

Violare jura. *Arcad.* Jura ne violet, magis
Prohibent amores. *Honor.* Pectus ingenuũ. Levis
Non capit amorem populus.
Arcad. Armeniæ quoque
Capiunt amorem tigrides. Vili licet
E plebe natum pectus, ingenuum facit
Amor magister. *Theod.* Ille non melius regit,
Qui scelera plectit acrius: sed qui magis
Tollit patrata scelera; patranda impedit.
Honor. Justitia crimen demetit
Arcad. At ipsum quoque
Agrum cruentâ sæpiùs plagâ eruit.
Clemente pietas vulnera attrectat manu,
Sed minus acerbat. Non nego medelam urbium
Malis ferendam: tempus & modum volo
Non melior ille Medicus est, plures manus
Pedesvè qui rescindit, ut malum eruat;
Sed membra qui conservat, & tollit malum,
Theod. Utramque Cæsar misceat, Regni quies
Utraque surgit. Musica harmonia sono
Non constat uno; temperet acutum gravis,
Gravemque acutus, *Arsen.* Ipse qui fruges agris
Benignitate Solis educit DEUS,
Nivium rigore protegit, *Arcad* DEI reor
Exemplar esse Cæsarem. Raro tonat,
Sed sæpè purum Solis indulget jubar.
Et quando sævit, maria vel densum nemus
Percellit igne; at urbibus, parcit magis.
Si fortè & hominem feriat; ardentis facem
Solis redonat omnibus: parca ferit,
Et liberali præmiat semper manu.

Honor.

Honor. At vile pietas reddidit multis jubar.
Arcad At ira chalybis abstulit multis decus.
Hon. Pluribus ademptam purpuram pietas dedit.
Theod. Altera maritas alteri jungat manus.
Unum utraque corpus efficit: quod nec decet
Totum esse durum, molle nec totum. Altera
Pars duriorem mollior cinctu tenet:
Pars molliorem durior in altum erigit.
Arcad Paterna monita Filio leges erunt.
Utramque nectam Pacis & belli vices
Utraque docebit. *Honor.* Pace tranquillum utraque
Regnum tenebit. Quando *pro Populo & DEO*
Lassata Martis arma ponentur; forum
Iustitia flectet legibus, *Pietas* dabit
Templis acerras. *Theod.* Indoles, virtus, manus
Matura sceptro est. *Arcad* Una mihi *Pietas* manus,
Iustitia manus est altera.
Theodosius. Ad sceptrum utraque
Apta est gerendum.
Honor. Dextra *pro* DEO, altera
Populo duellat *Theod* Utraque amplexu tenet
Imperia firmo. Fessa tot bellis manus
Vastoque pondere Imperi, Herculeum aspicit
Utriusque prolis robur, atque optat gravis
Partem subire ponderis. Quantum placet
Fesso Parenti, si coronatum suæ
Vivus videre verticem prolis queat!
Arsen. Auguste Cæsar, Imperi Herculeis grave

Im-

Imponis humeris pondus. Athlantes vides
In prole binâ Genitor. Auguſtum refert
Uterque Patrem: geminus eſt humerus Patri.
Uno Occidentis Imperi molem geris,
Altero Orientis. *Arc.* Pondere Imperii eſt minor
Juvenalis ætas: ſæpè ſuccubuit ſenex,
Quid juvenis auſit? *Arſ.* Regna non ſpectant ſenē,
Sed æquitatis Vindicem, *Iuſtum ac pium*
Ad imperandum primus eſt virtus gradus,
Poſtremus ætas. Hercules puer dedit
Documenta magni roboris, quando manu
Tenera chelydros preſſit, & te ſe Imperi
Sceptris probavit. Ignea eſt animi Indoles;
Sive hæc ſenile pectus inſideat viri,
Sive Juvenile, ſemper ad ſceptrum parat.
Hon. Flos ſæpe fructum ſpondet; at tempus negat.
Arſ. Sed quando fructus prævenit florem, nequit
Negare tempus. Indoles fructum tua
Dat ante florem. Præcocis neſcit moram
Virtutis ardor. *Arcad.* Pace ſit dictum tuâ,
Cùm nimia laus eſt, laudis amittit jubar;
Eſt nimia, quando laudis excedit modum.
Arſen. Laus eſſe nimia non poteſt, quando minor,
Quæcunque facto eſt. Ipſe dum laudem fugis,
Laudem mereris: Sceptra dum metuis, probas
Aptam gerendis Imperi ſceptris manum.
In non volentem pronius decus cadit.
Arcad. Dummodo merentem.
Arſen. Merita menſuret, cui
Remunerare convenit, non qui edidit.

Inane Nomen Tartari est; Orcus mera est
Fabula. Venite, si quis infernos amat
Cumulare Manes: debeor pridem inferis
Mactanda Divis hostia. Ego (quid me vetus
Scelus remordet?) ego coronatum caput
Dignumque vitâ perpete excussi suo
Solio; Tyranno purpuram injeci; facem
Belli per orbem distuli; innocuos nece
Dirâ peremi, viperam Imperio dedi.
Quid vivo pestis? quid super animam traho?
Diffugite Manes Tartaro: insontes reus
Probat Arbogastes. Tantale prementes labra,
Fugaque semper labra ludentes aquas
Cede Arbogasti: cede tormentum senex
Nunquam quietæ rupis, & quisquis jecur
Avido voratum vulturi in novas dapes
Semper sub orco reficis, immanes meo
Aves reserva pectori. Et nocens fui, &
Feci nocentes, scelere non uno. Feram
Supplicia sceleri debita. Eugenio steti
Incentor acti sceleris, Eugenio cadam
Cadente: pœna incendio pari parem
Culpam flagellet. Cruda me toto Eumenis
Excludis Orco? sontium ardentem vetas
Regionem adire Manium? erumpam viam,
Et te invidente Tartaro accedam novus
Incola paludis flammeæ. En restat chalybs,
Quem decuit olim pectori hostili imprimi,
Quo purpuratum Cæsaris rupi latus.
Pereamus illo scelere, quo feci scelus.
Ades & fluenti sanguini mixtam excipe

Co-

Cocyte vitam. Perge detestabilis
Anima. Cruorem bibite Eumenides: abi
Invisa terris anima, metuendum stygi
Monstrum, profundos Manium incesta lares.

SCENA SEXTA.

Vmbra Maximi Tyranni nuper à Theodosio victi, & Andragathii ejus incentoris, cadaver occisi abripiunt ad infernum: Divina interim Nemesi docente scelus in authorem redire.

Væ! felici quisquis nimium
Scelere gaudes! sit tarda licet,
Est certa tamen pœna nocenti.
Tacito Nemesis pede scelestos
Premit à tergo, semperque manu
Vindice crispat fulminis iras.
Si gravis ictum mora suspendit,
Major veniet pœna nocenti.
Tacet ad tempus Deus; at tandem
Loquitur torto fulminis igne.
Non hinc credas minus offensum,
Quod non cernas magis iratum.
Etiam sceleri sua mensura est,
Hanc ubi reples, in tua celeras
Funera fulmen. Plerumque diu
Impune scelus Deus occasu
Graviore piat. Quisque perit eo
Crimine, quod agit. Caput Authoris
Culpa requirit. Tu Cæsareum

In latus ensem sæve egisti;
Ense peristi. Nunc postremùm
Acheronta subi. Sidera reliquas
Mitiùs urgent culpas. Quisquis
Calidonimium ductus amore
In Cæsareum diadema ruit,
Sua præcipites vocat in fata
Fulminis ignes. Numquam omninò
Astra rebelli capiti parcunt:
Ibis stygios turbare lares
Cæsaris hostis, mecumque scies,
Quamvis serô, sed certò olim
Sæva rebelli tormenta dari.

Scena Septima.

Theodosius pace parta Arcadium & Honorium, Filios suos Successores designat: & alterum Orientis, alterum Occidentis Imperatorem dicit.

Theodosius. Arcadius. Honorius. Arsenius. Ruffinus. & Proceres.

Memoria rectè facta consequitur; sequens
Dies priorem laudat, & cineri suo
Vivit superstes nomen, ac longum retro
Invadit ævum fama Virtutis tuba.
Non quæro laudem, digna contentus gravi
Egisse laude. Nolo post cineres mihi
Monumenta marmor statuat, unius fuga
Quæ rursus anni diruat. In istam volet

Con-

Conditio laudem vilior; major decet
Honestiorque Cæsares laudis sitis.
Privatus ævum quærat à versu brevi,
Quem fortè Pario marmori insculpsit Myron,
Tumulovè amicus. Alia Regnantûm decet
Esse monumenta, publico quæ se quoque
Post ipsa fata Civium impendant bono.
Laus imperantis semen est laudis novæ.
Ibi tumulamus gloriæ seriem benè,
Ubi in sequentes perpeti rivo fluit
Gloria Nepotes. Filii stirpis meæ
Compendiosa epigraphe, in quibus Pater
Avique vivunt Patris, & generis novus
Venturus ordo, vestra si meæ datis
Corda tumulandæ gloriæ, vixi satis;
Nec vivere tamen desino, in vestræ sinu
Vitæ sepultus; vestra Genitorem exprimens
Facinora semper; Filii vestri, Patres
Avosque vivos posteræ ætati dabunt.
Hâc arte vivam. Vota si Proceres probant,
Augusta Regni decora cum Natis Pater
Simulque curas dividam. *Ruff.* geminas dabis
Mundo columnas. Artifex sacras Deus
Ad Sceptra finxit dexteras: sedet Charis
Utrique labris, ora majestas tenet,
Et mitis oculos gratia; accendit Leo
Flammis medullas, Jupiter frontem explicat
Sereniorem, totus in duos venit
Chorus Deorum Filios *Arse.* Animus bono
Intentus, undis altior levis gregis,
Vivax in ausus, consilî capax sinus,

Affatus oris blandior, constans pudor;
Animosa dextra, bella cùm Mavors parat,
Eademque mitis, pace cùm ridet solum:
Colo que constans; sive turbato ruat
Fortuna fluctu, sive composito mari
Etesiarum mollior ludat chorus:
Pavore tangi nescium pectus, manus
In dona semper patula, clementi Iride
Jucundus oculus, omnium pridem sibi
Emunt amores. *The.* Ergò quod jubeat Deus
Faustum evenire publico Imperii bono,
Utrique Mundi Cardini, quà Sol venit,
Et quà recedit occidens, Natos meos
Volo præsidere Cæsares. Pondus grave est,
In vestra quod se capita reclinat; minus
Sed ille premitur onere, cui virtus suos
Aptavit humeros. *Arcad.* Pondere ut premar
Partem laboris maximam Virtus feret.
Honori. Sub hujus humeris nulla me moles premet.
Theod. Afferte Proceres Imperi Augusti notas.
Gladium Tonantis vindicem læsi cape.
Arc. Admota capulo dextera en Crucem tenet.
Erras, superbum culmen Imperii, notam
Felicitatis esse quicunque autumas:
Prima ipsa Crux est ansa, quà Regnum tenes.
Hon. Justitia eandem obarmat & Pietas manum.
Justitia acumen donat, & Pietas Crucem.
Theod Cruce teneatur gladius, & discas capi
Pietate Regna. Purpura Herculeos chlamys
Insumat humeros, *Arc.* Purpura pudorem docet

Flam-

Flammasque mentis. Unus est ignis bonus
Ardere *pro Populo & Deo.*
Honor. Chlamydis sinus
Amplus, quieti Civium tutæ patet.
Theod. Subjecta latè Regna complecti sinu
Decet imperantes. Aureum inducat diem
Capiti Tiaras. *Arc.* Cæsarem blanda hic ligat
Necessitate fulgor, ut semper meis
Intaminatæ præferam vitæ facem.
Theod. Urgent potenter jussa, si exemplo præis,
Mores & acta Regis improbi, aut probi,
Sunt subditorum regula. *Hon.* In partem bonam
Ut plebs trahatur, ipse me flectam priùs.
Theod. Sceptrum benignas aureum manus petit.
Arc. Ferrum sinistrâ, dextera sceptrum geram,
Facilis favere, furere difficilis. *Theod.* Tamen
Violata quando Civium jura invocant.
Manum Patronam, fortior ferro manus
Est applicanda. *Hon.* Blanda mucronem jubet
Aliquando virtus tegere, sed sceptrum vetat:
Ut potius aurum pateat augustæ manûs.
Theod. Si non salutem Patriæ infestet furor.
Inscende solium: at inde cùm populum aspicis,
Nullum tuorum despice. *Arc.* Excelsum thorum
Speculam putabo; cujus ex alto vigil
Necessitates cernere meorum queam.
Th. Et providere. *Hon.* Siderum quo me altiùs
Favor levavit: esse me in oculis magis
Credam meorum.
Theod. Tu quoque in oculis magis
Tuos habebis. Prosperum imperium! suos

Si Rex in oculis portat, & Regem sui,
Mœnibus ahenis firmior populi est fides.
Arc. Documenta Patris ut expleam, exemplum Patris
Animo irretorto semper intentus bibam.
Theod. Vivite Parente vivo, & auspiciis bonis
Regnate Nati, Gentium in vestros salus
Recumbit humeros; illa vos *Iustos* petit
Piosque. *Arc.* *Pietas* Brachium est dextrum Patri,
Iustitia lævum. *Theod.* Utroque semotas plagas
In corda trahite. Cæsar Imperii est Pater,
Sic ergo Populos, ut Pater Natos, regat.
Salvete Nati, gloria Parentis, meo
Pendete collo. Stringite amplexu Patrem,
Arcad. Dum filiorum pectori pectus Pater
Tuum apprimis, cor imprime. Hoc signo placet
Munire corda. *Theod* Basio vobis meam
Inhalo vitam. *Arc.* Basio & rursus meam
Resume vitam genitor, ut vivas diu,
Theod. Peracta pompa est; vivet in Natis Pater,
In Patre Nati. Sceptra si quisquam novis
Benè auspicato lætus eventu vovet
Cæsaribus ire, claudat hunc plausu diem.

Prodeunt quatuor Orbis partes, Europa equis, Africa Gryphibus, Asia Elephantis, America Camelis sub juga missis vectæ: plauditur choreis. Ex arcubus inter saltum duo Orbes formantur: advolant desuper geminæ Aquilæ, singula singulo Orbi insidet, una Arcadii, altera

tera Honorii Genium, tertia media inter utramque Genium Theodosii vehit: accinunt.

Europ. Servare populos nascitur Regum genus.
Asia. Populo tegendo nascitur Regum genus.
Africa. Deo tuendo nascitur Regum genus.
America Iustitia, Pietas Cæsares mundo parit.
Tres Gen. Servire populis nascimur Regii genus
4. *Orb. pa.* Servare populos nascitur Regũ genus
Gen. Arcad. Servabo populos.
Gen. Hon. Serviam populis.
Gen. Theod. Eâ Quâ servo dextrâ, Servio.
4 *Orbis partes* Ut caput solet
Servire membris; membra dum Imperio regit.
Vivite. *Gen. Theod.* Sed Orbis commodis.
Genius Arcad. Populo & Deo.
Gen. Hon. Industriâ & Labore.
Gen. Theod. Iustitiâ, & Patris
Pietate Nati. 4 *Orbis partes.* Vivite Populo &
DEO.



Honor. At vile pietas reddidit multis jubar.
Arcad At ira chalybis abstulit multis decus.
Hon. Pluribus ademptam purpuram pietas dedit.
Theod. Altera maritas alteri jungat manus.
Unum utraque corpus efficit: quod nec decet
Totum esse durum, molle nec totum. Altera
Pars duriorem mollior cinctu tenet:
Pars molliorem durior in altum erigit.
Arcad Paterna monita Filio leges erunt.
Utramque nectam Pacis & belli vices
Utraque docebit. *Honor.* Pace tranquillum utraque
Regnum tenebit. Quando *pro Populo & DEO*
Lassata Martis arma ponentur; forum
Iustitia flectet legibus, *Pietas* dabit
Templis acerras. *Theod.* Indoles, virtus, manus
Matura sceptro est. *Arcad* Una mihi *Pietas* manus,
Iustitia manus est altera.
Theodosius. Ad sceptrum utraque
Apta est gerendum.
Honor. Dextra *pro* DEO, altera
Populo duellat *Theod* Utraque amplexu tenet
Imperia firmo. Fessa tot bellis manus
Vastoque pondere Imperi, Herculeum aspicit
Utriusque prolis robur, atque optat gravis
Partem subire ponderis. Quantum placet
Fesso Parenti, si coronatum suæ
Vivus videre verticem prolis queat!
Arsen. Auguste Cæsar, Imperi Herculeis grave

Im-

Imponis humeris pondus. Athlantes vides
In prole binâ Genitor. Augustum refert
Uterque Patrem: geminus est humerus Patri.
Uno Occidentis Imperi molem geris,
Altero Orientis. *Arc.* Pondere Imperii est minor
Juvenalis ætas: sæpè succubuit senex,
Quid juvenis ausit? *Ars.* Regna non spectant senē,
Sed æquitatis Vindicem, *Iustum ac pium*
Ad imperandum primus est virtus gradus,
Postremus ætas. Hercules puer dedit
Documenta magni roboris, quando manu
Tenera chelydros pressit, & se se Imperi
Sceptris probavit. Ignea est animi Indoles;
Sive hæc senile pectus insideat viri,
Sive Juvenile, semper ad sceptrum parat.
Hon. Flos sæpe fructum spondet, at tempus negat.
Ars. Sed quando fructus prævenit florem, nequit
Negare tempus. Indoles fructum tua
Dat ante florem. Præcocis nescit moram
Virtutis ardor. *Arcad.* Pace sit dictum tuâ,
Cùm nimia laus est, laudis amittit jubar;
Est nimia, quando laudis excedit modum.
Arsen. Laus esse nimia non potest, quando minor,
Quæcunque facto est. Ipse dum laudem fugis,
Laudem mereris: Sceptra dum metuis, probas
Aptam gerendis Imperi sceptris manum.
In non volentem pronius decus cadit.
Arcad. Dummodo merentem.
Arsen. Merita mensuret, cui
Remunerare convenit, non qui edidit.

Sæpiùs honores ambiunt magis, minus
Qui promerentur: quique sunt meritis graves,
Fugiunt honores. Sed fugit & honor sui
Nimio sequaces ambitu: sequitur quoque
Sui fugaces. Principes, illâ viâ
Trahitis honores, quâ fugitis. Umbram retro
Credite sequentem facta, quæ Juvenes docet
Magistra Virtus. Sceptra si Pater in tuam
Prolem reclinas, præmium meritæ dabis,
Non donum inerti.
Theod. Laudis at partem tibi
Debemus hujus Arseni. Quod par mea est
Soboles Coronis Imperî, debet tibi.
Per nos aviti stemmatis honoram facem,
Suffragiumque sanguinis clari trahunt,
Virtutis à te calculum. *Arsen.* Laus est soli
Fœcundioris, ferre meliores sata
Semente fructus. Indoles vocat tuos
Ad sceptra natos, promovet virtus, bonum
Commune dat suffragium. Mundus vovet,
Cives anhelant: unus augustam indolem,
Virtutis ignes, publici accessum boni
Mundique vota Cæsar ancipiti tenes
Suspensa fine. *Theod.* Vita quod suadet simul
Devexa Patris, facio: curarum volo
Partem venire in Filios. Discant Patre
Vivo imperare, nosque progressu suæ
Felicitatis recreent. Placet? *Ruff* Placet,
Quod calida mundi studia communi probant
Animata voto! *Theod.* Pergite, Augustas manus
Onerate sceptris. Unicum fesso Patri

Hoc

Hoc est levamen, antequam condat suam
Cineres in urnam, purpurâ & sceptro inclytos
Videre natos. Quisquis Augusto favet,
Non invidebit gaudium hoc seni Patri.

SCENA QUINTA.

Arbogastes Eugenii incentor se ipsum conficit.

Quid moror inertem spiritum? plenâ manu
In me furendum est. Pectoris probrum mei,
O turpis anima, quære, quâ fugias, viam:
Lacesse fata, merita jam pridem solo
Eliminari, perque Cocyti rogos
Terrere furias. Ultimum vitæ cita
Pereuntis actum. Turpiter ducti dies
Inhonesta fata postulant. Peream pari,
Quâ vivo famâ. Dire, detestabilis,
Cruentè, stolidè, barbarè, & solo gravis;
Exose Cœlo, quisquis has Mundi vices
Sceptro gubernas. Pereo! sed si te traham
Mecum in ruinam, quanta perituro dabis
Gaudia! ruamus anime, jam præceps hiat
In fata Avernus. Estne quæ sontes piat
Megæra Manes? estnè Thisiphone manum
Armata colubris? estnè Tartareâ aliquod
Monstrum palude? pernego; non est Deus
Qui scelera plectat; scelera nisi jacto mea
Exurat igne. Nulla Thisiphone est stygi,
Nisi concitato turbine erumpat foco
Animamque nostram corpore impuro extrahat.

Inane Nomen Tartari est; Orcus mera est
Fabula. Venite, si quis infernos amat
Cumulare Manes: debeor pridem inferis
Mactanda Divis hostia. Ego (quid me vetus
Scelus remordet?) ego coronatum caput
Dignumque vitâ perpete excussi suo
Solio; Tyranno purpuram injeci; facem
Belli per orbem distuli; innocuos nece
Dirâ peremi, viperam Imperio dedi.
Quid vivo pestis? quid super animam traho?
Diffugite Manes Tartaro: insontes reus
Probat Arbogastes. Tantale prementes labra,
Fugaque semper labra ludentes aquas
Cede Arbogasti: cede tormentum senex
Nunquam quietæ rupis, & quisquis jecur
Avido voratum vulturi in novas dapes
Semper sub orco reficis, immanes meo
Aves reserva pectori. Et nocens fui, &
Feci nocentes, scelere non uno. Feram
Supplicia sceleri debita. Eugenio steti
Incentor acti sceleris, Eugenio cadam
Cadente: pœna incendio pari parem
Culpam flagellet. Cruda me toto Eumenis
Excludis Orco? sontium ardentem vetas
Regionem adire Manium? erumpam viam,
Et te invidente Tartaro accedam novus
Incola paludis flammeæ. En restat chalybs,
Quem decuit olim pectori hostili imprimi,
Quo purpuratum Cæsaris rupi latus.
Pereamus illo scelere, quo feci scelus.
Ades & fluenti sanguini mixtam excipe

Cocyte vitam. Perge deteſtabilis
Anima. Cruorem bibite Eumenides: abi
Invisa terris anima, metuendum ſtygi
Monſtrum, profundos Manium inceſta lares.

Scena Sexta.

Vmbra Maximi Tyranni nuper à Theodoſio victi, & Andragathii ejus incentoris, cadaver occiſi abripiunt ad infernum: Divina interim Nemeſi docente ſcelus in authorem redire.

Væ! felici quiſquis nimium
Scelere gaudes! ſit tarda licet,
Eſt certa tamen pœna nocenti.
Tacito Nemeſis pede ſceleſtos
Premit à tergo, ſemperque manu
Vindice criſpat fulminis iras.
Si gravis, dum mora ſuſpendit,
Major veniet pœna nocenti.
Tacet ad tempus Deus; at tandem
Loquitur torto fulminis igne.
Non hinc credas minus offenſum,
Quod non cernas magis iratum.
Etiam ſceleri ſua menſura eſt,
Hanc ubi reples, in tua celeras
Funera fulmen. Plerumque diu
Impune ſcelus Deus occaſu
Graviore piat. Quiſque perit eo
Crimine, quod agit. Caput Authoris
Culpa requirit. Tu Cæſareum

In latus ensem sæve egisti;
Ense peristi. Nunc postremum
Acheronta subi. Sidera reliquas
Mitiùs urgent culpas. Quisquis
Calidonimium ductus amore
In Cæsareum diadema ruit,
Sua præcipites vocat in fata
Fulminis ignes. Numquam omninò
Astra rebelli capiti parcunt:
Ibis stygios turbare lares
Cæsaris hostis, mecumque scies,
Quamvis serò, sed certò olim
Sæva rebelli tormenta dari.

SCENA SEPTIMA.

Theodosius pace parta Arcadium & Honorium, Filios suos Successores designat: & alterum Orientis, alterum Occidentis Imperatorem dicit.

Theodosius. Arcadius. Honorius. Arsenius. Ruffinus. & Proceres.

Memoria rectè facta consequitur; sequens
Dies priorem laudat, & cineri suo
Vivit superstes nomen, ac longum retro
Invadit ævum fama Virtutis tuba.
Non quæro laudem, digna contentus gravi
Egisse laude. Nolo post cineres mihi
Monumenta marmor statuat, unius fuga
Quæ rursus anni diruat. In istam volet

Con-

Conditio laudem vilior; major decet
Honeſtiorque Cæſares laudis ſitis.
Privatus ævum quærat à verſu brevi,
Quem fortè Pario marmori inſculpſit Myron,
Tumulovè amicus. Alia Regnantûm decet
Eſſe monumenta, publico quæ ſe quoque
Poſt ipſa fata Civium impendant bono.
Laus imperantis ſemen eſt laudis novæ.
Ibi tumulamus gloriæ ſeriem benè,
Ubi in ſequentes perpeti rivo fluit
Gloria Nepotes. Filii ſtirpis meæ
Compendioſa epigraphe, in quibus Pater
Avique vivunt Patris, & generis novus
Venturus ordo, veſtra ſi meæ datis
Corda tumulandæ gloriæ, vixi ſatis;
Nec vivere tamen deſino, in veſtræ ſinu
Vitæ ſepultus; veſtra Genitorem exprimenc
Facinora ſemper; Filii veſtri, Patres
Avosque vivos poſteræ ætati dabunt.
Hâc arte vivam. Vota ſi Proceres probant,
Auguſta Regni decora cum Natis Pater
Simulque curas dividam. *Ruff.* geminas dabis
Mundo columnas. Artifex ſacras DEUS
Ad Sceptra finxit dexteras: ſedet Charis
Utrique labris, ora majeſtas tenet,
Et mitis oculos gratia; accendit Leo
Flammis medullas, Jupiter frontem explicat
Sereniorem, totus in duos venit
Chorus Deorum Filios *Arſe.* Animus bono
Intentus, undis altior levis gregis,
Vivax in auſus, conſilî capax ſinus,

Affatus oris blandior, constans pudor;
Animosa dextra, bella cùm Mavors parat,
Eademque mitis, pace cùm ridet solum:
Colo; que constans; sive turbato ruat
Fortuna fluctu, sive composito mari
Etesiarum mollior ludat chorus:
Pavorę tangi nescium pectus, manus
In dona semper patula, clementi Iride
Jucundus oculus, omnium pridem sibi
Emunt amores, *The.* Ergò quod jubeat Deus
Faustum evenire publico Imperii bono,
Utrique Mundi Cardini, quà Sol venit,
Et quà recedit occidens, Natos meos
Volo præsidere Cæsares. Pondus grave est,
In vestra quod se capita reclinat; minus
Sed ille premitur onere, cui virtus suos
Apravit humeros. *Arcad.* Pondere ut premar
Partem laboris maximam Virtus feret.
Honori. Sub hujus humeris nulla me moles premet.
Theod. Afferte Proceres Imperi Augusti notas.
Gladium Tonantis vindicem læsi cape.
Arc. Admota capulo dextera en Crucem tenet.
Erras, superbum culmen Imperii, notam
Felicitatis esse quicunque autumas:
Prima ipsa Crux est ansa, quà Regnum tenes.
Hon. Justitia eandem obarmat & Pietas manum.
Justitia acumen donat, & Pietas Crucem.
Theod Cruce teneatur gladius, & discas capi
Pietate Regna. Purpura Herculeos chlamys
Insumat humeros, *Arc.* Purpura pudorem docet
Flam-


Flammasque mentis. Unus est ignis bonus
Ardere *pro Populo & Deo*.
Honor. Chlamydis sinus
Amplus, quieti Civium tutæ patet.
Theod Subjecta latè Regna complecti sinu
Decet imperantes. Aureum inducat diem
Capiti Tiaras. *Arc*. Cæsarem blanda hic ligat
Necessitate fulgor, ut semper meis
Intaminatæ præferam vitæ facem.
Theod. Urgent potenter jussa, si exemplo præis,
Mores & acta Regis improbi, aut probi,
Sunt subditorum regula. *Hon*. In partem bonam
Ut plebs trahatur, ipse me flectam prius.
Theod. Sceptrum benignas aureum manus petit.
Arc. Ferrum sinistrâ, dextera sceptrum geram,
Facilis favere, furere difficilis. *Theod*. Tamen
Violata quando Civium jura invocant.
Manum Patronam, fortior ferro manus
Est applicanda. *Hon* Blanda mucronem jubet
Aliquando virtus tegere, sed sceptrum vetat:
Ut potius aurum pateat augustæ manûs.
Theod. Si non salutem Patriæ infestet furor.
Inscende solium: at inde cûm populum aspicis,
Nullum tuorum despice. *Arc*, Excelsum thorum
Speculam putabo; cujus ex alto vigil
Necessitates cernere meorum queam.
Th Et providere. *Hon* Siderum quo me altiùs
Favor levavit: esse me in oculis magis
Credam meorum.
Theod. Tu quoque in oculis magis
Tuos habebis. Prosperum imperium! suos

Si Rex in oculis portat, & Regem sui,
Mœnibus ahenis firmior populi est fides.
Arc. Documenta Patris ut expleam, exemplum
Patris
Animo irretorto semper intentus bibam.
Theod. Vivite Parente vivo, & auspiciis bonis
Regnate Nati, Gentium in vestros salus
Recumbit humeros; illa vos *Iustos* petit
Piosque. *Arc.* *Pietas* Brachium est dextrum Patri,
Iustitia lævum. *Theod.* Utroque semotas plagas
In corda trahite. Cæsar Imperii est Pater,
Sic ergo Populos, ut Pater Natos, regat.
Salvete Nati, gloria Parentis, meo
Pendete collo. Stringite amplexu Patrem,
Arcad. Dum filiorum pectori pectus Pater
Tuum apprimis, cor imprime. Hoc signo placet
Munire corda. *Theod* Basio vobis meam
Inhalo vitam. *Arc.* Basio & rursus meam
Resume vitam genitor, ut vivas diu,
Theod. Peracta pompa est; vivet in Natis Pater,
In Patre Nati. Sceptra si quisquam novis
Benè auspicato lætus eventu vovet
Cæsaribus ire, claudat hunc plausu diem.

Prodeunt quatuor Orbis partes, Europa equis, Africa Gryphibus, Asia Elephantis, America Camelis sub juga missis vectæ: plauditur choreis. Ex arcubus inter saltum duo Orbes formantur: advolant desuper geminæ Aquilæ, singula singulo Orbi insidet, una Arcadii, altera

tera Honorii Genium, tertia media inter utramque Genium Theodosii vehit: accinunt.

Europ. Servare populos nascitur Regum genus.
Asia. Populo tegendo nascitur Regum genus.
Africa. Deo tuendo nascitur Regum genus.
America Iustitia, Pietas Cæsares mundo parit.
Tres Gen. Servire populis nascimur Regii genus
4. Orbis pa. Servare populos nascitur Regũ genus
Gen. Arcad. Servabo populos.
Gen. Hon. Serviam populis.
Gen. Theod Eâ Quâ servo dextrâ, Servio.
4 Orbis partes Ut caput solet
Servire membris; membra dum Imperio regit.
Vivite. *Gen Theod* Sed Orbis commodis.
Genius Arcad. Populo & Deo.
Gen. Hon. Industriâ & Labore.
Gen. Theod Justitiâ, & Patris
Pietate Nati. *4 Orbis partes.* Vivite Populo & DEO.





VIS INVIDIÆ
SIVE
C. MARIUS.

ARGUMENTUM.

C. *Marius à natalibus humilis, à parentibus obscurus, per ambitionem felix, per populi suffragia Consul, per victorias* Tertius Romæ Conditor *appellatus*, *devicto Iugurtha Rege triumphavit*; *triumphaturus de Mithridate, nisi gloriarum suarum splendore odium pariter & invidiam in Syllâ accendisset. Hic agrius ferens Belli Imperatoriam dignitatem pro bello Pontico Mario delatam, exercitum contrahit, Romam obsidet, invadit, occupat. Fugientem Marium, & in palude latere volentem capit, Minturnas ad carcerem ablegat, confici imperat. Mittitur à Minturnensibus Cimber aliquis in carcerem, qui eum occidat. Ingreditur ille carcerem, sed tum flammâ ex oculis Marii et*[illegible] *tum insolitâ aliquâ*

ex occulto al'apiâ voce territus, repellitur. Refert id Barbarus ad Minturnenses. Emittitur è custodia Marius. Carthaginem properat. Vix mœnia attingit, adest Lictor à Sextilio prætore missus, qui urbis ingressu arcet. Hic ille florentissimus Imperator, Regum Victor, Patriæ Pater, urbis Conditor, Italiæ Conservator, omnes unus honores ac summas dignitates adeptus, ejectus patriâ toties servatâ, proditus, desertus, eò miseriarum ærumnarumque redactus, ut coactus fuerit palàm transeuntes compellare, & panem vitæ sustentandæ mendicare. Disce, quàm verum sit illud: Virtutis comes Invidia potentiores insectatur: *ijsq; bonis curas impende, quibus nulla potest invidia adferre nocumentum.*

PERSONÆ.

C. Marius.
Marius Junior.
Jugurtha Rex.
Sylla.
Sulpitius.
M. Attilius.
P. Rutilius.
Crispus.
C. Fl. Fimbria Conf.
Senat. Minturnenses.
Valerius.
Duces.
Tribuni Militum.
Cimber.
Apparitor.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Marius de Iugurtha victor militum suorum virtutem extollit.

Marius cum exercitu. M. Attilius. P. Rutilius. Duces.

Mar. TAndem pavend' Romulæ genti latro,
Nondum immerentûm cæde satiatus, caput
Jugurtha posuit Dardani ad Ducis pedes:
Et qui superbâ mentis elatus face
Illusit urbi, capite demisso, sua
Deplorat arma, ac flebilem armorum vicem.
Nam quanta belli decora, quot Martis viri
Natant voluti sanguine, & campi Duces
Torpente volvunt segne sub tabo decus!
Pueri parentum funeri, conjux viro
Illacrymatur; filium mater gemit,
Amicum amicus, incubat miles Duci;
Cadaverumque mixta congeries solo
Testis Quirini roboris passim jacet.
Quicunque palmis inclytum belli Ducem,
Victoriæque splendidum exemplar petit;
Me videat, & vos milites, quorum manu
Ferroque parta est Dardanæ genti salus.
Quorum labores Roma, si posset loqui,

Voce

Voce hâc probaret: Vivat Æneadûm decus,
Assertor almæ pacis, & vita, & salus;
Cujus labori debeo immunes lares,
Servata Civi tecta, defensos Deos,
Donata matri pignora, & natis patres:
Cujus Quirina quamdiu stabunt juga,
Legesque Roma ponet, officij memor
Gemmâ serenus candidâ hic curret dies:
Quotiesque Marium sera posteritas canet,
Toties labore militum partam sciet
Urbi salutem Militi ex æquo & Duci
Debeo serenæ pacis exortam diem.
M At. Orta est labore militum, exemplo Ducis.
Mar Virtute vestrâ, milites. *Rut.* Sed te Duce.
Mar. Commendat eadem militem laus, quæ Ducem.
Att·l, Sed prima laus est Principis.
Mar. Par militum;
Quos æqua virtus Principi pares facit.
Rutil. Artem obsequendo miles Ausonius probat,
Dux imperando. *Mar.* Regere qui paret, potest.
Rut. Tutè potest jubere, qui exemplo præit.
At. Parere tutè, qui jubentem sic videt.
Mar. Ducem præire militi exemplo decet.
Rut. Ducisque par est militem exemplum sequi.
Mar. Vidi sequentes, quando per ruptos calens
Virtus volavit ordines, seque impete
Rapiens per arma semitam ingentem dedit
Cædendo utrinque. *Attil.* Vidimus fortem Ducem,

Cùm

Cùm Martiales vectus in nimbos equo
Audace primus impete obstantis moras
Fregisti arenæ, perque non dubium necis
Discrimen actus, vulneri toto patens
Pectore, revulsos hostium globos tuæ
Iræ dedisti pervios, nullo tamen
Aut impeditus vulnere, aut pressus metu.
Mar. Sed irruentem militis nostri sequens
Manus incitavit. *Rut* Dux prior volans manum
Traxit sequentem. *Mar.* Miles est robur Ducis.
At. Animusque Dux est militis. *Ma.* Nihil potest
Dux destitutus milite. *At.* Nec aliquid potest
Duce destitutus miles *Mar* Alterius manu
Juvatur alter. Gloriæ quantum mihi
Decernit orbis Domina, tantundem meæ
Debet cohorti, *Rut.* Stella radiantis licet
Ardore Solis luceat, minus tamen
Dat illa lumen; ipse quin stellæ nitor
Est Solis ardor. Vulgus astrorum sumus
Minorque turba milites; tu Sol Mari es.
Si lux honestat sidera, est Solis jubar;
Si laus honestat militem, laus est Ducis.
Marius. Agnosco mentis Martiæ excelsam indolem.
Laudem mereri vultis; in reliquo nihil
Nominis avari: posteris serò cani
Laudem minorem ducitis; forti manu
Tentâsse honesta, maximam. Hoc ipsum tamen
Olim canetur: Miles invictus Mari
In hoc perennat: magna cùm fecit, nihil
Voluit honoris; laude contentus brevi,

Egis-

Egiſſe digna laude. Si penetro tamen
Judicia Patrum, Roma jam veſtro parat
Munera labori, miſſiles haſtas, graves
Pharetras ſagittis, cornua, umbones moras
Neci daturos, igneum ferri jubar,
Illuſa gemmis arma, criſtatas ave
Phœnice galeas, annulos, torques, ſcyphos.
Benè proſtituto ſanguine hoc emitur decus.
Atti. Sed en Tyrannus captus in forum venit.

SCENA SECVNDA.

Captivus Iugurtha fit Mario ſupplex.

Marius. Iugurtha.

Marius. Tune ille vaſtus militis noſtri labor,
Probrumque Martis, gentium exoſus tumor,
Et Romulæi peſtis Imperij, meis
Toties petita prælijs præda obvenis
Latro purpurate? puduit elatum caput
Mordere frænos Dardanûm? Nunc, ſi potes,
Luctare contra, faſcibus quando meis
Collum recuſas; quando poſt puro data
Tot probra cœlo, poſt Quirinales Deos
Exaſperatos Marte, poſt poſitum tui
Faſtum tumoris, poſt triumphatas minas
Ferocis animi, meritus ante oculos tibi
Verſatur obitus. *Iug.* Principem lentâ potes
Tractare dextrâ. *Mar.* Nempè quâ impurum vomat
Fuſo cruore ſpiritum. *Iug* Humano manus
Maculare ſanguine abſtine, poſtquam calor

Belli

Belli resedit: scelera taxari modò
Possunt minore nostra. *Mar.* Victorem doces
Devicte? *Iug.* Doceo, lege sed durâ nimis,
Pati imperantem. *Mar.* Chalybis accensi rigor
Erit Magister. *Iug.* Regium quidem æstimo,
Superare dura; Regium tamen quoque est
Cùm premere possis, parcere.
Marius. Ubi mitem scelus
Patitur regentis dexteram. *Iug.* Nullum nefas
Dextrâ imperantis jura parcendi eripit.
Marius. Sed jura stringit.
Iugurtha. Ille, qui sancit, potest
Laxare. *Mar.* Quando subditis minimum nocet
Impune crimen. *Iug.* Subditos quando capit
Amore mitis dextra. *Mar.* Sic quisquis petit
A populo amari, publicum hic odit bonum.
Impune Reges crimen unius ferant,
In paria mille crimina sequentes trahunt.
Iug. Si semper ignes torqueat cœlo Deus,
Cùm peccat orbis, publicum extinguet rei
Statum Quirinæ. *Mar.* Tela si nunquam polo
Lentus minetur Jupiter, feras alent
Habitata tecta civibus, fiet nemus
Quodcunque nunc est civitas. *Iug.* Amor feris
Distinguit homines. *Mar.* Et facit; quando nefas
Impune tolerat. *Iug.* Crimen is luit satis,
Peccâsse quem pœnituit; is plectit satis,
Qui pœnitere cogit. *Mar.* Hæc tarda est nimis
Medicina morbo: crimina caveri magis,
Quàm pœnitere decuit. *Iug.* At postquam reus
Animum impiavit, parcere est virtus Ducum.

Mar.

Mar. Quicunque parcit improbis, probis nocet.
Qui servat hostem patriæ, campo licet
Palmam retulerit, non tamen vicit satis.
Iugur. Bis vincit ille, quisquis in victoria
Se vincit ipsum. *Mar.* Sed nihil vincit, suo
Qui parcit hosti. *Iug.* Tolle patratum nefas,
Materia nulla Regibus clementiæ est.
Mar. Remitte crimen improbis, Regni procul
Jus exulabit. *Iug.* Jura sat vigent benè,
Cum fræna tractat Imperi clemens manus.
Mar. Magis vigebunt, fræna si flectat rigor.
Iug. Qui sceptra duro rigidus imperio gerit,
Populum in timores excitat; timor manus
In arma cogit; arma regnantem premunt.
Regnare qui vult, spiritu miti regat.
Marius. Ut vivat hostis.
Iugurtha. Majus hoc Regum est decus,
Quò major hostis, venia cui datur, fuit.
Mar. Hostem bonorum nemo toleravit bonus.
Iugur. Ex hoste sæpè nascitur Achates bonis.
Mar. Exemplar esse Numinis Regem decet,
Qui fulminante dexterâ reos premit.
Iug. Qui sæpè parcit hostibus.
Mar. Nunquam reis.
Iug. Sed obstinatis. *Mar.* Nescit imperio caput
Subjicere, quisquis sedit ad clavum semel.
Iugur. Primæ Magistra lucis est sequens dies:
Quos prima fræuos nescijt, sequens docet.
Mar. Et hic Jugurtham doceat, hesterno die
Quod nesciebas, colla sub jugum dare,
Audaciæque ferre decretam necem.

Iugur.

Iugur. Puram cruore dexteram ſerva.
Marius. Ut tui
Me quoque cruente ſceleris in partem trahas.
Non parco nocuis, ipſe ne fiam nocens
Majore ſcelere. Teſtor ignitum jubar,
Patulique Mundi publicam Solis facem.
Dijs ſacra ſtagna, Gange ſe prius dies
Moriturus abdet, rurſus Heſperijs recens
Rediturus undis, ante retroactam ſuos
Tyberis ad ortus fluminis pompam vehet,
Quàm tacitus illas civium clades feram,
Et buſta Romæ. Patriæ ut fidem probem,
Immitis eſſe cogor; ultricem petunt
Cùm perpetrata ſcelera victoris manum.
Diripi e, capite Regiæ frontis jubar,
Ferrumque latere, pectore auratas notas,
Et quæ ſuperbis purpura ex humeris fluit.
Iugurtha. O magne Victor!
Marius. Antè ſic decuit loqui.
Iugur. Non antè victus ora Victoris colo,
Sacriſque Romæ pedibus affuſus meam
Deploro ſortem, & ſupplici voce ac manu
(Quod eſſe menti proprium excelſæ ſolet)
Munus repoſco: mitius victum preme.
Mar. Arcete famuli tactu, & acceſſu procul
Monſtrum, profanam pellite à pedibus manum.
Iugur. Jugurtha! quondam patrij decus ſoli!
Jugurtha! cujus paruit nuper jugo,
Quodcunque Babba Regia ſumptu inclyta
Deſpectat altis turribus, Divûm fere
Æqualis aſtris, quidquid & Colubraria

Opu-

Opulenta gazis, fascibus subdit suis,
Et quidquid ustis Africe metis tenet.
Jugurtha columen patriæ, sed nunc pudor
Probrumque terræ! Sceptra quò Nomadum ruunt!
Quò dicta populis jura! quò status prior!
Jugurtha! cujus arma senserunt prius,
Quos bellicosi mænibus Mauri, & potens
Carthago claudit, cujus ad virgam auream
Lunavit omnis ora Numidarum genu.
Jugurtha! cujùs militum fortis manus,
Et ære cincta turba stipavit latus:
Heu! Romulææ gentis in lusum datus,
Vitam ac honorem pariter in tumulum dabis.
Hæc sortis est constantia: ut premat, levat;
Tragædiasque miscet. Ubi lusit satis,
Tandem cruento fine concludit jocos.
O quisquis ambit Regiæ frontis jubar,
Volubilique fidit Imperij rotæ;
Quisquis secundo sceptra successu regi
Deceptus antè credidit, versam meæ
Felicitatis aleam cernat. Miser
Documenta mundo exhibeo, quàm fragili loco
Ambitio sese jactet, & facili ruant
Vento superbi. Videat afflictum Ducem,
Decusque Nomadum militi in jocum datum.
At tibi Jugurthæ victor, & Romæ decus,
Generosa si quæ pectori virtus sedet,
Ignosce victo: parce non nocuas manus
Temerare nostro funere; abjectum tuis
Ne temne pedibus, indoles magnæ solent

Le-

Levare ſtratos. Non ego partem Imperî;
(Spes iſta fruſtra eſt) vivere ; hoc tantùm
peto:
Concede vitam *Marius*. Roma quam læſa
expetit?
Iugur. Quæ te precatur,
Marius Quæ meum perijt caput
Romæq; te buſta? *Iug*. Militis ſcelus hoc fuit.
Mar. Victoris eſt vindicta, quam dextræ ingerit
Violata patria *Iug*. Eſſe ſed Ductor potes
In me benignus *Mar* Parco victricem tuo
Maculare dextram ſanguine: at noſtro dabis
Lumen triumpho, quando Tarpæi jugum
Spolijs opimis clarus inſcendam Jovis.
Iugur. O morte vita gràvior! infelix dies!
Trahar in triumphum? Jupiter fulmen rape,
Et hunc tonante verticem dextrâ feri:
Haurite pectus milites, ſi quis mihi
Addictus olim, mille per fibras viam
Scrutentur enſes, mergite capulo tenus;
Donec ſuprema ſanguinis gutta effluat,
Ne Roma turpi ſubditum cernat jugo.
Perire honeſtâ militis præſtat manu,
Quàm non honeſtam vivere ad vitam diu.
O dura pietas! ſpontè dum mori peto,
Protrahére vitam cogor! O ferrum date!
Propriâ moleſtum ſpiritum manu eruam.
Mar. Abripite monſtrum famuli , & avectum
procul
Vincite, ſeptum nocte tenebroſi ſpecus;
Ut inquietum ſpiritum carcer domet.

Iugur. Adeste populi, quos vel Arctoo videt
Polo Bootes, Arcadas lentas premens:
Vel queis perustum verticem Phœbus rotâ
Vicinâ adurit; cernite afflictum Ducem
Inter furentes mille Carnificum manus.

SCENA TERTIA.

Marius Crispum Romam ablegat ad Senatum, ut triumphum petat.

Marius. Rutilius. Crispus.

Marius. Age jam, peracta prælia triumphum
petunt.
Laudata virtus crescit, & suo trahit
Ab honore calcar. Pulchrius quamvis putem
Meruisse lauros, quàm triumphali caput
Cingere virore; vestra quid tamen Duces
Sibi reposcant acta, pensandum est magis.
Mensura veræ gloriæ non est brevis
Populi frementis plausus, aut uno virens
Die triumphus: testis est meriti tamen
Quodcunque studium: præmio quando nequis
Æquare laudes, debitum incepta tuum
Fatere laude: summa laus magni est viri,
Quodcunq; studium impenderis, semper tamen
Debere plura. Roma non ideò mihi
Vobisque, magnæ Martis invicti manus,
Neget triumphos. Ille Romanæ Pater
Augustus urbis, sic coronari caput
Virente lauro voluit, & magno Jovi

Spolia dicari; sic triumphatis potens
Tullus Sabinis, laureâ umbratus comam,
Spolijsque dives, barbarâ pompâ horridus,
Inter frementes militum plausus, equis
Vectus per urbem spolia sacravit Jovi:
Non quod rependi posse sudori suo
Par æstimârint, sed quòd in populos eat
Hac arte fama nominis. Parem meæ
Et vestra virtus milites pompam petit.
Rutil. Qui vetera laudat, addat ætatem novis;
Nesciet an illa laudet, an laudet nova.
Ardore Patrum prælia imitatus, Patrum
Imiteris etiam gloriam. Primus pede
Pressisti arenam, primus in montem trahe
Marii triumphum; docta per cuneos sequi
Virtus, sequetur festa per populi Ducem.
Marius.] Crispe, Romæ Patribus nostri refer
Martis calores. quamque depressus dedit
Victoriam hostis: ritè si Martem probat
Palmasque Marij, debitos Marti dari
Jubeat honores. *Crisp.* Jussa jam dici Patrum
Crede ad senatum. *Mar.* Quisquis hoc meritus
decus,
Venale pectus obvium in Martis minas
Mecum dedisti, spolia Tarpeio Jovi
Dicanda Cedris appara, donec redux
Vestro triumpho Crispus indicat diem.

SCE-

SCENA QUARTA.

Captivorum Luctus.

Ede querelas captiva cohors.
Quando catenis membra ligantur,
Et grave ferrum vinculat artus;
Tantum est liber miseris fletus.
Currite toto lacrymæ vultu.
Nihil est gravius faustæ assueto
Risibus auræ, fortisque jocis;
Quàm molliorem Fortunæ oculum
Mutare truci. Casus semper
Gravis ex regno est. non sine sensu
Cedit acerbis molle rosarum
Stratum spinis. Ite in gemitus.
Fluite in lacrymas clara Numidici
Lumina Regni. Fuimus quondam
Fuimus Numidæ! Nunc malefidæ
Alea sortis versa sinistro
Omine sævit. Nihil excelsum
Inconcussum patitur stare.
Quamvis venti sit summa quies,
Elata tamen summo trepidat
Vertice quercus. Summa tenentem
Facili gyro vertigo rotat,
Casusque premit. Proxima nutant
Alta ruinæ, faciliquetrahunt
Impete lapsum. Nimis heu! verùm hoc
Nostra, ô Numidæ, fortuna probat.
Ibat fausto Zephyro navis,

Et propè portum læta videbat;
Sed Borealis furor incubuit,
Rapuitq; ie fretum, rupitque ratem.
Omnes fluctu mergimur uno.
Nec satis istâ perijsse viâ est:
Instat gravior miseris ira.
Vincti heroas post terga manus
Velati oculos, nudique pedes,
Nudique caput, pulchra trahemur
Pompa triumphi. Numidas Phœbe
Si cernis adhuc; cursum raptæ
Siste quadrigæ mediâ attonitus
Pendulus æthrâ; aut revola primos
Rursus in ortus; velut Odrysias
Timidus nuper fugisse epulas;
Densisque diem conde tenebris;
Nostra aut nemo probra aspiciat.
Non audimur. Ruat accenso
Fulmine Olympus, nostrasque voret
Igne medullas: terra dehiscat,
Laxetque sinus, nosque volentes
Tumulo claudat. Morte perire
Levior nostro est medicina malo;
Quàm sic turpe ducere vitam.
Frustra irati cruda vocamus
Fulmina cœli: nec nostra solum
Sorbet aperto funera hiatu.
Ite in gemitus, fluite in lacrymas,
Prima Numidici lumina regni:
Quando probrosis vincta tenentur
Membra catenis, & grave ferrum

Vin-

Vinculat artus; tantum est liber
Miseris fletus. Quando vocantûm
Mors surda preces non exaudit,
Seque optantes non flexa fugit,
Post fugientem lacrymæ pleno
Flumine currant, donec amaro
Vitam exosam pelago mergant,
Et nolentis vulnera mortis
Sponte incurrat. Præsta honesto
Urgere fugax vulnere fatum;
Quàm probrosam ducere vitam.

CHORVS.

Fortuna ad Gloriæ curules suam rotam adaptat.

ODE.

Gloria.

Nunquam vo'a serenior
Aspexit Phœbus ab astris.
Imus; quà radiantibus
Stellarum fulgura gemmis
Rident, & variâ polum
Diffusum luce coronant,
Imus; tota volatili
Servit Fortuna curuli:
Nostrisque obsequijs rotam
Aptat. Recludat Olympus
Stellarum patriam, Soli
Discedit flebilis umbra.

Mens

Mens vilis jacet : arduos
Mens nobilis urget honores.

ANTODE.

Livor rota retinenda ſufflamen addit.

Livor.

Quidquid ſpectat amœnior
Phœbus, nox conteget atra.
Inſcendas lucet atria,
Auro ſtellantis olympi;
Nunquam tutus eris. Sequax
Arrodit Livor honores:
Et ſi quam biberis diem,
Tenebris involvit opacis.
Quicunque æquore Cynthius
Emergit, in æquora rurſus
Feſſo lumine mergitur.
Audacibus obviat audax
Livor; nec patitur rotas
Felici incedere curſu.

CATASTASODE.

Eminendi appetitus moderationis fræno retinendus.

Ratio.

Sic lucis jubar aureæ,
Stellataque ſidera Honoris
Votis quære: ſequentibus
Ne convolvare tenebris.

Sic Fortuna rotam citet,
Ut Diva Modestia frænos
Semper flectat. Ab arduo
Præceps it casus ad ima,
Ni per summa ruentibus
Frænum Moderatio ponat.
Cum summo stercoris loco
Livoris respice vires.
Tunc plus invidiæ trahis,
Cùm plus lucraris honoris.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Nunciatur Victoria Marij, & ei Triumphus decernitur.

Crispus. Senatores.

Crisp. Mater Deorũ Roma, cui princeps caput
Viridi coronant bellicæ lauri comâ,
Quæ flectis orbem subditum, & victrix manu
Famulam potente Domina tellurem regis;
Vetera tueri decora, & antiquos Patres
Desiste posthac. Tuque stellarum pater,
Cœli imperator Phœbe, fax mundi aurea
Marij trophæa lumine attonito cole.
Nil Roma majus, astra nil melius habent.
Quod te stupere deceat. Eoo diem
Cùm promis almum littore, aut frontis mi-
cans

Medio sub axe pendulus gyras jubar?
Quod æstimare debeant Patres, Deûm
Periclitata templa, trepidantes metu
Focos & aras, pallidosque Cives, agros,
Et restitutam pristinæ quando vident
Urbi salutem. Quisquis in Romam reus
Pari Jugurtham scelere comitatus ruit,
Terram momordit, aut Quirinali dedit
Collum lupato; seque calcatum gemens
Didicit vocare suppli: i Romam genu,
Quam fulminante nuper est ausus manu
Tentare Martis. Ista quid virtus Ducis,
Et Martialis militis calor petat,
Patres videtis. Nempè sublimi vehi
Ducem curuli, perque Romulidum vias
Agi triumphos, atque Tarpæi Patris
Suspensa sacris spolia delubris dari.
Hoc agite Patres, Merita non probat satis,
Qui præmiare negligit, quando potest.
Sen.1. Quæ postulasti, justa sint licet, tamen
Animi priusquam sensa promamus, placet
Audire seriem cladis, & belli vices.
Proinde fare, castra quo posuit loco?
Crisp. Immensa spatijs area effusus patet,
Amanda Marti terra, nisi densâ volans
In nube pulvis frontis impeteret jubar.
Hinc quà nitente Phœbus exurgens mari
Illustre primis exerit terris caput,
Campi virentis æquor ascendit pigro
In alta colle, seque clementi levat
Tumore terra: parte quâ Boream trahit

Vio-

Violentus auræ turbo, spatiosum nemus
Gracilis amicas veris alternat vices,
Umbramque præbet æstui; insidijs nemus
Aptum struendis Amnis hic placido fluit
Tramite, benignum ratibus indulgens iter,
Facilisque presso militi suetam fame
Præbere Cererem, & ponte ferrato truces
Desævientis frangere Jugurthæ minas.
Æquata subter spatia, arenosum solum,
Tenebat hostis: collis elatum aggerem
Frugum feracem Marius, & flumen prope
Umbrasque nemoris; *Sen.1.* Aptus in Martem locus
Promittit ante prælium pal—æ decus.
Sed jussa quæ? quis ordo pugnantes ciet?
Quæ forma castris? *Cr.* Dardanæ gentis patrem
Dictasse credes Dexterum cornu frequens
Eques tenebat Gallico adductus solo;
Eques sinistrum Romulus habebat locum,
Umbone, galeâ, & ferreis squammis minax:
In fronte prima fluctuans contis manus
Hastariorum vertit huc illuc metus,
Quà major hostis ingruit; vel quà pedes,
Equitumve nimbus fulminis more irruit,
Divortiumque militis nostri parat.
Medium tenebat telifer, galeâ caput,
Arcu sinistram, dexteram telo gravis.
Hispana demum turma, flos belli, ultimum
Robur, propago Martis egregia, & decus
Ductâ coronâ cingit extremum ordinem.
In utrumque geminas explicans alas latus.

Non vestis una militi, aut unus color;
Tamen unus ardor omnibus, & unus calor
Est, præstituto capite venalem dare
Pro patria animam.
San. r. Buccina at postquam dedit
Ad arma signum, qualis in vultu furor
Gestuque Mavors? *C: isp.* Fervidâ qualis calor
Æstate tenues evocat castris apes,
Locumque in unum congregat, binos ubi
Una aula Reges genuit, amborum incitat
Libido Regni pectus; hinc pinnis micant
Acuuntque rostris spicula, ac prælii avidi
Hostem lacessunt, perque famulares globos
Uterque Ductor volitat, & vulgi manus
Exasperato murmure ad bellum citat.
Talis Quirinas inter excelsus manus
Cornipede volitat Marius, & cunctos super
Vertice superbus, ore conspicuus micat;
Ac Martiale frontis ostentans jubar
Et hos, & illos Martis ad curas monet.
Tum plena subitò castra laxantur viris;
Rapiuntur arma, poscitur saltu aureum
Sub dente mordens alipes frænum, furunt
Totis frementes militum castris manus;
Sortisque læti bellicæ oblatâ vice
Mavortiale pectus ad pugnam exerunt.
Atque ubi cohortes ordine steterunt suo,
Jussumque placuit prælium, quemvis vocans
Nomine, suorum commonet decorum, Patrum,
Patriæ, Penatum, Conjugum, ararum, & Deûm,
Pul.

Pulchrumque amorem vulneris honesti ingerit.
Tum primus agmen, primus invictos viros
Prævolat in hostem, voce sublatâ ciens
Ad paria facta militem: si quis decus
Romæ tuetur, patrios si quis Deos,
Me me sequatur. Dixit; & pugnæ jacit
Auspicia, telum. Protinus flammam Ducis
Sequitur cohortis impetus: densis dies
Rapitur sagittis: vastus incessit fragor
Utrinque cœlos. Jamque conveniunt propè
Acies utræque, pes pedem, manus manum
Clypeumque clypeus urget, & scutis sonant
Inflicta scuta, cassidem cassis premit,
Equo instat equus, & vir viro, chalybi chalybs.
Clamatur, itur impetu, fremit, tremit,
Remugit æther; undat effusus cruor,
Sitimque arenæ inebriat, cæde efferâ
Crudescit ira. Talis Orion fremit
Metuendus armis, quando nimboso minax
Invadit astra turbine, & totum undique
Caliginosa nube convolvit polum.
Tunc nempe flammas nubium elisi sinus
Terris minantur; grando concussis crepat
Invisa tectis; sternitur campis seges;
Iraque cœli pulchra procumbunt sata,
Mavorte dubio pugna certata est diu,
Velocitate donec à læva hostium
Parte ala circumducta sibi rupit viam.
Collisa ter nutavit, ac tandem patens
Hiavit acies: noster animatis equis,
Quà videt hiatum miles, à latere involat,

 A fron-

A fronte legio cædit, & rupto ordine
Populatur agmen hostium, & campo ejicit;
Hinc torta gyrans fræna in aversas eques
Gradum cohortes impetu vasto citat.
Cæduntur, opprimuntur; & cædem fuga,
Fugamque cædes impedit. Labens dies
Fugando, vulnerando, cædendo cadit;
Prædamque nobis, gloriam Mario dedit,
Romæ Triumphos; quodque majus omnibus
Rex ipse victus venit in nostras manus,
Captiva præda, vivus, & Romæ jugum
Cervice docilis ferre, quod quondam Dijs
Nostris minatus; bella dum Romæ intulit.
Nec se nocentis cæde maculavit rei
Invictus heros Marius, at ferro gravem
Voluit triumphis addere Quiritum decus.
Hæc sunt tuorum gesta natorum, Dijs
Amica Roma. Facta si tui probas
Marij, probatis debitum statue decus.
*Sen.*1. Domitum Jugurtham, strata Numidarum
agmina,
Et vindicatos Marte felici Deos
Augusta Roma gaudet; ac posito metu
Inter serenos pacis optatæ dies
Tranquillitate tuta virtutem probat
Roburque Marij. *Sen.*2. Roma, si Mario faves,
Quod denegare non potes, meritæ decus
Decerne laudi. Quidquid impensæ dabis
Laudis merenti, gloriæ accedet tuæ
Illustre fœnus. *Sen* 3. Anima, quâ vivis, tuus
Est Roma Marius: ille, si belli ferâ

Perijs

Perijsse irâ, Roma cineratis Dijs
Bustum fuisset. Redde quod debes, tuo
Mario triumphos. Mihi laudem, tibi
Olim canendam gloriam. *Sen.* 2. Non est tuum,
Si quid merenti subtrahis Precium dedit,
Cùm merita posuit: pone mercedem. Leve est
Quodcunque petitur; sanguine at constat tamen,
Et prostituto capite. *Sen.* 4. Si spectes viri
Merita; redemit patriam, armatas nece
Ab innocentum vertice avertit faces,
Servavit aras Numinum, patrios focos,
Patresque natis, patribus natos dedit,
Et conjuges conjugibus, hospitibus lares.
His par triumphus semper optari potest,
Nunquam inveniri. Roma non ipsa est satis,
Quæ digna tantæ dona virtuti ferat.
Igitur triumphet. *Sen.* 5. Maximum quando nequis
Pendere tributum, pende quod potes, leve
Probo voluisse, quando respondet minor
Votis facultas. *Sen.* 4. Æquitas poscit, grave
Æquare precio debitum si non potes,
Exsolve partem, quam potes. *Sen.* 6. Domitus calor
Exæstuantis hostis, erectus status
Prope collabantis patriæ, suis Dij
Servati, & aræ civibus, Romæ salus,
Mario triumphos postulant. *Sen.* 1. Nihil moror.
Secunda patriæ cœpta fortunent Dij,
Cras ubi serenum tollet ex undis caput
Titan, triumpho vectus, & lauro comas

Umbratus urbe gemmeos currus agat,
Stipante latera militis fortis manu.
Pompa instruatur interim, plausus novos
Accendat urbe civis, & totis fremat
Inventa fibris, Martij cantus sonent,
Festiq; te viridi fronde decorentur lares;
Ut militari laude præstantem Ducem
Urbs Domina mundi debito obsequio colat.

SCENA SECVNDA

Chorus Tyberis, Tritonum, & Sirenum quiete Vrbi redditam gratulantium.

Iam minax belli cecidit tumultus,
Iam silent flictus galearum; & acre
Murmur armorum, lituique clangor
Languet in iras.
Alta pax lætæ revocata Romæ est,
Spes ubi nostræ cecidit salutis,
Frons ibi lætæ micuit salutis.
Nulla sors longa est. Ubi turbo cessit,
Mitior flatu Zephyrus jocatur.
Mœsta permutat brevis hora lætis.
Nemo desperet meliora lapsus.
Ille qui navi trepidus pavebat,
Nereo vastos glomerante fluctus,
Quique damnabat vaga lina Ponto;
Cum supinatos imitata colles
Surgeret Tethys; sua vela lætus
Vidit optatos tenuisse portus.
Ille qui sævam minitante cælo

Grandinem campis metuit colonus,
Nube detersâ gravidi furoris
Plena maturis sua rura spicis
Vidit,& coctam fluitare messem.
Nemo cùm nubes rapuêre cœlos,
Astra desperet reditura Phœbi.
Sæpe mortales gemitus videre
Cœlites gaudent,hominumque fletus;
Quos & in risus & amiciora
Gaudia vertant.
Res Dii mundi celeri citatas
Sorte dispensant. Prius inter arma
Roma fatales sine Sole noctes
Vixit,& frænos metuens Tyranni
Sparsit incomptos sine lege crines;
Jam scelus dirum,scelerisque fabrum
Ulta,candentes sine nube luces
Haurit,& risus niveis revisunt
Oppida bigis.
Tu prius mœstos comitata luctus
Turba,Romanos comitare plausus
Hoste devicto,fremituque totas
Excita in plausus fluvii procellas.
Dulciùs ridet,cui labra amarus
Fonte de salso gemitus rigavit.

SCENA TERTIA.

Romani Victori Mario reduci obviam procedunt.

C. *Fl. Fimbria Consul. S. P. Q. R. Nuncius. Tribunus Plebis. Valerius.*

Fimb. Effunde Roma postibus amicos choros
Juvenumque Civiumque: prostrato venit
Marius ab hoste, quæque per modicam salus
Vix spem patebat, tota Romanas adest
Subitura portas. Roma victori tuo
Occurre Mario. Quisquis à patriis focis
Hostes repulsos, quisquis immunes lares
Jugo Tyranni, liberos quisquis tuos
Salvos, & aras Numinum, & proprium caput
Gaudes • uentis hostium ereptum globis;
Occurre Mario lætior: cujus manu
Spoliis opimis aucta transcendit polos,
Septemque Roma collibus cœlos ferit.
Occurre civis militi, cujus manu
Cessare pulso Marte lethalis tuba,
Cædesque jussa cessit, & paci locum
Dedit sequenti. *Trib. pleb* Signa processu pari
Sua quisque civis feret, & læto sono
Æterna merito carmina Heroi canat.

Sen. 1. Romæ læta dies adest,
Hastas cingite laureis:
Dum se pacis amœnius
Tectis ingerit otium.

Sen. 2. Romæ læta dies adest,
Assuetæ gladiis manus

Fer-

Ferri fulmina ponite,
Quando optata serenitas
Romam pacis inambulat.

Sen. 3. Romæ læta dies adest.
Applausu clypei sonent;
Cum victoria gloriam
Romæ postibus invehit.

Fimb. Sed ecce vasto concitus miles gradu,
Cui summus hastæ lauream mucro viret,
Et vultu & ore gaudii spirat notas.

Nunc. Fastigiata laureis centum caput,
O Roma victrix, æmulum cœlo decus:
Quæ laureato cingis amplexu plagas,
Quascunque Nereus margine extremo premit,
Seu qua resurgens aureis Titan rotis
Nabathæa propior maria perstringit face;
Seu quà procellis fessus immergens equos
Gratæ sorori cedit alternas vices:
Novis triumphis luxit hic tibi dies.
Quirina Mario templa victori para,
Ut æviternis spolia suffigat tholis,
Gratusque referat lauream partam Jovi.

Fimb. Propera Valeri, magna Tarpæi Jovis
Reserare summum templa Pontificem jube,
Et dedicandis Numini spoliis Cedros
Aptas statuere. *Val.* Nulla tardabit mora.
Sed ecce fortis Martis invicti globi,
Et ipse Marius, quantus exacto solet
Post arma fusa prælio victor, redit.

Fimb. Incinge civis latera victoris tui.

SCENA

SCENA QUARTA.

Marius Civium Romanorum, ac militum manipulis stipatus triumphans ingreditur.

Manipuli militum & Civium. Marius, C. Flavius Consul S.P.Q.R. Trib.mil. Trib.plebis.

1.Man mil. Io! triumphe Roma!
Tyrannus ille, sævis
Qui te premebat armis
Jugurtha, pertinaci
Vinctus manus catenâ
Tenetur, & tumenti
Cordis furore presso,
Armis prius petitos
Jam suspicit Quirites.
Io! triumphe Roma!

Iug. O fata! sors ô aspera! immites Dii!

Tri.mil. Procede: non hæc hora lamentis data est.

Manip.2. Io! triumphe Roma!
Peracta post duella,
Pax alma, pax serena,
Pax fausta, pax quieta,
Pax sancta, pax cupita,
Tranquilla pax beatis
Bigis revisit urbem.
Io! triumphe Roma!

Iug. Averte vultum Cynthie. Heu versæ jocus,
Ludibriumque sortis! O sceptra! O Dii!

Manip.3. Io! triumphe Roma!
Assertor ille pacis,

Vin-

Vindex tui Senatûs,
Tutela liberorum;
Et conjugum, Deûmque,
Fundator alter urbis,
Victo revertit hoste.
Io! triumphe Roma!

Manip.4 Io! triumphe Roma!
Periverant Quirinæ
Antiqua sceptra gentis,
Et Romulæa jura,
Decusque Dardanorum;
Ni bella concitata,
Formidolosa bella
Feliciore dextrâ,
Dextrâ potentiore
Pressisset ille victor:
Qui jam favente cœlo,
Et annuente terrâ
Meritos agit triumphos;
Io triumphe Roma!

Mar. Submitte fasces lictor, & prono genu
Amica Romæ tecta lunatus cole.
O chara salve patria, Heroum parens,
Regina mundi Roma; cui gentes caput
Dedêre fluxum barbaræ; & felix diu
Tandem subactus Numida sub jugum venit.
O chara salve terra, quam tanti est mihi
Solvisse longo tristium armorum metu.

Fimb. Salve labantis magnæ reparator rei,
Salve Quirinæ gentis assertor Mari.
Quod Roma cœlo verticem tollit, tuâ

Vir-

Virtute tollit, Martis invictum caput.
Sen. 1. Si vera nostris liberis, aris; focis,
Conjugibus esset, pectorum sensus sono
Hoc indicarent. Vivat æternùm meus
Decorus ostro Marius; vivat salus
Communis urbis, vivat Æneadum decus!
Qui sævientis turbine insano Noti
Iras repressit, & procellosi maris
Inter furores sæpè dubitantem ratem
Nostræ quietis littori tuto dedit.
Sen. 2 Faustæ ò Calendæ! candidas inter dies
Dignæ notari, quamdiu septem jugis
Lacesset urbs Quirina sublimis polos,
Queis nostra solvis vincula, & tollis metum,
Almamque revehis gemmeis pacem rotis.
Sen. 3 Victoriosus vive Nestoreos dies!
Sen 4. Annis Sybillæ pulverem supera Mari.
Mar. Parcite Quirites laudibus; satis mihi
Est gloriarum, prælus Romæ meis
Placuisse; pro qua vincere, ac cadere reor
Æquè esse pulchrum: quando vel victoria,
Vel mors salutem ferre speratam potest.
Pro qua nec astra languidi timeam senis;
Nec æstuanti proximas cani faces
Subire. Jubeat ire quà rigidus nives
Vomit Boötes, quave subjectus Libys
Cancro perennes sustinet Solis faces;
Me nulla terra, nulla trepidantem dies
Videbit unquam. Parte quâ calidus venit
Mavors in armis, pectus in scutum dabo.
Nec ante patriæ vulnus infliget furor,

Quam

Quam se per istas ira consumat fibras,
Fimb. Si nulla spolia, nulla retulisses fero
Trophæa ab hoste, quando sic patriam foves,
Et prostituto capite congesto eripis
Periculorum ab agmine, mereris jugum
Subire victor Tarpium, & sacris dare
Memoranda quondam posteris spolia tholis.
Mar. Procede miles civium mixtus globis,
Succede sacro rupis augustæ lari.
Iug. Mugite cœli fulmine, ultrices poli
Torquete flammas: meta violentæ caput
Sit istud iræ. Gratius vitâ, est mori.
Mar. Vivere superstes gloriæ debes meæ
Virtute Romæ victe. *Iug.* Virtutem vocas
Vastare regna? rapere regales notas?
Vexare populos, strage diruere inclyta
Monumenta Regum, & oppida in campos dare?
Sepelire & urbes? *Mar.* Victe!
Iugurtha. Quid sortem exprobras?
Quam tu sequeris, præeo fortunam Mari.
Mar. Frustra tumente spiritu minas vomis
Captive. *Iug* Nulli subditur virtus jugo
Captiva; semper libera æquali regit
Utramque sortem jure, tam ærumnas pati,
Quam docta blandæ sortis afflatu frui.
Manus potes ligare, mentem non potes.
Mar. Moriere. *Iug.* Tutum fluctibus quassæ rati
Portum minaris. *Mar.* Ante sed mergam ratem,
Quàm littus adeat. *Iug* Auferes mortis metum,
Fim. Progredere pompa, quid reo moras trahis?
Iug O sceptra rapta! ô Numina! ô pompa! ô Mari!

Fimb.

Fimb Iterate pæan milites, pæan sonet;
Omnes, Io! triumphe Roma!
Tyrannus ille sævis, &c. *ut supra.*

SCENA QUINTA.

Romana Iuventus Pyrrhicâ triumphanti Mario applaudit.

Dicite ter io! ter io pæan!
Tarpeia sonent culmina plausu,
Totosque latens septem geminis
Collibus Echo referat plausus,
Dicite ter Io! ter io pæan!
Romula Victor Marius stabilit
Regna, subacto Nomadûm Rege.
Nam, quæ nostro certa ferebant
Arma excidio, strata per amplos
Volvuntur agros millia centum,
Et mersa natant agmina tabo.
Dicite ter Io! ter io pæan!
Quantum debes Mario Roma!
Non ille levis fœnus honoris,
Non civilis strepitum plausus,
Non gaudentûm compita fremitu
Fervida juvenum, prædaque gravem
Pompam hostili; sed tua Roma
Pacis amœnæ gaudia petiit:
Pacis amœnæ gaudia retulit.
Hoc Roma tuo Mario debes.
Dicite ter Io! ter Io pæan!
Satis est; durant moderata diu
Gaudia. Parcè lætis fruere.

Ni-

Nimius risus lachrymas gignit.
Parvo inter se limite distant,
Magna voluptas magnusque dolor.
Satis est lusum, satis est plausum.

CHORVS.

ODE.

Gloria erigendo in Marii honorem Obelisco jubet emblemata incidi.

Gloria.

Antequam pulchram levet inter aurea
Obeliscus sidera frontem,
Laude sculpatur Marii perenni.
Radiis hac parte serenus
Cynthius ludat. Date Lemma: *Tandem*
Post nubila. Parte sedillâ
Laurus assurgat: cui lemma scribo:
Tuta inter fulmina. Palma,
Hoc latus ramis obeat; sed adde
Lemma: *Ingere pondera, crescam.*
Ista pars Cedrum referat, notatam
Hoc lemmate: *Fronde perenni.*
Palma, Sol, Laurus, Cedrus est, Nepoti
Marius documenta daturus.

ANTODE.

Livor emblemata Gloriæ obfuscat, & alia lemmata adscribit.

Livor.

Cynthium densâ tege nube Livor.
Cædatur palma securi.

Ful.

Fulmen in laurum ruat. exuatur
Mendaci Cedrus honore.
Cynthio inscribo : *Sine nube rarò*
Summum pervenit ad axem.
Lemma sit palmæ : *Brevis hora fama.*
Hoc laurum lemma coronet :
Deviret, quidquid viruit. Nepoti
Hæc Cedrus documenta ministret:
Casus excelsis gravior minatur.
Marium quæcunque Quiriti
Arma commendant, Marium jubebunt
Seræ ut sit fabula Romæ.

CATASTASODE.

Gloriæ impetus reprimendus.

Ratio.

Sic agit Livor. Meliore quando
Affulget Cynthius auro,
Noctis instantes meditamur umbras,
Quando stat palma superbo
Crine, vel Cedrus caput inter astra
Condit, vel laurus amœno
Vertice assurgit; ruitura quondam
Credamus gaudia. Felix
Quisquis ardores animi modestis
Rationis flectit habenis ;
Nec nimis penná volat incitatâ
Ad magni culmen honoris :
Nec nimis serpit. Medium teneto:
Medio tutissimus ibis.

ACTUS

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Mario bellum Mithridaticum offertur.

Marius. Sulpitius. Tribuni militum.

Sulp. Veteres triũphi provocant novos Mari.
Age nunc recenti gloriæ & Martis sago
Victoriosum spiritum & manum para.
Non una Marii sufficit laurus sago,
Quem mille Roma gloriis fætum velit
Radiare mundo; cujus ad pedes vovet
Jacere pontum supplicem, & toto Ducem
Cum Marte sterni. Gloriæ ingentes virum
Armis probatum, spiritum, & manum petunt.
Mar. Mandata Romæ veneror, in cujus manus
Totum resigno sanguinem: at testor Deos,
Non Martis iras metuo, non ferri micans
In fata robur, nec reluctantis moram
Rabiemque gentis: una, quæ mentem quatit,
Est cura Romæ. *Sulpit.* Roma si menti sedet,
Hac arte serva *Marius.* Metuo ne perdam.
Sulpitius. Potes
Redimere. *Mar.* Mentis vota si sequitur favor
Populi, redemptam crede.
Sulpit. Te Cives, Patres,
Omnisque populus deligit. *Mar.* Metu tamen
Invidia pectus concutit. *Sulp.* Casso impetu.
Fortuna Marii celsior totâ sedet

Livo-

Livoris irâ. si potest ringi, nequit
Nocere livor. *Mar.* Quando famulatur dolus
Furorque; quidquid surgit, invidia premit.
Sul. Quos vera virtus erigit, nunquam opprimit
Livoris ira. *Mar.* Robur in magnos agit,
Parcitque parvis. *Sulp.* Strage sed primâ tamen
Se perimit ipsum. *Mar.* Strage si simul cadat
Æmulus eâdem. *Sulp.* Tela livoris potest
Ridere felix. fortis invidiam pati.
Mar. Felix perire, pariter ac fortis potest.
Sulp. Sic nemo fortis, nemo sic felix erit.
Mar. Tam nemo fortis, nemo tam felix erit,
Quem non perimere tela Livoris queant.
Sulp. Sit invidentûm numerus, at numerus erit
Major probantûm. *Mar.* Sæpe plus unus nocet,
Quàm mille prosint.
Sulp. Nullus at Mario nocet,
Nisi qui secundum patriæ statum velit
Turbare bellis. *Mar.* Gloriæ inhonestus calor,
Lucisque avarus animus, ut plenum occupet
Desideratæ lucis insensu diem,
Calcare gaudet æmuli obstantis caput.
Si turba faveat æmulo, in turbam pari
Desævit irâ. Cœcus est livor: sui
Solum æstimator, proprio intentus bono,
Incuriusque publici. Syllam cave
Dilecta Roma, quando cumulatos tuo
Mario favores ingeris. rapi sibi,
Quodcunque laudis alteri accumulas, putat.
Hinc ira gliscet. Fonte de tali nequit
Quies oriri. Mentis extinguit jubar

In-

Invidia, & iram gignit: hæc matri comes
Tentare quidvis audet, & temere aggredi.
Sulp. Privata nunquam nocuit invidia viris,
Probata quorum facta Romani æstimant.
Mar. Privata sæpe glifcit in probos lues.
Sulp. Sed femper antè nocuit authori malum.
Mar, Sæpè & volenti gaudium hoc fummum invidi eft;
Hoftem videre mortuum, & fimul mori.
Perire nihil eft, morte fi inimicum opprimat.
Non credo Syllæ: in æmulum nunquam doli
Deeffe poffunt æmulo. Hoc unum fatis
Meam in ruinam eft, invidet quin & manum
Trahit potentem Martis & figna, & Duces.
Hinc vult, poteftque quidquid arrofor jubet
Livor rotarum gloriæ. Invidia facit
Velle, & facultas poffe. Num fortes manus,
Exercitusque & baltheum, & figna, & Duces
Transcribet ulli? nempe qui invidiæ dedit
Animum patentem, gloria alterius grave
In vulnus agitur, dumque vix capit fuam
Sortem ipfe, fortes æmuli nefcit pati.
Sulp. Cogetur arma cedere. *Mar.* Armatus pati
Imperia nefcit. *Sulpit.* Difcet.
Mar. An quifquam fua
In juffa coget bella jactantem manum,
Armis minantem fpiritum? *Sulp.* Qui plus valet.
Marius. Plus valet ad arma, fcelere qui armatur magis
Sulp. Quem fcelus ad arma concitat, inermē puta.
Mar. Quem fcelus & ira ftimulat, armatum æftima

Sulp. Quando ira mentem tollit, exarmat manus.
Marius. Quando ira mentem stimulat, in quodvis malum
Rotat furentem. *Sulp.* Juris at si sit sui,
Quem stimulat ira, cui furor mentem asperat,
Ira & timore stringitur, non est suus.
Mar. Ingenia dura nullus inflectit metus.
Sulpit. Tentetur antè: si neget, ferro proba.
Tuas Quirinus jurat in partes calor.
Mar. In fata jura. *Sulp.* Fata si vitam jubent,
Vivemus ambo *Mar.* Fata si mortem jubent,
Moriemur ambo. *Trib.* 2. Si Dii jubeant mori
Moriemur unà *Trib.* 1 Si Dii vitam velint
Dare longiorem, vita tibi vivet mea.
Mar. Pareo jubenti patriæ, & Martem paro.
Sulp. Ite hinc Tribuni gentis Æneadûm, & Patrû
Decreta ferte jussa: bellaces tubas,
Mavortis arma, militis lecti globos
Mario resignet Sylla. Sic patres volunt,
Mandat senatus, populus Ausonidûm imperat.

SCENA SECVNDA.

Sylla de erepta sibi belli Mithridatici gloria queritur, suorumque animos in Marium concitat.

Sylla. Duces.

Sylla. Tantum supinus Sylla sorbebis probrum?
Nec ulla segnem flamma generosi increpat
Manum furoris? spretus excludar gravi
Toties honore Martis; atque unus mihi
Semper coletur Marius; & in unum seges
Con-

Confluet honoris? Sylla, quæ virtus tua est?
Quæ chalybis ira? quis furor inertis manus?
Quæ flamma cordis? Juro Diis sacram stygem,
Tractata juro sceptra Tarpeio Jovi,
Et quidquid Astris terra venerandum colit,
Sua fata fusus chalybe sub nostro gemet.
Properate socii, quà licet, quà non licet,
Proferte bella Martis incensi calor
Per aperta Romæ compita infrænis ruat,
Voretque Cives Sceptra per clades emam,
Per scelera scelere rapta. Sic pœnas dabit
Marius, nec uno vindice aut uno die.
Vindicta magno magna debetur reo.
Parere Syllæ nutibus, nostri manus
Generosa Martis, gloriæ illustris chorus.
Dux 1. Tecum per arma Sylla, per tela obviæ
Ardebit iræ, fortis ad bellum manus.
Per obviantis signa Bellonæ viam
Laxabit ista dextera, & fusum super
Cadaver isti gloriam invadent pedes.
Syl. Generosa Martis flamma; metuendum decus
Gentis Quirinæ, dextera hac lauros metes,
Qua bella profers: fronte quam multo rigas
Sudore, pulchrum gloriæ invades jubar.
Illâ perennis gloria incedit viâ,
Honesta quam facinora calcarunt prius.
Audete Marium premere: jam partum est decus
Perenne vobis patriæ, & Diis salus?
Dux 1. Caput execrandum victimam Acheronti dabo.
Syl. Revocate veterem milites Duci fidem.

Dux 1. Phœbe Divûm, Phœbe mundi,
Phœbe Romæ gloria,
Testis esto pollicenti fata, vitam, sanguinem.
Dux 1 Dive Præses præliorū; qui manu terroribus
Sternis arva, sternis urbes; pollicemur teste te
Arma pectus, corda, vitam, vires, fata, sanguinem.
Syl. Calcata Marii colla jam victor premo.
Sed en Tribuni militum: fortem para
In arma miles spiritum, in nutus manum.

SCENA TERTIA.

Tribunos pro Mario exercitum petentes Sylla occidi imperat.

Sylla. Tribuni. Duces.

Tr 1 Te Roma rerum domina, terrarum potens,
Alumna cœli, teque Conscripti Patres,
Senatus omnis, populus Æneadûm jubet
Salvere *Syl* Si non est Mari, grata est salus.
Tri. 1. Et ipse Marius patriæ temet cupit
Valere Sylla, quamque sub tuis trahis
In bella pubem fascibus, jubent Patres,
Jubet Senatus gentis Ausoniæ Duci
Patere Mario. *Syl* Scilicet semper meis
Hosti triumphis: invido semper tuæ
Patria saluti, gloriæ tantùm suæ
Hæredi avaro? Ego hunc paludatum feram
Agere curules, perque Romanas vias
Ductum triumpho premere calcatos Patres,
Subigere Cives, patriam vinctam metu
Tenere, jura extinguere, ac Romam suo
Rotare nutu Sylla si vivis, diu

Non

Non vivet ille, cujus à vitâ tua
Pendet ruina, patriæ excidium. Date,
Date arma patriæ vindici fidæ manus.
Non est beata Roma, nisi Marius perit.
Trib. 1. Frustra minaris: militem Patres volunt.
Syl. Quis me volucri turbo propellit Noto
Marii sub ora, sanguinem ut ferro hauriam?
Trib 1. Nisi prius ille sanguinem tuum hauriat.
Syl. Vincite monstra milites, unus duos
Jugulabit ensis. *Trib.* 1 Dira progenies leæ,
Perjure, populi carnifex, sæcli probrum,
Fidei charybdis, patriæ bustum tuæ.
Mori jubebis? moriar: at nullum tibi
Jus esse nostri sanguinis scias tamen.
Syl. Etiam minaris. *Tr.* 2. Nulla tempestas movet
Mori volentem *Syl.* Vivere invitos volo
Inter catenas, qui mori lucrum putant.
Nescit severus esse, qui semper mori
Jubet nocentes: cum mori petit reus,
Vivere jubebis; vivere petentem neca,
Trib. 2, Mori vetabis? vivere invitos jubes
Inter catenas? nos vel invito simul
Sylla cademus; facilis ad mortem est via.
Jugulosne cernis? cernis erectum virûm
Caput? patentes pectorum cernis sinus?
Effugia vitæ qualibet venâ patent.
Non timeo mortem: vivere arbitrii est mei.
Syl Mora nulla, miles capita scelerata amputa.
Trib. 2. Moriemur unà: pœna sed lento pede
Licet sequatur sera, non deerit tamen.
At tu Tribune, quando moriendum est semel,

Constante mente morere; florenti licet
Ætate, fructum legere virtutis potes.
Syl. Monstra ad securim miles extremam rape.
Trib. 1. Testor pavendo fulmine armatam Jovis
Manum innocentes, vindices testor Deos,
Et fulminantis igneos vultus poli,
Patriæ saluti sanguinem & vitam immolo.
Trib. 2 Caucasea rupes, pectus adamanti invium,
Sic innocentûm ludis in jugulos, ferox?
Jocare porrò, quando non lento gradu
Vindex malorum sequitur à tergo Deus.
Syl. Monstrum securi subde.
Trib. 2 Septem mihi
Valete colles, quæque Romanos aquæ
Lento natatu ambitis Montes Deæ,
Valete longum: tuque protector soli
Numen Quirini, sæva Tarpeio jugo
Qui tela vibras, vindices ignes jace.
Syl. Age dum cruore monstra sacrilego natant,
Romam petamus, sentiat nostras manus
Devota dudum præda Tartareo Jovi.

CHORUS.

ODE.

Gloria se in speculo miratur: videt in eo instantes furores: dum respicit illi blanditias mentiuntur.

Gloria.

O pulchræ minium frontis amabile,
Ridentesque oculorum

Stel-

Stellæ ſub geminis arcubus, ignea
In ſpectacula vivæ!
Me circum volitat, quidquid amœnius
Aurum lucis honeſtat.
Quidquid Dalmaticis montibus erutum
Diti certat Erythræ.
Sed quis terga furor? quæ premit Eumenis?
Hic mera laurea frondet.
Mendaci ſpeculum ludis imagine,
Falſas fingis Erynnes.
Quæ noſtrum facili turba latus choro
Circumvallat, Amorum eſt.

A N T O D E.

Invidia larvas furoribus detrahit, & Gloria minatur.

Invidia.

Fictarum facies demite frontium,
Vultu aperite furores.
Cernis, quæ famulis officiis ſtrepit
Circum turba? furorum eſt.
Quà tu cunque pedem fixeris orbitâ,
Figent arma furores,
Pallentesque metus. I, licet, aureâ
Tempeſtate verenda,
Gemmarumque gravi barbara gratiâ;
Grandinis induet iras,
Quidquid gemma fuit: qui metuit tibi,
Ipſo pallor in auro eſt.
Quâ ſe cunque trahit Gloria ſemitâ,
Illi Livor inhæret.

CATASTASODE.

Fortunæ felici plerumque adversa est conjuncta.

Ratio.

O bulla! ô nihilum! quidquid amabili
  Adblanditur ocello.
Quæ summo rutilat vertice, mentis est
  Pondus grande, corona
Quæ sese lateri purpura mancipat,
  Stringit corda timore,
Quæ dextrâ gerimus sceptra, furoribus
  Telum in fata ministrant.
Quod calcas solium, labile funera
  In tua crede cacumen.
Quidquid blanditiis affluit, effluit,
  Post data vulnera cordi.
Disce ô posteritas: densior excipit
  Paucos gloria risus.

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Sylla Romam obsidet.

Sylla, Tribunus militum.

Sylla. Gaudent arenâ milites. En hic tuæ
Patet illâ laudi, Roma quâ septem polos
Jugis lacessit, unde Tarpeiâ regit
E rupe vastas Jupiter mundi plagas.

Hic

Hic ille Marius barbato fastu tumet.
Atrasque spargit cædium in cœlum minas:
Possessor unus Gloriæ; & certa tenens
Hæreditate decora; quæ Romæ parit
Benignus æther. Nuper attritum solo
Diadema Nomadum pressit, & vinctum dedit
Ire ante currus, quando Tarpæi Jovis
In templa vectus Numinum affixit tholis
Relata Marte spolia: nunc gradu novo
Ad decora tendit. Roma num fungi summis
Alii ? feroces impetus unus bibit:
Marius ab astris ? sic tibi, Mater, tua
Pignora probamur ? spernimur ? nostro satis
Hoc est furori. Dabimus exemplum viri;
Et quam favillam pectus arcanum tegit,
Orbis videbit. Nominis nostri notam
Nec ista dextra chalybe districto fremens,
Nec ista lecti militis cohors feret.
Fundenda si sit anima, fundetur. Probri
Etiam profuso sanguine lavanda est nota.
Adeste eâdem mente generosæ manus,
Vestris triumphis radiat hic cœlo dies,
Pulchrasque per victoriam lauros parat.
Audete magna: palma sudores amat:
Frontemque laurus odit imbellem. Date;
Ut mentis ille fervidæ arcanus calor
De corde vestro prodeat: cernat diem,
Qui vivus imo viscere ebullit furor.
Trib. Addis volanti calcar, ô Princeps, tuæ
Quò mentis ardor incitat, quò te furor
Per pulchra Martis vulnera intrepidi trahit

Ad ferrum,& enses,nos sitis tecum vocat
Avida cruoris. Palma vigilantes amat,
Fugitque pigros. *Sylla.* Vinculo lauros Deus
Adnexuit laboribus. Quidquid leve est,
Natura fecit obvium : quidquid nitet,
Posuit in alto. Semen ubi labor cadit,
Gloria,beata messis in falcem venit.
Si cui superstes vita generosâ sedet
In mente,si cui pectori pectus subest;
Audete facinus ; sera quod semper probet
Ætas nepotum,quodque dum bellum parat,
Exemplar esse fama Romanis velit.
Audete turmæ mortis invictæ metu.
Arma arma dirus cornuum fragor sonet,
Arma arma longa murmuret belli seges :
In saxa,in ignes proruat,furat,fremat,
Multis probata dextra bellorum minis:
Pars tecta flammis ingerat,pars ardua
Inscendat urbis mœnia,ubi lento fluit
Thybris natatu,vel ubi morientes videt
Phœbi quadrigas : imbre telorum diem
Pars rapiat urbi,& improbum ac probum premat
Eadem procella. Nemo non nocuus ibi est,
Ubi fida nocuo tecta tutamen parant.
Hæc nostra jussà : signa cùm dederint tubæ,
Pectore virum vir exerat,manu Herculem,
Furore Martem. Fortè si metus pedem
Retardet,illâ parte violentus vola,
Quâ plus timoris. Crescit ignavis vigor,
Cùm se timeri viderint : cadit furor,
Cùm non timentur. *Tri.* Grande molimur.
Sylla. Times? *Tri,*

Tri. Bis dena flamma cassidem æstivæ canis
Adussit, iras sæva bis denas hyems
In hanc refudit dexteram Marti sacram,
Pridem ut pavere nesciam: cautè tamen
Agenda res est. Patria impetitur. *Sylla.* Jugo
Ut liberetur. *Trib.* Fortè subdendam jugo
Civis queretur. Ira par, par est calor,
Animusque Mario, cujus in fidem venit
Quicunque Romæ militat. *Syl.* Simulat fidem,
Meliora quisquis sperat. *Tri.* A linguæ fide
Cordis fidem metimur. *Tri.* Hanc Mario negat,
Illamque spondet Roma. Sed demus fidem
Jurasse Cives: Impari flammâ furit,
Hinc miles, inde Civis: Hunc curæ domus
Et liberorum, & conjugum assiduo metu
Stringunt amores; quamlibet caput dare
Venale promptum vulneri. Hinc campum fugit,
Retroque facilis respicit; si non sibi,
Saltem ut suorum servet incolumem bono
Vitam superstes. Militem à tergo nihil
Deprælianteṁ revocat: hinc omni involat
Liberior animo parte, quâ major seges
Periculorum prospicit, vel quâ micant
Messes honoris. Ite plebeias supra
Undas natantes spiritus; parte hac decus
Per honesta fulget vulnera. Aut suam dare,
Aut emere vitam civibus, laudis nota
Est militaris: placeat æternos dies
Emisse patriæ, morte; vel honorem tibi
Parasse letho. Gloriæ metas habet,
Qui vel subactis hostibus palmam refert;

 Vel

Vel inter arma spiritum fortem exuit.
Ad arma, ad arma milites. *Tri* Nostrâ cadet
Manu subactus Romulæ gentis tumor.
Sylla. Ad arma, ad arma milites.
Trib. Rapta hostibus
Hodie videbis spolia Tarpæium jugum,
Orbisque prorsus capite submisso colet.
Syl. Hac parte miles mœnia assultu involа.

SCENA SECUNDA.

Oppugnatur urbs terrâ & aquâ.

Marius. Sulpitius. Sylla. Tribunus. Miles 1.2.

Sulp. Hucusque dubio Sylla Romanas metu
Concussit arces: bella nunc certis tonat
Aperta in armis: Instat, & totâ premit
Cohorte muros. *Mar* Tempus hoc tuæ favet
Patriæ saluti. Munere fluentis bene
Utamur horæ. Civis hac muros frequens
Tuere parte. *Syl.* Dedecus miles tuum;
Nondum subacta mœnia invictus pede
Victore calcas? prævolo: qui me Ducem
Colit, sequatur. *Mar.* Civis huc vires age.
Trib. Huc ad trophæa miles. Hâc Romam est via.
Obverte vires mœnibus. *Mar.* Portum tene.
Animose civis. *Trib.* Irrue hic miles. *Mil.* 1. Patet
Jam porta palmis. Roma succumbit. *Mi.* 2. Cadit.
Frequens cadaver. Vastus à stratis tumet
Funeribus agger: sanguini suo innatant
Romæ labantis decora. *Syl.* Quo stamus loco,
Ubi tecta passim corruunt? Dira ô viris

For-

Fortuna semper fortibus, quò nos trahis?
Fugam citamus; nec patet fugæ locus.

SCENA TERTIA.

Marius fugiens reditum meditatur.

Ignave, timide, Dardanæ gentis probrum!
Quousque pulchræ debitum morti caput
Subducis armis? siste: sat fugæ est datum.
Aude, age referre Martios ignes retro.
Regina mundi Roma, quà septem polis
Capita maritat montium, & clarum frequens
Fumi volantis eripit turbo diem.
Non hac cadendum Dardano Civi notâ;
Quà mentis omne veteris extinguat decus.
Repete Quirina tecta, quæ turpi fugâ
Ela plus hosti cedere in prædam sinis.
Redeamus anime, tecta quà patriæ crepant,
Et scissa crudis Roma vulneribus perit.
Reddamur hosti sanguine effuso vagas
Per tecta Romæ Martia extinguam faces,
Vel cæsus unâ morte cum patriâ cadam,
Eademque cæsi membra tempestas teget,
Quæ Romulæos cinere tumulabit lares.
Redeamus anime: cùmque moriendum semel,
Cadamus illo, Roma quo cadit, loco.
Pulchrum est ruentis patriæ flammis tegi.
Redeamus anime: sæpè cùm nulla est super
Spes, ipsa desperatio fortem dedit
Menti calorem: casus erexit viros.
Sic tu paterni diligis statum soli?

 Olen-

O lenta pietas! quæ potest patriæ procul
Cernere ruinas! si fugis, non es pius.
Revocat superbum columen, & clarum decus
Pollentis urbis; mœnia Deorum manu
Exstructa revocant. O probrum! Mari fugis?
Et alta muri decora congesti rapi
Undante flammâ nube convolvi polos,
Atrumque flammis ire Romanis diem,
Et igne totas exedi Æneadum domos
Pateris inultus? cana Tarpæi jugi
Monumenta ruere? spolia Syllanis rapi
Sacrilega flammis? conjugum velli fibras,
Visceraque Patrum, colla natorum meti?
Innumera circum membra cæsorum trahi?
Urbem natare sanguine, & truci manu
Medium cadaver dividi insontis gregis?
Eamus unà potius in lethum Mari.
Dulce & decorum est, cadere pro patrio solo.
Lethum fugacis militis cœlum improbat,
Interque cineres patriæ mortem probat.

SCENA QUARTA.

Marius Senior precibus Marij Iunioris fugam init.

Iun. Perijmus! orbis Domina, terrarum Dea,
Amisit omne scelere Syllano decus.
Abi, latebras genitor infaustus pete.
Sen. Num quis fugaci inhæret? *Iu.* A tergo ferox
Syllæ furentis instat in cædem cohors;
Quacunque fugio, miles à tergo furit,

Cre-

Crepatque ferrum, fremitus armorum tonat.
Sen. Cadamus unà nate pro patria in necem:
Dulce & decorum est patriæ vitam dare.
Iun. Quandoque sese patriæ viros fugâ
Servare par est. *Sen.* Patriam quisquis fugit,
Sinit perire. *Iun.* Patriam servat quoque,
Rabiem Tyranni quisquis ad tempus cavet.
Sen. Cavere probrum est, si fugâ mortem cav[et]
Iun. Si quo notabit scelere cautelam fuga,
Necessitas delebit. *Sen.* Abjectam gerit
In pectore animam, sponte qui regnum truci
Concedit hosti, capere cùm regnum potest.
Iun. Imbellis ille est, sponte qui in mortem ruit,
Vixisse quando patriæ in bonum decet.
Sen. Cadere inter arma, militis primum est decus,
Probrum supremum, fugere. *Iun.* Privato venit
Laus hæc probrumque militi. Dux est caput:
Subducis istud funeri, vitam potes
In reliqua membra fundere. *Sen.* O fili, sine.
Iun. Pater, obsequendum est sortis invidiæ, dabit
Sereniorem crastinus Phœbus diem,
Enubilato Solis aspectu: vagus
Volubilisque sortis est dubiæ tenor:
Donata sæpè tollit, at reddit quoque.
Sen. Infauste nate: fateor invictum trahis,
Cogisque patrem vivere, volentem mori.
O nate! vos contestor immites Dij!
Non hostis arma fugio, sed natum sequor.

SCE-

Scena Quinta.

Hostes Marium persequuntur.

Sylla. Miles.

Sylla. Sævire cessa miles in Romæ Patres;
Unum cruento funeri Marium pete.
Miles. Pernice telo citior effugit tui
Fulmina furoris. *Syl.* Vindicem evasit manum?
Properate fida militis lecta cohors.
Quà Diva Phœbum Roma venientem videt,
Quàque fugientem: sanguinis nondum satis
Bibitum; cruentum donec in chalybem fluat,
Quicunque Mario bullit in venis cruor.
Satiare nostrum hic unus ardorem potest.
Lustrate cuncta, abstrusa, devia, invia.
Non præda tenuis, vile non petitur caput.
Ruite, volate, rapite Romanum probrum,
Vinctumque nostro trahite calcandum pede.

Scena Sexta.

Marius secum deliberat, an ab hoste veniam petat.

Marius solus.

Quò me dolores rapitis? ô rerum vices!
Dubiaque semper Martis invisa alea!
Levis ô triumphi gloria! nihil est, nihil
Heu! quod volucrem fortis effugiat manum.
At nostra nondum fine clauduntur mala.

Pejor

Pejora restant. Jupiter si quod tibi
Adhuc severam fulmen accendit manum,
In me revolve: sidera in nubes trahe,
Et utrumque mundi cardinem forti increpa
Terrore teli. Cernis hanc frontem? tuo
Patet furori, quà voles cœlum, feri.
Mori volenti fulmen in munus dabis.
En pando pectus funeris vasti capax:
Tu stringe tela. Prô! capax luctûs dies!
Mortem petenti Jupiter mortem negat.
At si furore Sylla composito mihi
Vitam redonet, sitque Mavortis satis
Rapuisse signa? Ex hostibus virtus solet
Quandoque mentem pungere; affusi ad pedes
Cùm supplicantis audiunt victi preces.
Ibo, ibo: veniam Sylla poplitibus tuis
Petam advolutus. Quò ruis miser? dabit
Dabit ille vitam? nempè cùm votum, tuo
Saturare ferrum sanguine, & jugulo sua
Acuere tela. Fortè sed trucem mea
Fortuna mitigabit, & feri cadent
Violenta cordis odia. Quem felix nequit
Placare Marius æmulum, infelix potest.
Fortuna fracta nostra, quas felix nequit,
Extinguet iras æmuli. Ah demens Mari!
Cui nam periclo verticem imprudens tuum
Exponis? hostem cogita, cujus genu
Exosculari poscis. An Syllam putas
Posito furore posse placari? pudet
Hostem precari: sive quod petitur, manu
Donet benignâ; sive quod petitur, neget.

Moli-

Molitur eadem damna; seu det, seu neget,
Perfundat ante sparsus hos artus cruor,
Pactamque carai spiritus rumpat fidem,
Quàm servituti Marius infami caput
Genuque subdat. Liberum facit mea
Conditio memet. Flectere infame est genu,
Cùm stando possis terminum vitæ dare.
Ignava flectantur genua. Fortem virum
Rumpi est honestum, corpore & stante emori.
Solusne? an hostes? cujus impulsu strepunt
Luci silentes? hostium prodit cohors.

Scena Septima.

Marius captus nuntiatur.

Sulpitius. Nuntius.

Sulp. Fortuna nocuis prospera, innocuos gravi
Premit lacerto: sævit in bonos, malos
Risu salutat: in probos spinas pluit,
Rosis coronat improbos: istis mare
Sternit quietum fluctibus, at illis ciet
Toto procellas æquore, & dubiam ratem
Inter charybdes agitat, aut Scyllæ obvio
Terret latratu: nulla scelerato dies
Inamœna fulget; nulla benè meritum dies
Serena spectat. Ibis ô Romæ decus,
Assertor almæ pacis, & patriæ Pater,
Ibis furori meta Syllano Mari:
Totiesque meritum laureas caput, ah pudor!
Ad efferatos concidet Syllæ pedes.
Nunt. O sol sereno dignus extrudi polo,

Mediæ-

Mediæque jure noctis infaustæ obrui!;
O sol vel ortum repete, vel præceps rue,
Mediumque olympum desere.
Sulp. Hoc gemitu Marî
Fortuna deploratur *Nunt.* O belli & necis
Tranquilla nunquam maria! succumbit valor;
Invidia regnat. *Sulp.* Marius extinctus jacet?
Nunt. Utinam periisset! *Sulp.* Vivit?
Nunt. Ut gravius cadat.
Perijsset utinam, quando miscebat suos
Bellona fluctus; nunc ubi Mavors silet;
Probrosiore morte concludet dies.
Sulp. Vinctus tenetur? *Nunt* Inter & plebis jocos
Syllæ sub ora trahitur. *Sulp.* O Romæ gravis
Luctus peremptæ! *Nunt.* Luctibus serò nimis
Vacamus: hora quærere salutem jubet,
Dum Sylla victor instat, & gradum premit.

SCENA OCTAVA.

Sistitur Syllæ vinctus Marius.

Sylla. Marius.

Sylla. Vecors, rebellis, prædo regnorum, Dijs
Exosa pestis, gentis Æneadûm probrum,
Qua spe tribunal istud accedis reus?
Mar. Qua se videre judicem insontes solent.
Syl. O fax furoris, carnifex regni, lues
Mundi! innocentem scelera te faciunt tua?
Mar Sed te nocentem culpa non minor facit.
Syl Etiam in catenis perfide insultas Duci
Victorioso? *Mar.* Doctus æquali asperam
Faustamque ferre mente fortunam; mihi

Dijs-

Dijſque ſemper ſimilis, & liber metu.
Syl. Ego contumaces mentis inſultus premam
Capite reciſo. *Mar.* Carnifex veſter facit
Quod tu minaris. *Syl.* Teſtor ignito Deam
Nemeſin prementem terga nocuorum flagro,
Quid iſta poſſit dextra, quid ferrum, ſcies.
Mar. Teſtor rotantem ſceptra, quatientem polos,
Terras prementem, maria turbantem Jovem;
Conferre dextram dexteræ, pedem pedi,
Si liceat; enſes enſe confringam tuos.
Syl. Audi ſuperbum. *Mar.* Non tuâ victum premis
Virtute Marium. Romulos teſtor Deos,
Natum ſequebar, arma non metui tua,
Nec metuo vinctus. *Syl.* Vinctus armatum improbo
Laceſſis ore? *Mar.* Qui mori lucrum putat,
Laceſſere hoſtem vinctus armatum poteſt.
Syl. At arma, juro, ſenties Mari mea.
Mar. Tua arma miſerum facere, non timidum queunt.
Minare mortes mille, funeſtas mihi
Minare pœnas (quoque non aliud queam
Pejus precari) vivere Marium jube:
Exſtabit animo, vivet invictus, ſuus.
Syl. Sic jubeo Marium vivere invictum, ſuum.
Mar. Vivet ſuperſtes, vivet invictus, ſuus.
Syl. Moriere. *Mar.* Pœna militi non eſt mori.
Syl. At morte multâ. *Mar.* Morte nos unâ jubet
Lex univerſi cadere. *Syl.* Ego multâ reum

Morte tumulabo *Mar.* Morte tamen unâ cadam.
Syl. Sed ista temet victimam Stygi dabit.
Mar. Tum te profundo Tartari erumpens lacu,
Piceamq; te torquens manibus iratis facem
Sæva umbra semper insequar: nullæ dabunt
Noctis quietem, nulla solamen dies
Syl. Umbras minaris? rapite despectum soli
Latebrosa ad antra carceris: nullum diem,
Nullamque micantis hauriat cœli facem.
Umbras priusquam faciat; ut ferat, volo.
Abripe satelles probra Minturnæ in specus.

CHORVS.

ODE.

Gloria Marij captiva se ingloriè perire lamentatur.

Gloria.

Credat hoc quisquam? bene prostituto
Marius Romana cruore
Templa servavit, patriosque templis
Divos, Divisque tributum
Thuris accensi, patriæque Cives,
Sua mœnia libera Civi.
Credat hoc quisquam? toties redemptâ
Marius procul exulat urbe!
Scilicet paci precium patratæ,
Studijsque hoc Roma rependis?
Ite venturis Decimi nepotes
Has laudes dicite lustris:

Glo-

Gloriam Romæ Marius paravit,
Perijtque inglorius ipse

A N T O D E.

Livor bene meritos impetit.

Invidia.

Livor est cæcus: tamen in sereno
Maculas Hyperione cernit.
Gloriæ solùm videt esse lucem;
Oculis ad cætera cassus.
Huc per insani ruit arma belli,
Per mille pericula Martis.
Nescit Heroûm merita æstimare;
Meritis sed calcar ab ipsis
Sumit, ut præceps ruat in merentem,
Odioque sequatur & armis.
Propriæ lucis studiosus emptor
Alienum extinguit honorem.
Quò ruat, non quà videt: inter arma
Modò tandem concidat hostis.

C A T A S T A S O D E.

Illis bonis studendum, ad quæ non appropinquat Invidia.

Ratio.

Stulte, quid lucis studio fatigas
Animum? brevis hora necabit,
Sæculum quod vix peperit. Viriles
Illuc converte labores;

Quò

Quò nec accedit vitium senectæ,
Nec Livor dente propinquat.
Quidquid hîc famæ studio laboras,
Vanum est, & inutile semen.
Quod licet spargas, nihil inde spera,
Vacuo de semine nulla
Messis exurget. Sere sempiternæ
Virtutis nobile semen.
Inde si fato rapiâre, messem
Sibi postera colliget ætas.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Senatus habetur de morte Mario inferenda.

Senatores Minturnenses 6. Cimber.

Sen. 1. NUnquam quieta regna fortunam diu
Tulére blandam: celsa præcipiti loco
Certum tenere nesciunt diu pedem.
Vel ipsa semper laurea, infelix bonum,
Per mille lethi genera cupressum trahit;
Vitæ propinquas semper immiscens neces.
Documenta Marius exhibet: nunquam dedit
Exempla fors majora, quam facili ruant
Excelsa vento, quamque præcipiti vice
Fortuna scenas mutet, & densâ diem,
Diem intentis gloriæ, nocte obruat.

Cui

Cui Phœbus inter gaudia occubuit heri:
Hodie supremam in igne Libitinæ facem
Oriens reportat. Ille quem timuit Nomas,
Positoque tergo victus insceusum dedit
Rex in curules, ille Syllano jacet
Jussu in catenis. Vestra nunc Patres placet,
Audire mentis sensa, sic victor jubet,
Quæ pœna Marij funus extremum trahat.
Nihil favendum: Sylla sic Victor jubet.
Consulite Patres, causa quam pœnam exigat.
Hæc una vestris hora consilijs datur,
Non ulla post hanc.
Sen 2 Sanguinis causam morâ
Majori volvi decuit *Sen.* 1. Hoc Victor vetat.
Secundus. Injusta quando mandat, exsolvit quoque
Lege obsequendi. *Prim.* Jussa majoris ferat
Judex minor, non judicet. *Secund* Major ferat
Mandata justa. *Prim* Justa cum jubet, facit,
Quæcunque major imperat. *Secund* Si non mala
Sint ipsa jesta. *Prim.* Sit malum; quando jubet,
Est obsequendum. *Sec.* Judicem lentum volunt
Decreta legum. *Prim.* Sylla non lentum cupit.
Secund. Ut vindicantem sæpè præcipitat furor,
Sic judicanti sana consilia mora
Producta dictat. *Tert.* Sanguinis pondus grave
Judicia prohibet levia. *Quartus.* Præpoperus furor
Non æquus esse criminis Judex potest.
Seponat odia, quisquis ut judex sedet.
Odia serenum mentis extinguunt jubar.

Quin-

Quintus. Nam quid patratum est criminis? nempè arguit
Qui vult peremptum. *Pri.* Pone patratum nefas,
De morte quærit Sylla. *Quin.* Confectum scelus
Mensura pœnæ est. Quodlibet velit nece
Punire crimen Sylla; damnatus suam
Incurret in sententiam. Nemo est nocens,
Nisi & probetur. Adde si crimen probes,
Non omne morte plectitur. *Pri.* Mortem jubet
Inferre victor. *Quint.* Ergo carnifices suos
Nos esse mandat. *Primus.* Quæro, quod pœnæ genus
Sit destinandum. Pone meruisse in neces
Trahi nefandum spiritum: quæro rapi
In fata suades. *Secund.* Si suâ pœnâ caret
Impunè crimen, semper audaces facit.
Moriatur ergo, morte quâ Duces solent
Captivi in umbris carceris. *Tertius.* Quamvis rear
Servare miseros regiæ mentis decus,
Hostes tamen necare non minus puto.
Moriatur illâ morte. *Quart.* Cùm Judex potes
Aut fulminare, aut parcere; immitem preme
Furoris iram Quæritur mortis genus,
Mors ipsa jam est decreta: clementi volo
Marium perire morte. *Sext.* Sed mors est tamen
Quæcunque dabitur. sive per vicos trahas
Vivum cadaver, sive per costas agas
Satianda tela sanguine, & caput metas,
Sive inter ignes spiritum flammâ exigas,
Æquè peremptus occidet. Nihil refert,

An igne, an ense pereat: hoc multum refert,
Ut non sit hostis: odia sublato auferes
Quocunque letho. Morte secretà occidat
Nil meritus ultra. *Prim.* Fama vindictæ perit,
Supplicia si sint tacita. *Sec.* Vindicta est tamen.
Prim. Palàm meretur opprimi, quisquis palàm
Venena vomuit. Incutit multis metum
Aperta pœna. Fulmen ubi grandi sonat
Lapsum fragore, plurimos terret, licet
Unum trisulco telo in exitium trahat.
Tert. Judicia vulgus judicat, quando patent,
Occultà adorat. *Prim.* Quando sic Patribus placet,
Jubetque Sylla, jubeo secreto erui
Vulnere nefandum spiritum. Extremæ necis
Ades minister Cimber; i, vinctum in specu
Per ima ferro viscera impacto eneca.

SCENA SECUNDA.

Cimber absterretur à morte Mario inferenda per vocem ignotam.

Cimber. Vox.

Cim. Hodie litandum sanguine, ubi grandis meo
Decreta ferro est victima; in magnum feror
Olimque gravibus, inclytum spoliis Ducem.
Nescio quis intus corda concussit pavor,
Terretque mentem; quod jubent patres, vetat
Tremor per artus. Frigoris pigrum gelu
Rigidusque sanguis, cordis attonitus stupor
Por-

Portendit aliquid. Jussa prævaleant Patrum.
Audite opaci carceris tetri specus,
Audite tenebræ, Marium in exitium peto.
Vox Suspende dextram Cimber, & jusso licet.
Serva innocentem crimine à tanto manum
Cl. Quis mihi frenente acinacem excussit manu?
Quæ vox ad aures? flamma quæ dubium jubar
Ingessit oculis? Parcite ò superi! polo
Si terruistis. Non meum hoc scelus fuit.
Jussit Senatus. Ibo & in ferrum dabo
Hos potius artus, quàm renitente audeam
Scelus hoc olympo. Jussa sic Patrum exequor!
Scelus in utroque est. Fortè deceptum polo
Imago vocis lusit, aut magico excitæ
Carmine profundo è Tartari lacu striges,
Vocem dederunt? Improbent nostrum striges
Probentve factum; jussa quod Patrum volunt,
Est exequendum. Carceris tetri specus
Qui sub profunda nocte tumulatum tenes
Vinctumque Marium redde: cui lucem negat
Exclusus æther, videat extremum mei
Chalybis nitorem, cujus impactu vomat
Contaminatum spiritum, & Syllam sui
Timore solvat. Pandite abstrusum chaos
Umbrasque tenebræ: Marium in exitium peto.
Vox. Suspende dextram Cimber, & jusso licet,
Serva innocentem crimine à tanto manum.
Cim. Intende fulmen Jupiter; jam sum nocens.
Invise Titan merge lucentem diem
Noctis sub umbras, redde inaspectam fugam.

SCENA TERTIA.

Marius in carcere suam sortem deplorat.

O somniorum somnia! ô nostri brevem
Scenam triumphi! nobilem nuper Ducem
Dedi theatro, laureâ illustri comam
Umbratus altam. Quidquid in terris fuit
Romæ timendum, rupimus; quidquid manu
In Martialem tela contorsit Deam,
Romæ Quirinos dedimus attritum ad pedes,
O dura sortis jura! miseranda! impia!
Rapuêre laurum, gloriam, famam, omnia.
Et quo sedebam, Martis excludor sinu;
Ludibriumque sortis ex tanto Duce
Vix umbra Marij, sortis eversæ jocus,
Desertus, exul, vinctus, & plebis probrum,
Mihimet superfum. Turbinis sic in modum
Fortuna, quidquid edito statuit loco,
Deripit ad ima; perque calcatas Ducum
Frontes superbum tumida molitur gradum,
Confide sorti, quisquis illudi petis.
Pertexe telam perfida: inceptæ fluat
Ordo ruinæ. Martis ereptus minis
Adhuc supersum; spiritum exhauri chalybs,
Hoc si reposcit urna devotum caput;
Vel congere ignes ultimos fati in rogum.
O patria! patria! vivo, sed inultus tua
Perferre cogor fata. Si possim meo
Sanguine mederi, sanguinem lubens dabo
In mille mortes; occidit res, spes, miser,

De-

Deſpectus, exul, orbis, Auſonij probrum,
Cuinam reſervor? fortis annoſus tenor
Huc recidit altæ, ſolus ut victo mihi
Sanguis ſuperſit, quem tot armorum furor
Haurire nunquam potuit, hunc patriæ lubens
Inter catenas dedico. Vivat meo
Cruore Roma, quæ ſuo ſatis nequit.
Hoc voveo: Roma ut vivat, occumbo libens.

SCENA QUARTA.

Dimitti jubetur è carcere Marius.

Minturnenſes. Cimber.

Min. 1. Color timori quæritur.
Cimber. Teſtor Deos,
Noctemque teſtor carceris opaci, Dij
Tonuêre cœlo. *Min* Nempè quod nolis, Deos
Vetuiſſe narra: fæminæ fidem potes
Facere. *Cimb* Coruſca flamma repreſſit gradū
Animumque vox eripuit horrendum tonans:
Suſpende dextram Cimber, & juſſo licet
Serva innocentem crimine à tanto manum.
Min. 2. Horror gelatas contrahit mentis fibras,
Frigusque ſtringit corda. *Cimb* Narratus dedit
Caſus pavorem; viſa majorem imprimunt
Animo ſagittam. *Min.* Vera ſi narras, Deos
Habet advocatos Marius. *Secund.* Ad noſtrum male
Reus tribunal ſiſtitur: quiſquis polo
Eſt judicante innocuus, involvi poteſt

Errore mens humana; Divinam nequit
Fraus ulla mentem involvere. Absolvunt poli,
Ne terra damnet. *Tert.* Ista, quæ Cimbrum metu
Fax lapsa cœlo perculit, vel est rogus
Ultrice flammâ vertici nostro minans;
Vel testis innocentiæ. Utrumvis notet,
Vetat furentem stringere in ferrum manum.
Prim, Nolente cœlo quisquis in ferrum ruit,
Et innocentem sanguinem vindex bibit,
Bis ille peccat. *Sec.* Jura sic suadent; polus
Flammis minatus imperat; tetro è specu
Solve innocentem. *Tert.* Prodeat liber suo
Situ evolutus, igne Minturnas Deûm,
Iraque solvat. *Prim.* Perge, qui mortem prius
Cimber ferebas, nunc cum vitæ refer
Damnato ad antra Mario, & invito specus
Prius impiatos chalybe, jam rursum expia.
Cimb. Audite cæci carceris tetri lacus,
Audi profundæ noctis abstrusum chaos,
Audite tenebræ: è vinculis Marium date.
Quod esse faustum Cœlites tibi velint,
Mihique, liber vinculis exi Mari;
Jubet senatus: Jura Minturnæ jubent.

CHORVS.

Invidia palmam premit, in qua Genius Marij exultat, & tandem exscindit.

Invidia. Genius Marij.

Invid, Non tolerabo. Quidquid in altum
Fortuna effert, hoc dente premo,
Hac sterno manu. Nescia magnum

To-

Tolerare diu ſaſtum Invidia.
Mihi nemo ſtetit nimis excelſus.
Sæpè ſecundam patior ſortem
Se gemmatâ tollere pulchra ad
Aſtra curuli: ſed retrò tamen
Semper adhærens arrodo rotas,
Axemque premo; donec fracta
Rota præcipitem dominum effundat.
Quæ ſors dederit: prius eripio,
Quàm poſſideas. Satis in nubes
Sed tua jactat vertice palma.
Jam præda meo facta es denti,
Præda ſecuri. *Gen.* Triſte minaris
Invida ſortem? fruſtra: jacula
Jam tua noſter ſtatus excedit.
Invid. Nihil Invidiæ dentem excedit,
Gen. Sidera Marius jam preſſa tenet.
Invid. Nemo conſtans ibi ſecurè eſt,
Ubi ſeveræ ſorti eſt aditus.
Gen. Humilis terræ cede myrica,
Gloria Martis me ſuper aſtra
Tulit. *Invid.* At radix eſt in terra,
Obvia noſtras ſemper ad iras.
Nulli longum proſperitatis
Concedo ævum. Lucem extinguo;
Famam erado, gloriam opaco,
Attero honores nomen obumbro,
Merita infamo; ſaxo inſculptos
Diruo titulos, exedo tilias,
Contero ſtatuas, marmora tumulo,
Monumenta voro. Quidquid ſurgit,

 Cadit

Cadit ad nostræ damna securis.
Rumpere magni filia Martis,
Facta invidiæ spolium, palma.
Sic magna premo. *Gen.* Heu! discite nostro
Magni à casu, nunquam nimium
Fidere forti. Quidquid dederit
Fortuna manu dabit Invidiæ.
Et quando dat, rapere intendit.
Discite magni; tam sublimi
Vertice nullum stare Invidia
Quem non possit dare præcipitem.

SCENA QUINTA.

Marius carcere solutus Carthaginem ingredi prohibetur.

Marius. ***Apparitor.***

Mar. Tandem solutus carcere, exemptus metu
Liber catenis, lucis ereptum jubar,
Claramque puri solis aspectu facem
Haurire possum, jussibus Syllæ diu
Mihi negatam. O quisquis atroci semel
Fortunæ adactus impetu in præceps datus
Tua fata defles, erige jacentem obruti
Animi vigorem: stravit afflictum dies
Prior, sequentem fortis exspecta: dabit
Spes firma rursus surgere. At si spes cadat
Ipsam licet sperare spem. Nunquam decet
Sic ponere animos, animus ut non sit super.
O quæ furoris inter hostilis globos,
Et intonantia flammeas Martis faces

Fortu-

Fortuna nostrum à cæde servasti caput,
Marium benigno frontis aspectu bea,
Ne fulgurantem solis intuear facem
Illusus, illaudatus, ejectus bonis,
Meæ superstes gloriæ, alienæ seges.
App. Suspende gressus, obvius quisquis venis.
Tune ille Syllæ pedibus attritum caput?
Mar. Ego ille dubiæ triste ludibrium Deæ!
Ego ille Marius lubricæ sortis pila,
Jocusque plebis, Marte confectus gravi,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.
Appar. Audi jubentis dicta Prætoris: pedem
In Africanum ferre ne tenta solum,
Nec igne populi, fonte nec populi utitor.
Quisquis nefandum proteget ferro caput,
Tectumve cedet, clade funestâ occidat,
Excede regno, quære perfugii loca.
Imperia post audita, non datur mora.
Mar. Et hoc triumphis astra debebant tuis
Post antra tenebris obsita, illuviem, & situm!
Confide magnis, quisquis imperio tonas,
Confide regnis, invidas quæ per manus
Præpete vagantur impetu, & nunquam fidem
Servante sorte, quâ nitent, subitò avolant,
Miser es; superba sceptra seu rotes manu;
Gravisque gemmâ. & imbre Sarrano oblitus;
Seu cinctus auro verticem premas ebur
Regale solij. miser es! omne licet latus
Stipet decoro Principum fulgor globo,
Pavidusque limen basijs terat cliens,
Augusta livor rodit: Excelsis gravis

Casus minatur. Sævit in magnos truci
Fortuna dextrâ, quosque vexatu diu
Sors inquietat, penitus invidia opprimit.
O quàm beato fine transegit dies,
Latere quisquis potuit, & soli procul
Subtrahere sese publico, curæ gravi
Pondere solutus, sorte contentus suâ,
Periculorum nescius, honorum fugax!
Humi jacentem vitat invidiæ casam,
Magnæque semper sortis incedit comes.
Habent coronæ pondus onerosum; trahunt
Ad ima magnos, non levant. Famuli greges,
Sudans sub auro marmor, ad nutum Ducis
Miles paratus, semper instabile bonum est.
Nunc, ô corusci flammeum mundi jubar!
Nostroque honori semper adversi dies,
Nunc mille damnis fessus, & fractus malis
Hîc sisto Marius Fateor heu! Potui miser,
Miser esse potui, forma felicis prius
Beatitatis; hostium quondam pavor,
Nunc ludus hostis; nunc levis mundi jocus.
Vos me per alta lapsui aptâstis Dij.
Adeste tumidi. Luditur vestros jocus
Marius in usus. Ille terrarum Deus,
Desertus, exul, vile ludibrium soli:
Ille Imperator Marius occumbit fame.
Date purpurato Principi; (hoc quondam fui)
Date, date diræ mucidam crustam fami.
Tenuem vel assem Principi, aut panem date;
Et pane, & asse Marius attritus caret.
Qui Gargara olim messui, pane careo.

Te-

Tenuem vel assem Principi, aut panem date.
Si vestra nondum brachia immiti gelu
Riguêre, panem Principi, aut assem date.
Et pane & asse Marius attritus caret.

COMMVS.

Invidia gloriæ inimica.

Nihil est studijs solidum humanis,
Quo satientur vota clientum.
Nulli, nulli pura scaturit
Vena voluptæ; cui non livor
Toxica miscet: nulli cœlo
Lucet ab ulto sine nube dies:
Quà sol vehitur, sequitur nocuis
Umbra obsequijs, Quà se Virtus
Agit, Invidiam post terga trahit.
Non illa levi pascitur epulo:
Summa aggreditur. Velut abjecta
Dedignatus virgulta Notus
In dominantes totam quercus
Exerit iram. Sic Invidia
Petit excelsos; parcit humilibus.
Quacunque rotas gloria flectit,
Livor acerbo sequitur dente,
Roditque rotas. Ite per alti
Regna triumphi Martis amica
Pectora, & urbi pulchram invehite in
Iride pacem: nunquam solidam
Ipsi vobis dabitis pacem.
Prima ibi vobis causa duelli
Venit; optatis ubi pax urbem

Recreat alis. Illic seritis
Invida vobis prælia, palmas
Ubi demetitis. Sit licet animi
Vitium parvi livor; in altos
It tamen ausus: & velut excors
Manus Heroëm sæpè ingenti
Vulnere stravit; sic invidiæ
Gravis est ictus. Licet imbellis
Sit dextra, furor tela ministrat.
Livor in illos incidit animos,
Qui non capiunt aliena bona;
Nec virtutem virtute æquant.
Sed tamen hinc se splendere magis
Censet, honores umbrâ alienos
Superinductâ si contumulet;
Clarique diem nominis altâ
Nube sepeliat. Quò magis urget
Fama curules, tu fræna manu
Breviore tene. Circa alta tonat:
Tutam capiunt parva quietem.
Memor invidiæ ponè sequentis
Impelle rotas. Hoc magis illa
Colligit iras, quò magis alto
Curru nomen famamque citas.
Livori addis, quidquid parto
Addis honori. Vis Livori
Demere vires? deme calenti
Gloriæ amori. Moritur Livor,
Ubi non vivit gloria: Vivit
Livor, quamdiu gloria vivit.

SAXO-



SAXONIA CONVERSA

SIVE

CLODOALDUS
DANIÆ PRINCEPS,

cum tota familiâ

A

CAROLO MAGNO

ſuperato

VITIGINDO,

converſus.

ARGUMENTUM.

CLodoaldus Daniæ Princeps, trium liberorum viduus Pater, & poſt varias revolutiones eâdem trinâ prole beatus, & ad fidem orthodoxam converſa familia ac omnis indè Saxonia, Scenæ eſt materies. Clodoaldum filium rapuerunt Piratæ; Piratis excuſſerunt opiliones, excuſſum ſuſcepit, a-

luitque cum filio suo Faustino Thoas, & Ischyrionem vocavit, ac tandem cum eodem in exteras terras dimisit, dato eidem annulo, quē de collo gestabat puer, cum Piratis eriperetur, ut eo fortè signo in stemmatis sui veniret notitiam. Filiam verò Hildegardem Sacerdotes Irminsul rapuerunt, ac inter Vestales abdiderunt. Denique Hiacynthum filium tertium, ut Irminsul idolo raperent Sacerdotes, intempestivum Patris votum effecerat, qui ob casum ad statuam dicti Idoli aprum cœcitate percussus devoverat placando Idolo, quidquid primum haberet obvium. Vndè cùm primus occurrisset Hiacynthus consulti Sacerdotes, ne hæc Diis elaberetur hostia, eum ad secures abripiunt. Iamque parabatur sacrificium, cum per varia, eo delati Ischyron, & Faustinus irrumpunt sacrificium impedituri. Sed infelici eventu, capiuntur enim & ipsi, feris eâ lege objiciuntur, ut si evadant victores, Hiacynthus liberetur: vincunt feras, Sacerdos Magos proclamat, detruduntur in carceres. Hildegardis, quæ spectaculo certantium intererat, amore illorum capitur, erigitur per eos in spem suæ libertatis, tentat eos carcere liberare. Deprehenditur in ostio carceris, in judicium vocatur, damnatur, supplicia reis apparantur. Sed eo ipso die advenit victor de Saxonum Duce Vitigindo Carolus Magnus, urbem ingreditur, diffugiunt Sacerdotes, supplicia impediuntur. Accidit supplex Carolo Clodoaldus: Sistuntur è carceribus Carolo vincti Ischyrion, Hildegardis, Hiacynthus, & Faustinus. Pater, qui adstabat, Clodoaldus filios agnoscit, filii Patrem, convertuntur omnes ad fidem Orthodoxam.

Vide

Vide Caussinum in conversione Saxoniæ : qui rei seriem ex Krantzio, Godefrido Wsterbio, Rheginone Chronicis & Analibus Fuldensium, Relationibus Schamburgii Evodii Albini, & aliorum monumentis contraxit.

PERSONÆ.

Clodoaldus Dan. Prin.
Clodoaldus Fil. sive Ischyrion.
Hiacynthus Filius.
Hildegardis Filia.
Sandrianus Præf. Aulæ.
Araspus Præf. Filior.
Carolus Magnus Rex.
Ferrandus Dux belli.
Arbastus Dux belli.
Caridus Tribunus.
Vitigindus Sax. Dux.
Adrastus Belli Dux.
Olethrius Belli Dux.
Theonas Belli Dux.
Glacidus Capitan.
Nuncius.
Præco.
Judices.
Popæ.
Arbas.
Grocanus.
Thoas Nutritius Isch.
Faustinus filius Thoæ
Amyntas, Mirtilus, Montanus } Opilion.
Geronda.
Lylla.
Piscatores.
Piratæ.
Nautæ.
Venatores.

ACTUS

Scena Tertia.

Marius in carcere suam sortem deplorat.

O somniorum somnia! ô nostri brevem
Scenam triumphi! nobilem nuper Ducem
Dedi theatro, laureâ illustri comam
Umbratus altam. Quidquid in terris fuit
Romæ timendum, rupimus; quidquid manu
In Martialem tela contorsit Deam,
Romæ Quirinos dēdimus attritum ad pedes.
O dura sortis jura! miseranda! impia!
Rapuēre laurum, gloriam, famam, omnia,
Et quo sedebam, Martis excludor sinu;
Ludibriumque sortis ex tanto Duce
Vix umbra Marij, sortis eversæ jocus,
Desertus, exul, vinctus, & plebis probrum,
Mihimet superstum. Turbinis sic in modum
Fortuna, quidquid edito statuit loco,
Deripit ad ima; perque calcatas Ducum
Frontes superbum tumida molitur gradum.
Confide sorti, quisquis illudi petis.
Pertexe telam perfida: inceptæ fluat
Ordo ruinæ. Martis ereptus minis
Adhuc superstum; spiritum exhauri chalybs,
Hoc si reposcit urna devotum caput;
Vel congere ignes ultimos fati in rogum.
O patria! patria! vivo, sed inultus tua
Perferre cogor fata. Si possim meo
Sanguine mederi, sanguinem lubens dabo
In mille mortes; occidit res, spes, miser,

Deſpectus, exul, òrbis, Auſonij probrum,
Cuinam reſervor? fortis annoſus tenor
Huc recidit altæ, ſolus ut victo mihi
Sanguis ſuperſit, quem tot armorum furor
Haurire nunquam potuit, hunc patriæ lubens
Inter catenas dedico. Vivat meo
Cruore Roma, quæ ſuo ſatis nequit.
Hoc voveo: Roma ut vivat, occumbo libens.

SCENA QUARTA.

Dimitti jubetur è carcere Marius.

Minturnenſes. Cimber.

Min. 1. Color timori quæritur. *Cimber.* Teſtor Deos,
Noctemque teſtor carceris opaci, Dij
Tonuêre cœlo. *Min* Nempè quod nolis, Deos
Vetuiſſe narra: fæminæ fidem potes
Facere. *Cimb* Coruſca flamma repreſſit gradū
Animumque vox eripuit horrendum tonans:
Suſpende dextram Cimber, & ipſo licet
Serva innocentem crimine à tanto manum.
Min. 2. Horror gelatas contrahit mentis fibras,
Friguſque ſtringit corda. *Cimb.* Narratus dedit
Caſus pavorem; viſa majorem imprimunt
Animo ſagittam. *Min.* Vera ſi narras, Deos
Habet advocatos Marius. *Secund.* Ad noſtrum male
Reus tribunal ſiſtitur: quiſquis polo
Eſt judicante innocuus, involvi poteſt

Errore mens humana; Divinam nequit
Fraus ulla mentem involvere. Absolvunt poli,
Ne terra damnet. *Tert.* Illa, quæ Cimbrum, metu
Fax lapsa cœlo perculit, vel est rogus
Ultrice flammâ vertici nostro minans;
Vel testis innocentiæ. Utrumvis notet,
Vetat furentem stringere in ferrum manum.
Prim. Nolente cœlo quisquis in ferrum ruit,
Et innocentem sanguinem vindex bibit,
Bis ille peccat. *Sec.* Jura sic suadent; polus
Flammis minatus imperat; tetro è specu
Solve innocentem. *Tert.* Prodeat liber suo
Situ evolutus, igne Minturnas Deûm,
Iraque solvat. *Prim.* Perge, qui mortem prius
Cimber ferebas, nunc cum vitæ refer
Damnato ad antra Mario, & invito specus
Prius impiatos chalybe, jam rursum expia.
Cimb. Audite cæci carceris tetri lacus,
Audi profundæ noctis abstrusum chaos,
Audite tenebræ: è vinculis Marium date.
Quod esse faustum Cœlites tibi velint,
Mihique, liber vinculis exi Mari;
Jubet senatus: Jura Minturnæ jubent.

CHORUS.

Invidia palmam premit, in qua Genius Marij exultat, & tandem exscindit.

Invidia. Genius Marij.

Invid. Non tolerabo. Quidquid in altum
Fortuna effert, hoc dente premo,
Hac sterno manu. Nescia magnum

To-

Tolerare diu ſaſtum Invidia.
Mihi nemo ſtetit nimis excelſus.
Sæpè ſecundam patior ſortem
Se gemmatâ tollere pulchra ad
Aſtra curuli: ſed retrò tamen
Semper adhærens arrodo rotas,
Axemque premo; donec fracta
Rota præcipitem dominum effundat.
Quæ ſors dederit: prius eripio,
Quàm poſſideas, Satis in nubes
Sed tua jactat vertice palma.
Jam præda meo facta es denti,
Præda ſecuri. *Gen.* Triſte minaris
Invida ſortem? fruſtra: jacula
Jam tua noſter ſtatus excedit.
Invid. Nihil Invidiæ dentem excedit,
Gen. Sidera Marius jam preſſa tenet.
Invid. Nemo conſtans ibi ſecurè eſt,
Ubi ſeveræ ſorti eſt aditus.
Gen. Humilis terræ cede myrica,
Gloria Martis me ſuper aſtra
Tulit. *Invid.* At radix eſt in terra,
Obvia noſtras ſemper ad iras.
Nulli longum proſperitatis
Concedo ævum. Lucem extinguo;
Famam erado, gloriam opaco,
Attero honores nomen obumbro,
Merita infamo; ſaxo inſculptos
Diruo titulos, exedo tilias,
Contero ſtatuas, marmora tumulo,
Monumenta voro. Quidquid ſurgit,
 Cadit

Cadit ad nostræ damna securis.
Rumpere magni filia Martis,
Facta invidiæ spolium, palma.
Sic magna premo. *Gen.* Heu! discite nostro
Magni à casu, nunquam nimium
Fidere forti. Quidquid dederit
Fortuna manu dabit Invidiæ.
Et quando dat, rapere intendit.
Discite magni; tam sublimi
Vertice nullum stare Invidia
Quem non possit dare præcipitem.

Scena Quinta.

Marius carcere solutus Carthaginem ingredi prohibetur.

Marius. *Apparitor.*

Mar. Tandem solutus carcere, exemptus metu
Liber catenis, lucis ereptum jubar,
Claramque puri solis aspectu facem
Haurire possum, jussibus Syllæ diu
Mihi negatam. O quisquis atroci semel
Fortunæ adactus impetu in præceps datus
Tua fata defles, erige jacentem obruti
Animi vigorem: stravit afflictum dies
Prior, sequentem fortis exspecta: dabit
Spes firma rursus surgere. At si spes cadat
Ipsam licet sperare spem. Nunquam decet
Sic ponere animos, animus ut non sit super.
O quæ furoris inter hostilis globos,
Et intonantis flammeas Martis faces

Fortu-

Fortuna nostrum à cæde servasti caput,
Marium benigno frontis aspectu bea,
Ne fulgurantem solis intuear facem
Illusus, illaudatus, ejectus bonis,
Meæ superstes gloriæ, alienæ seges.
App. Suspende gressus, obvius quisquis venis.
Tune ille Syllæ pedibus attritum caput?
Mar. Ego ille dubiæ triste ludibrium Deæ!
Ego ille Marius lubricæ sortis pila,
Jocusque plebis, Marte confectus gravi,
Exul, pavens, invisus, incerti laris.
Appar. Audi jubentis dicta Prætoris: pedem
In Africanum ferre ne tenta solum.
Nec igne populi, fonte nec populi utitor.
Quisquis nefandum proteget ferro caput,
Tectumve cedet, clade funestâ occidat.
Excede regno, quære perfugii loca.
Imperia post audita, non datur mora.
Mar. Et hoc triumphis astra debebant tuis
Post antra tenebris obsita, illuviem, & situm!
Confide magnis, quisquis imperio tonas,
Confide regnis, invidas quæ per manus
Præpete vagantur impetu, & nunquam fidem
Servante sorte, quâ nitent, subitò avolant,
Miser es; superba sceptra seu rotes manu;
Gravisque gemmâ, & imbre Sarrano oblitus;
Seu cinctus auro verticem premas ebur
Regale solij. miser es! omne licet latus
Stipet decoro Principum fulgor globo,
Pavidusque limen basijs terat cliens,
Augusta livor rodit: Excelsis gravis

 Ca-

Casus minatur, Sævit in magnos truci
Fortuna dextrâ, quosque vexatu diu
Sors inquietat, penitus invidia opprimit.
O quàm beato fine tranlegit dies,
Latere quisquis potuit, & soli procul
Subtrahere sese publico, curæ gravi
Pondere solutus, sorte contentus suâ,
Periculorum nescius, honorum fugax!
Humi jacentem vitat invidiæ casam,
Magnæque semper sortis incedit comes.
Habent coronæ pondus onerosum; trahunt
Ad ima magnos, non levant. Famuli greges,
Sudans sub auro marmor, ad nutum Ducis
Miles paratus, semper instabile bonum est.
Nunc, ô corusci flammeum mundi jubar!
Nostroque honori semper adversi dies,
Nunc mille damnis fessus, & fractus malis
Hic sisto Marius Fateor heu! Potui miser,
Miser esse potui, forma felicis prius
Beatitatis; hostium quondam pavor,
Nunc ludus hostis; nunc levis mundi jocus.
Vos me per alta lapsui aptâstis Dij.
Adeste tumidi. Luditur vestros jocus
Marius in usus. Ille terrarum Deus,
Desertus, exul, vile ludibrium soli:
Ille Imperator Marius occumbit fame.
Date purpurato Principi; (hoc quondam fui)
Date, date diræ mucidam crustam fami.
Tenuem vel assem Principi, aut panem date;
Et pane, & asse Marius attritus caret.
Qui Gargara olim messui, pane careo.

Te-

Tenuem vel aſſem Principi, aut panem date.
Si veſtra nondum brachia immiti gelu
Riguère, panem Principi, aut aſſem date.
Et pane & áſſe Marius attritus caret.


COMMVS.

Invidia gloriæ inimica.

Nihil eſt ſtudijs ſolidum humanis,
Quo ſatientur vota clientum.
Nulli, nulli pura ſcaturit
Vena voluptæ; cui non livor
Toxica miſcet: nulli cœlo
Lucet ab ulto ſine nube dies:
Quà ſol vehitur, ſequitur nocuis
Umbra obſequijs. Quà ſe Virtus
Agit, Invidiam poſt terga trahit.
Non illa levi paſcitur epulo:
Summa aggreditur. Velut abjecta
Dedignatus virgulta Notus
In dominantes totam quercus
Exerit iram. Sic Invidia
Petit excelſos; parcit humilibus.
Quacunque rotas gloria flectit,
Livor acerbo ſequitur dente,
Roditque rotas. Ite per alti
Regna triumphi Martis amica
Pectora, & urbi pulchram invehite in
Iride pacem: nunquam ſolidam
Ipſi vobis dabitis pacem.
Prima ibi vobis cauſa duelli
Venit; optatis ubi pax urbem

Recreat alis. Illic feritis
Invida vobis prælia, palmas
Ubi demetitis. Sit licet animi
Vitium parvi livor; in altos
It tamen ausus: & velut excors
Manus Heroëm sæpè ingenti
Vulnere stravit; sic invidiæ
Gravis est ictus, Licet imbellis
Sit dextra, furor tela ministrat.
Livor in illos incidit animos,
Qui non capiunt aliena bona;
Nec virtutem virtute æquant.
Sed tamen hinc se splendere magis
Censet, honores umbrâ alienos
Superinductâ si contumulet;
Clarique diem nominis altâ
Nube sepeliat. Quò magis urget
Fama curules, tu fræna manu
Breviore tene. Circa alta tonat:
Tutam capiunt parva quietem.
Memor invidiæ ponè sequentis
Impelle rotas. Hoc magis illa
Colligit iras, quò magis alto
Curru nomen famamque citas.
Livori addis, quidquid parto
Addis honori. Vis Livori
Demere vires? deme calenti
Gloriæ amori. Moritur Livor,
Ubi non vivit gloria: Vivit
Livor, quamdiu gloria vivit.

SAXO.



SAXONIA CONVERSA

SIVE

CLODOALDUS DANIÆ PRINCEPS,

cum tota familiâ

A

CAROLO MAGNO

ſuperato

VITIGINDO,

converſus.

ARGUMENTUM.

Clodoaldus Daniæ Princeps, trium liberorum viduus Pater, & poſt varias revolutiones eâdem trinâ prole beatus, & ad fidem orthodoxam converſa familia ac omnis inde Saxonia, Scenæ eſt materies. Clodoaldum filium rapuerunt Piratæ; Piratis excuſſerunt opiliones, excuſſum ſuſcepit, a-

luitque cum filio suo Faustino Thoas, & Ischyrionem vocavit, ac tandem cum eodem in exteras terras dimisit, dato eidem annulo, quē de collo gestabat puer, cum Piratis eriperetur, ut eo fortè signo in stemmatis sui veniret notitiam. Filiam verò Hildegardem Sacerdotes Irminsul rapuerunt, ac inter Vestales abdiderunt. Denique Hiacynthum filium tertium, ut Irminsul idolo raperent Sacerdotes, intempestivum Patris votum effecerat, qui ob casum ad statuam dicti Idoli aprum cœcitate percussus devoverat placando Idolo, quidquid primum haberet obvium. Vndè cùm primus occurrisset Hiacynthus consulti Sacerdotes, ne hæc Diis elaberetur hostia, eum ad secures abripiunt. Iamque parabatur sacrificium, cum per varia, eo delati Ischyron, & Faustinus irrumpunt sacrificium impedituri. Sed infelici eventu, capiuntur enim & ipsi, feris eâ lege objiciuntur, ut si evadant victores, Hiacynthus liberetur: vincunt feras, Sacerdos Magos proclamat, detruduntur in carceres. Hildegardis, quæ spectaculo certantium intererat, amore illorum capitur, erigitur per eos in spem suæ libertatis, tentat eos carcere liberare. Deprehenditur in ostio carceris, in judicium vocatur, damnatur, supplicia reis apparantur. Sed eo ipso die advenit victor de Saxonum Duce Vitigindo Carolus Magnus, urbem ingreditur, diffugiunt Sacerdotes, supplicia impediuntur. Accidit supplex Carolo Clodoaldus: Sistuntur è carceribus Carolo vincti Ischyrion, Hildegardis, Hiacynthus, & Faustinus. Pater, qui adstabat, Clodoaldus filios agnoscit, filii Patrem, convertuntur omnes ad fidem Orthodoxam.

Vide

Vide Caufinum in converfione Saxoniæ : qui rei feriem ex Krantzio, Godefrido Witerbio, Rheginone Chronicis & Analibus Fuldenfium, Relationibus Schamburgii Evodii Albini, & aliorum monumentis contraxit.

PERSONÆ.

Clodoaldus Dan. Prin.
Clodoaldus Fil. five Ifchyrion.
Hiacynthus Filius.
Hildegardis Filia.
Sandrianus Præf. Aulæ.
Arafpus Præf. Filior.
Carolus Magnus Rex.
Ferrandus Dux belli.
Arbaftus Dux belli.
Caridus Tribunus.
Vitigindus Sax. Dux.
Adraftus Belli Dux.
Olethrius Belli Dux.
Theonas Belli Dux.
Glacidus Capitan.
Nuncius.
Præco.
Judices.
Popæ.
Arbas.
Grocanus.
Thoas Nutritius Ifch.
Fauftinus filius Thoæ
Amyntas, Mirtilus, Montanus: Opilion.
Geronda.
Lylla.
Pifcatores.
Piratæ.
Nautæ.
Venatores.

ACTUS

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Carolus Magnus, ut Crucis vexillum proferat, arma in Saxoniam infert.

Carolus. Ferrandus. Arbastus.

Carol. ERumpe tandē, quisquis accensas tenes
Ignis medullas, Flamma, quam cœlo jacit
Benigna dextra Numinis, nescit tegi.
Erumpe fervor, liberas auras amat
Cœlestis ignis. Nolle dicēris Deo
Parēre, primos quisquis ætheree facis
Non sequeris ignes. Prima parendi nota est,
Primis favillis pectus attentum dare.
Erumpe flamma: quid diu lento coquis
Ardore pectus? flamma quæ tegitur, perit.
Erumpe: vasta incendiis tuis patent
Nemora fovendis. Illa, quam propior regit
Vitigindus ora Saxonum, densis nimis
Inculta sylvis, illa vicinos hians
Expectat ignes; sive queis bustum sua
Cineret Idola; sive queis fidei diem
Videre tandem liceat, & nocte exule
Erroris, oculos mentis in veri facem
Levare Solis. Scilicet frustra caput
Irradiat ille gemmeus Regi dies,
Nisi & propinquæ dividat genti facem.

Spa-

Spatiosa frustra pendet ab humeris chlamys,
Nisi illa populos regio involvat sinu.
In hoc frequenti pallium turget plicâ,
Ut in propinquas explicet sese plagas.
Frustra timendo regium ferro latus
Succingit ira, si per affinis soli
Impunè regna patitur errores leri.
Ad hoc Deo jubente Rex ferrum gerit,
Ut innocentûm capita patronus tegat,
Ultor nocentûm feriat. Affines iners
Quisquis videre incendii flammas potest,
Parùm sepulto distat. Haud uno tenet
Se flamma tecto: gliscit in pejus malum,
Contagioque in accolas semper sua
Venena fundit. Nostra tunc stabunt suis
Firmata basibus regna, cum foris quoque
Reges propinqui lora mordebunt Dei.
Vicina pietas, fortior vallo, imperî
Fines tuetur. Sacra diversa, ac Deus,
Vicina regna semper in rixas trahunt.
Ergo expedire lenta consilia, & metus
Prævertere omnes, una Regnorum est salus.
Quanquam perire sceptra si paterer mea,
Tua Christe causa pectori flammam injicit;
Sacrilega quando video successu impio
Fervere sacra; stare delubris palàm
Simulacra Ditis; barbaras Orci faces
Per adusta thura serpere, & fumum dare,
Perire populos, & catenatos Duces,
Novisque Averna gentium impleri rogis.
Idemnè vobis incitat mentem calor,

Ge-

Generosa Martis decora ? Post sparsos metus
Toto occidente, post trophæorum cedros
Ubique fixas gentium, quâ sc ro aat
Impunè Erynnes, peste quà cœlum impiant
Ditis cohortes, huc Deus sui jubet
Nos ire honoris vindices, lubet Deo
Pugnare posthac, hactenus nobis viri
Pugnare docti ? *Ferran.* Quamlibet causam Dei
Curare, promptus miles accensam gerat
Sub corde flammam, seque vel murum Deo,
Vel prostituto sanguine umbonem suo
Regi locare gestiat; tamen decet
Spectare quò mens provolet, non quo manum
Impellat ardor. Causa sit licet Dei,
Non est agenda præcoci ductu. Deus
Quandoque se se negligi tolerat, ubi
Neglectus ille gloriæ accessum facit.
Arb. Pericula adde certa, non certum exitum
Habitura bella. Vile quod tentas genus,
Nimio ferinum sanguinem pretio æstimat,
Funere tuorum. Saxa per, per asperis
Superbientes rupibus tractus via
Vix ulla tenuem semitam adituris facit.
Qua commeatum transvehes ? non si Annibal
Redivivus iterum traheret in Martem globos,
Frangeret aceto has alpium turres. Cadent
Fame sitique rabidi Heroës viri,
Quos multus ussit Sirius, multus nive
Aspersit Aquilo. Digna tantorum nece,
An illa fuerit herba, quam viles lupi,
Et vile vulgus porriget, Rex æstima.

Car.

Car. Si nos in arma turpis ambitio ageret,
Vel nundinandæ gloriæ indomitus calor,
Adhuc pericli nulla formido tuos
Decceret animos: quà viam rupes negant,
Hâc militaris rumperet fervor viam.
Quà ventus ire potuit, hàc didicit meus
Penetrare miles; semper assuetus gravi
Emere labore gloriam: turpem ratus
Palmam, cruore parta, quæ nullo venit.
At cùm Tonantis una nos causa incitat,
Manibusque ferrum suggerit, non est viri
Fortis, priusquam buccina in bellum vocet,
Posuisse mentes. *Fer.* Exitum cautus vide,
Magnanime Princeps: sæpè principio bonam
Quæ spem dederunt, exitus tristes habent.
Non semper illa, manè quæ rubuit dies,
Dedit serenum vesperum: immutant suas
Principia læta, & exitus tristis vices.
Sic sæpè purus fontis ad caput est latex,
Quem per natantes alvei longas vias
Arrosa terra turbat, & luto inficit.
Sapientis est, initia cùm rerum videt,
Simul videre terminos. Bellum ingredi
Etiam imperitus potuit; at bellum ingredi
Ut, cùm libebit, egredi rursum queas,
Hoc providere Regias mentes decet.
Carol. Arcana cogis pandere, atque altæ sinus
Aperire mentis; fateor invitum trahis,
Ut quæ latere pectore volebam, palam
Luci propinem: Sed tua hæc Deus, tua est
Gloria, favore Carolum æthereo sequi.

Nu-

Nuper molestos umbra mœrores diu
Animo ingerebat: Carole, ajebam, nihil
Tonante dignum cogitas? Regi parum est
Radiasse populo, vel cothurnato pede
Pressisse mundi regna, nisi studio pari
Causam Tonantis, & tuam causa urgeat.
Tunc nempè cœlum lachrymis, Numen prece
Invado. Nosti sensa & arcanos sinus,
Abditaque mentis unice ô mentis faber!
Tibi placere Carolus amavit, tuis
Parere semper jussibus. quod vis, jube:
En me obsequentem. Victa conatu pio
Micuêre tandem sidera: ardenti die
Radiatur animus: luce sub clarâ Aliger
Mœroris atrum mente proscribit chaos,
Sensumque melior nectare serenat liquor.
Tunc ille: bella Carole oblectant Deum,
Funesta Diti bella, queis cadant suis
Sacrilega basibus Numina, & surgant novi
Crucis triumphi. Dixit, & luci insidens
Iterum volatu præpete inscendit polos.
Et fluctuamus Principes? *Fer.* Nihil est, nihil
Quod obstinato pectus arrodat metu.
Arbastus. Cùm quid Tonantis agitur imperio, simul
Agitur Tonantis viribus. debet sua
Fulcire jussa gratiis, cum non queunt,
Tenta a nostris viribus, finem assequi.
Carolus. Stat ergo Marte petere, quas Erebi tenent
Simulacra terras? *Arbas.* Jussibus Regem decet

Pa-

Parere cœli. *Carol.* Pulchra, quæ ventis jocum
Vexilla faciunt, ponite; & genti novum,
In quam feremus bella, molimen date.
Nova labarorum pompa ludibrium levi
Zephyro erigatur. Supplice recurvus genu
Cruces verere miles. His olim ferox
Posuit superbum verticem Maxentius
Prostratus armis. Nemo sub signo crucis
Bellator unquam victus est: noster Deus
Tutator istis arma de signis vibrat.
Ite ergò, quà surgentibus cœlo jugis
Natura munit Saxonem, & quaquà datur
Pedi facultas, signa figantur Crucis.
Ut constet orbi, Carolum hac gradi viâ,
Qua signa fulgent Numinis, non quà Duces
Ambitio traxit, aut coronarum sitis,
Aut spes parandæ gloriæ, aut regnorum amor.
Idola, quaqueà graderis, in cinerem vora:
Ubi simulacra straveris, Crucem erige.

SCENA SECUNDA.

Clodoaldus piscatur: irruunt Piratæ, Clodoaldi filium cum navi captivum abducunt.

Clodoaldus Pater. Hildegardis. Clodoaldus filius. Araspus. Piscatores. Piratæ. Nautæ.

Cl. Pa Huc ubi frequenti piscium insidias gregi
Multiplice doctus casse piscator facit.
Succresce magno cara progenies Patri,
Succresce vitæ columen, & major mei
Fortuna voti; quamque fautores mihi

De-

Dedêre pacem Cœlites, tibi quoque
Post nostra donent fata. Non equidem reor
Hæc minima cœli dona, quod foris crepet
Bellona in armis; nostra tranquillas plaga
Pacis beatæ in otio dies agat.
Dic nata quando pelagus arridet magis?
An cum procellis fervet, & vastâ tumens
Assurgit unda, seque par monti levat,
Aut par profundis vallibus Thetis cadit?
An quando mollis terga componit quies,
Blandoque ludunt otio, & miscent jocos
Undæque Zephyriq;. *Hil.* Timeo, Genitor mare
Cûm fervet irâ, quando pacatum est, amo.
Aras. Et ego æstuosum metuo; cùm naves rapit,
Et huc & illuc jactat; at quando sedet
Undis quietum mentis affectum rapit.
Clo. Pa. Sic nata, sic est: vita fremebundũ mare est,
Et bella fluctus: blanda pax, vitæ quies.
Nos pace cœlum donat, externos quatit
Bellona Reges præliis. Felix suis
Quicunque terris pace perpetuâ valet.
Nau. Sed ecce Princeps, maria piscati legunt
Hac parte naves. *Clo. Pa.* Quanta captivam dedit
Se multitudo retibus? *Pisc. 1.* Votum supra.
Clod. Pat Appelle navem littori, hic ego gravem
Prædam tuebor piscium. vos interim
Ludite, secundos præda dum raptus parat.
Cantus. En ludit unda, mollibus
Aurillulis citata.
Brevis est voluptas æquoris;
Vix lusit; intumescit:

Vix

Vix dormiit, convolvitur;
Gravesque spumat iras,
Qua sede lætæ luserant,
Periêre sæpè naves
Fortuna mores æquoris
Sic æmulata sævit.
Serena sæpè lusitat,
Caperata mox ferocit.
Vix inchoat colludere,
Jocis minatur iram.
Arrisus ipse irrisus est;
Et fulgor ipse fulgur,
Brevis voluptas æquoris;
Brevior volupta sortis.

Pis.1. Auxilia ferte: gravior intumuit sinus,
O aereque rete lacerat. *Clo.Pa.* O quantus maris
Se populus arcto cassium gremio ingerit.
Tua ista Nate præda sit; & isthæc tua.
Hild. Nimium teneri lubricus manu excidit.
Clo.Pa. Sic sæpè quæ tenere censemus bona,
Elapsa manibus avolant. *Ar.* Quantum vide
Oris hic hiatum pandit, & morsum parat.
Clod.Pat. Quæ sæpè nimium petimus, hæc mordent quoque.
Pis.2. En quale monstrum! Capite taurillus, pede
Capella, pennis volucris est, caudâ canis.
Cl.Pa. Dimitte rete; video serpentem. *Pi.1.* Metũ
Remitte Princeps, nullus infestus maris
Est anguis undis. Iste quem Princeps vides
A corpore anguem, acus est.
Pisc.2. Hic in stellæ modum

Ra-

Radians coruſcam nocte diffundit facem.
Cl, Pa. Quæ navis illic carbaſa volanti explicat
Tumefacta vento? *Pi.* 1. Petimur ô Princeps, fugâ
Salus emenda eſt, æquoris prædo, maris
Pirata. *Cl. P* Nauta filium morti eripe
Sequace curſu. *Hild.* Mi Pater! manum Pater
Protende fratri. Rapitur heu frater! Pater
Succurre fratri. *Pir.* 1. Siſte, quo pinum trahis
Captiva præda? *Nau* Principis prolem fero.
Cave, violentas inferas navi manus.
Pir. 2. Plebeia capita, & Principes inter viros
Pirata non diſcernit In prædam ruit:
Sive illa civis, ſive ſit magni Ducis.
Quò pinguior eò gratio ; unem huc age.
Nau O ſi qua pietas pectori veſtro inſidet,
Hominemque corde geritis, affuſus precor
Pedibus, puello parcite: hoc vobis caput
Famulare poſthac ſerviet. *Pir.* 1 Remos cita,
Navemque adurge quà premo, jubeo ſequi.

SCENA TERTIA.

Clodoaldus raptum Filium luget.

Clodoaldus. Araſpus.

Clod. Ubi fida famuli turba? num ſolus feris
Miſeranda præda deferor? vivis meis
Araſpe rebus unicum votum? mari
Erepte vivis? tuque ſolamen Patri
Leo Labanti vivis? *Araſ.* Ah utinam ſuis
Me condidiſſet fluctibus avarum mare!
Clod. Ah vive Araſpe! vive: te ſuper mihi
Solamen unum fata concedunt: *Araſp.* Patris

Ah

Ah grande Patris lumen, atque amplæ domus
Spes una Princeps parvule, ah quantâ gemes
Catenâ onustus! *Cl.* Prædo progeniem meam
Abripuit ergo? *Arasp.* Rapuit.
Clod. Et nemo hoc nefas
Prohibere potuit? *Arasp.* Nemo.
Clod. Quâ raptam viâ
Duxere prædam? *Ar.* Media per maris freta.
Clo. Quid vivo larva Principis, & auras traho?
Concipite noctem lumina, & nullam amplius
Sperate lucem, quando lux rapta est mea.
Clodoalde magni sanguinis magnum decus,
Spes ampla! Princeps parvule, at magnæ capax
Clodoalde laudis! Nominis nostri unicus
Hæres & epitome gloriæ, quam vel suo
Emére Patres sanguine, vel atavi inclyti
Victoriosâ ab hoste retulerunt manu.
Ubi sunt cruentæ belluæ! finite; mare
Omne tabulabo ratibus, ut pestem eruam.
Pars celsa capita rupium ascensu preme,
Speculaque ab altâ libero totum mare
Percurre visu, fortè si cernas meum
Quâ parte Natum lina prædonum ferant.
Pars mihi Celoces instrue, & mecum ratem
Inscende rursus, capita Cerberea opprimam
Furiisque solvam filium, aut uno cadam
Cum prole letho: malo vel meâ manu
Mergere profundum acinacem in Nati latus,
Quàm servitutis ferre subjectum jugo.

SCENA QUARTA.

Piratis Clodoaldus Filius eripitur ab Opilionibus.

Sylvius. Amyntas. Montanus. Mirtillus. Thoas. Pirata 2. Nauta captivus.

Thoas. Ite hinc supinis collibus plausum date,
Et dum relicto Gangis aurato thoro
Matura surgit, seque meliorem dies
Crinem repexus libero cœlo ingerit,
Cornuque fistulisque nascenti bonam
Dicite salutem Cynthio. *Amynt.* Virides Deæ,
Sylvæ beatæ, frondium clari Patres,
Concilia veris, vestra non novus incola
Adoro regna, regna quæ Elysiis colo
Potiora campis: unde cùm cerno procul
Assurgere urbes, vestrà captivum magis
Jucunditas me vinculat. Habeat suas
Amœnitates illa, quæ cœlo imminet
Palatiorum machina; haud deest mihi
Fons purioris gaudii. Circa Duces
Fortuna fulmen intonat, parcit casæ
Mitior agresti. Parva se nunquam rotat.
In tecta turbo major: insontem jugis
Qui se dicavit montium, liber metu,
Carensque vitio, tutus insidiis agit.
Non hunc avara mentis incendit sitis,
Non aura populi tollit, aut dente involat
Edace livor, aut furens populi calor,
Humilem superba scelera non tangunt virum.
Felix Amyntas! Quamlibet nudus, tamen

Con-

Contentus idem es. Dives est, qui nil cupit,
Opulentus in se. *Mon.* Summa jam stringit juga
Dies renatus, incipe assuetâ novum
Canere salute Cynthium, cantus tuos
Fistula sequetur nostra non paribus modis.
Amint. Incipio: sequere. Tibiæ sonus tuæ
Mollior ad aures labitur. *Mr.* Sed ego fides
Expergefactas arte meliori instruam
Servire bibulis auribus. *Syl.* Fidibus tuis
Responsa nostræ mollia sonabunt fides.
Mont. Auribus uterque placuit: ast alter tamen
Tremente ductu, & simplice in chorda gravis:
Alter per omnes levior incedit modos.
Thoas Age tu sonorum spiritum tubæ insona,
Tu verna regna montium cornu increpa.
Mont. Gemella virtus Marte certavit pari,
Tu voce vocem provoca.
Cantus. O vita felix, scenicis
Fallaciis remota.
Somnus subintrat blandior
Agrestium mapale,
Fugitque turres Regias,
Et Regios Penates.
Amica pax, lene otium
Per rura nostra sparge,
Errant Erynnes urbibus,
Libidines, furorque;
Tyrannis. Orci filia,
Livor stygis propago.
O vita felix frondeo
Exacta sub pennate.

Mirt. Utrique vox est elegans, vocis melos
Æquale utrique. *Thoas* Nimia jam teritur dies
Ludis jocisque: quando palantis gregis
Lacesset animos cura? Montane e [illegible] ica
Qua grandiore mons supercilio tumet.
Mirtille montis alterum latus tene;
Tu terga Amynta, parte ne forsan aliquâ
Grex evagatus præda rapiatur lupis.
Mo. Thoa. *Th* Quid oculos terret? *Mo.* Errantem viden
Pelago carinam? *Thoas* Video Piratas, freto
Inimica vasto nomina, undarum metus.
Huc saxa Amynta, saxa Mirtille huc age.
Silete, dum se propior ad littus ferat
Carina. *Pir.* 1 Certè facilis est hodie Dea
Fortuna, quæ nos divite hàc prædâ beat.
Amyn. Prædas loquuntur. *Thoas.* Abstine loqui.
Pir.2. An putas
Non ista præda mille se volet Patri
Aureis reponi? *Pir.1.* Forsitan & ipsa est ratis
Jam mille dives aureis. Hic ubi cavo
Excesa rupes angulo pandit specum
Examinanda præda. Jam tuto in loco
Post tanta pelagi spatia versamur. *Pir.2.* Manu
Celerate remos: applica hic navim. Puer
Exscende pinu. *Nau.* Nobiles jugi incolæ!
O si qua pietas. *Thoas* Prodimur.
Pirat.1. Quem tu vocas?
Nau. O si qua Pietas nobiles jugi incolæ!
Pir.2. Quisquamne lustra montiū obsessor tenet?
Thoas. Unà irruamus: hora celerare admonet.
Scelerata capita. *Pir.1.* Fugite, *Pir.2*

Pir 2. Remorum pari
..uctâ fugate Nereum. *Nau.* O viri manus
..endite patronas Principis Nato. Miser
..n servitutem rapitur. *Mon.* En cultrum, ocyus
..ræscinde funem. *Nau.* Date, date ô viri manus.
..*hoas.* Incumbe saxis. Turpe Neptuni probrum,
..t turpe terræ dedecus. *Pir.* 1. Latro montium.
..*Mont.* Damnata proles Tartari.
..*irat.* 1 Spumæ stygis.
..*Mont.* Aquis dicanda victima.
..*ir.* 1. Dicanda ignibus
..Hostia. *Mont.* Trisulcæ pabulum flammæ.
Pirat 1. Sacrum
Orci favillis pabulum. *Mont.* Quondam tuum
Pendere cernam quercinâ è trabe caput.
Pir. 1. Caput ego quondam quercino exuri rogo
Tuum videbo. *Mont.* Siste, si placet, dabo
Te devorandam fluctibus prædam maris.
Thoas. Cessère nostro turba latronum freto.
Nunc admovete dexteras navi. *Nau.* O viri
Meæ salutis auspices! *Mont.* Restim cape.
Nau. Superi favetis! barbarum ô Princeps, jugũ
Et servitutis sordidæ excussum est genus:
Rédiisse ab Orco credo te, & cœli frui
Recentiore gratiâ. *Thoas* Quonam Patre?
Quâ stirpe genitus? quævè Piratis dedit
Hanc causa prædam? *Nau.* Pa..is ali. Patris dolor
P..ellus ille est. Principem cives vocant.
Mon.. Et forma certè, & indoles talem probat.
N.. Orbus parente Natus hunc patrem colet,
Cujus favore spiritum & vitam trahet.

Thoas. Quiſcunque ſis ò Puſio, certè inclytâ
Es gente natus: Regius vultu decor,
Oculis venuſtas, plebe quid majus notat
Sed ecce tenuis ſportula: quid iſtâ gerit?
Nau. Neſcio; parentis munus hanc tamen ſcio.
Miri. Inſigne ſtirpis annulus gemmâ refert.
Thoas Utinam, tenelle Puſio, liceret Patri
Te reddidiſſe: quando crudelis tamen
Fortuna vertit aleam, & magno fremit
Injurioſa pondere, aſſueſce his malis,
Et diſce, Patris gloriam rarò ſimul
Cum ſanguine ire in filios. Sæpè ubi patri
Felicitatis Zephyrus arriſit; Notus
Tempeſtuoſo turbine in Natos furit.
Hac ego reviſo tecta; vos curas gregi
Vigiles probate, donec inclinat dies.

SCENA QUINTA.

Hildegardis amiſſo fratri luctum facit.

Hildegardis. Lylla pediſequa.

Pediſeq. Quò Domina mœſtum flectis in ſylvas gradum?
Hild. Liberior illic ſcena mœrori patet.
O frondeorum viride concilium Patrum,
Minusque vulgus arborum! O placidi Deæ
Veris ſorores! vosque quæ faſtu arduo
Superbientem verticem infertis polo
Amica ſaxa, voſnè Clodoaldi mei
Conſcia? vel antro tegitis abſtruſum cavo,
Vel dura Mauſolæa conjecto ſuper
Pondere tenetis? dicite ò cavi ſpecus,

Dici-

Dicite virentis præsides loci Deæ,
Fratrem requiro perditum. raptum ferunt
Per uda pelagi regna: vos quæ altis Deæ
Speculam tenetis montibus, quosnam in maris
Ira innocentem flexerit fratrem sinus,
Forsan notâstis: dicite. O luctus gravis!
Nec frater usquam est, umbra nec fratris micat!
O mundi ocelle Cynthie! O cœli aurea
Lampas! serenum cujus aspectum nihil
Fugisse potuit, tu mei fratris necem
Vidisse poteras: nocte si forsan tamen
Indormiisses, pendulii cœlo chori,
Vigilesque flammæ siderum, vestrum mei
Crudele fratris funus in vultum incidit.
Dicite superstes funus inhumatum soror
Quâ parte quærat. Irritas voces damus
Ludibria ventis. Invida ò nimium, & ferox
Natura! cur me fœminam imbellem facis,
Negasque vires, ut per iratum mare
Ultura fratrem devehar? truces Dii,
Jam non Dii, quos tanta non tangunt mala.
Fratrem: ò dolor! Fratrem: sine ô dolor! mihi
Fratrem scelesta Numina ereptum neci
Dedere. Poterant tela latronum Dii
Arcere? qui non impedit, quando potest,
Scelus ipse patrat. Hoc Dii vestrum est scelus.
Ped. Parcior in astra voce blasphemâ invola.
Hild. Meruêre nempè. *Pe* Sorte quâ speras minus
Fratrem reponent sidera. *Hild.* Ut fures solent.
Ped. Et sæpè fures rapta retulerunt bona.
Hild, Absumpta nunquam.

Ped. Melior in fratrem poli
Eſt cura. *Hild* Nempe cœſi ut & pereat cinis.
Adhuc benignos dixero hoc uno Deos,
Si fratris addat funeri funus ſoror.
Nam quid ſuperſtes vivo? ſi fratrem neci
Impia dediſtis ſidera, ſororem date.
O Lylla ſubjice dexteram, ſine ut ruam
Graviore caſu, gravior ut caſus viam
Per vulnus animæ pandat. *Ped.* In funus cadis
O Hildegardis! balſamo vitam fove.
Hild Fomenta vitæ ſemove: mori libet,
Mori eſt voluptas: Aſtra mihi mortem date.
Hic in propinquo. Veſta perpetuos alit
Ignes ad aras. Iſta funereo mihi
Ardebit igne tæda; tu leſſum accine.
Ped.ſ. O Hildegardis! ô Charis!
O prima Gratiarum!
Flos ſæculi! Sol patriæ!
Pretioſa gemma mundi!
Vive Hildegardis. *Hild* Quid mihi
Illudis? Iſta mitte.
Mori voluptas unica eſt.
Mori vove Hildegardem.
Pediſ. Heu! interempta funere
Labaſcit Hildegardis!
Flos Hildegardis ſæculi
Defloret heu repente!
Sol Hildegardis patriæ
Extinguitur repentè!
Viva Hildegardis gemmula
Deperditur repentè!

Pri-

Prima Hildegardis gratia
Expallluit repente!

SCENA SEXTA.

Hildegardis cum Araspo à Sacerdotibus Irminsul capitur, & templo sistitur Vestalis inauguranda.

Araspus. Hildegardis. Sacerdotes.

Ar. Generosa soboles Principis, Magnæ domus
Spes Hildegardis, corda quis mœror coquit?
Quis in recessus mentis irrupit dolor?
Hild. O morte peior vita! quid memet iterum
Araspe soli reddis? extremis labris
Jam sese agebat anima, tu rursum intimum
In cor repellis. *Aras.* Causa quæ tanto imperat
Mœrore sterni! *Hild* Fratris amissi status
Mortem imperavit. *Aras* Fratris amissi statum
Tuo dolore posse reparari putas?
Hild. Nullo dolore. *Aras* Si nequit vitæ dare,
Quid ipsa mortem lachrymâ invadis tuam?
Hild Mori voluptas unica, & votum mihi est.
Arasp. Inhonesta mors est, quando fœmineus dolor
Extrudit animam, *Hld.* Honesta quando amor rapit.
Arasp. Nisi ratio amorem frænet, in peius ruit.
Hild Quæcunq; peccet, semper est insons amor.
Arasp. Ut innocens Amor esse, sic amens solet.
Hild Quod ratio poscit, sequitur, ac celerat amor.
Arasp. Quod ratio poscit, non videt furens amor.

Ped. Melior in fratrem poli
Est cura. *Hild* Nempe cœsi ut & pereat cinis.
Adhuc benignos dixero hoc uno Deos,
Si fratris addat funeri funus soror.
Nam quid superstes vivo? si fratrem neci
Impia dedistis sidera, sororem date.
O Lylla subjice dexteram, sine ut ruam
Graviore casu, gravior ut casus viam
Per vulnus animæ pandat. *Ped.* In funus cadis
O Hildegardis! balsamo vitam fove.
Hild Fomenta vitæ semove: mori libet,
Mori est voluptas: Astra mihi mortem date.
Hic in propinquo. Vestà perpetuos alit
Ignes ad aras. Ista funereo mihi
Ardebit igne tæda; tu lessum accine.
Pedis. O Hildegardis! ô Charis!
O prima Gratiarum!
Flos sæculi! Sol patriæ!
Pretiosa gemma mundi!
Vive Hildegardis. *Hild.* Quid mihi
Illudis? Ista mitte.
Mori voluptas unica est.
Mori vove Hildegardem.
Pedis. Heu! interempta funere
Labascit Hildegardis!
Flos Hildegardis sæculi
Defloret heu repente!
Sol Hildegardis patriæ
Extinguitur repentè!
Viva Hildegardis gemmula
Deperditur repentè!

Pri-

Prima Hildegardis gratia
Expalluit repente!

SCENA SEXTA.

Hildegardis cum Araspo à Sacerdotibus Irmensul capitur, & templo sistitur Vestalis inauguranda.

Araspus. Hildegardis. Sacerdotes.

Ar. Generosa soboles Principis, Magnæ domus
Spes Hildegardis, corda quis mœror coquit?
Quis in recessus mentis irrupit dolor?
Hild. O morte peior vita! quid memet iterum
Araspe soli reddis? extremis labris
Jam fuse agebat anima, tu rursum intimum
In cor repellis. *Aras.* Causa quæ tanto imperat
Mœrore sterni! *Hild* Fratris amissi status
Mortem imperavit. *Aras.* Fratris amissi statum
Tuo dolore posse reparari putas?
Hild. Nullo dolore. *Aras.* Si nequit vitæ dare,
Quid ipsa mortem lachrymâ invadis tuam?
Hild Mori voluptas unica, & votum mihi est.
Arasp. Inhonesta mors est, quando fœmineus dolor
Extrudit animam, *Hild.* Honesta quando amor rapit.
Arasp. Ni ratio amorem frænet, in peius ruit.
Hild Quæcunq; peccet, semper est insons amor.
Arasp. Ut innocens Amor esse, sic amens solet.
Hild Quod ratio poscit, sequitur, ac celerat amor.
Arasp. Quod ratio poscit, non videt furens amor.

Hild. Non videat, at non fallitur, cui Dux amor.
Arasp. Peiora semper eligit, quisquis Ducem
Sequitur amorem. Corda meliore indue
Rationis igne. Ferre remedium malis
Cùm non valemus; ipsa tunc decet mala
Tolerare forti spiritu. Frustra velis
Laniare temet, quando laniatu tuo
Damnis paratum ferre medicamen nequis,
Quæ fata destinaverint, tolera, feræ
Necessitatis, vis ineluctabilis:
Inflicta fers rebellis? accersis nova.
Assurge, patrias fortior in ædes redi.
Sac. 1. Irminsul Ingens Numinum decus! tuis
Lunamus aris poplitem. *Sac.* 2. Tuas foco
Veremur aras. *Sac.* 1. Sic fave Irminsul diu,
Ut nos precamur. *Sac.* 3 Sic fave Irminsul diu,
Ut innocente Vesta condicit face.
Sac. 1. Quid hoc? remittit ignis, & solito minor
Vix sese acerâ debili nutrit calor.
Sac. 1. Instare precibus.
Omnes Sac. Magne cœlorum Pater
Irminsul. *Sac.* 2. Orbis rector Irminsul. *Sac.* 1. Fove,
Quas tibi perenni luce nutrimus faces.
Sac. 4 Defecit ignis totus in fumum levem.
Sab 1. Sacra impiantur. Fortè spectator fores
Observat. Ite, quærite. *Sac.* 2 En geminus adest
Spectator aræ foribus. *Sac.* 1. Hanc Vestæ date
Sacris dicandam Virginem, hunc vinclis date
Arasp. Euge Hildegardis.
Sac. 2 Siste: da vinctas manus
Sacri impiatrix. *Ar.* Siste: ne innocuas manus
Cæ-

Cædis patrator tange, non est, quam tenes,
Oriunda vulgo virgo, sed magni Patris
Princeps propago. *Sac.2* Sive sit vulgo sata,
Sive Patre nata Principe, Irminsul Deo
Dicanda Virgo est. *Arasp.* Vertice obtento scelus
Istud vetabo. *Sac.1.* In vincla conjectus potes
Equidem minari, lædere haud potes tamen.
Vanum est minari, dextra cùm vires negat.
Succede templo Nympha, cùm Phœbus diem
Crastinus ab ortu revehet, Erasipolin iter
Suscipere jubeo. *Hil.* Misera, genitoris tui
Dolor Hildegardis! tertius Patris dolor
Infauste Araspe! *Sac.1.* Propius accessu Deam
Venerare Vestæ Virgines inter dies
Assuesce posthac ducere: Irminsul jubet.
Dum dedicatur Virgo tu fanis vigil.
Assiste foribus, ne quis irrumpat furor.

SCENA SEPTIMA.

Clodoaldus Iunior, qui nunc Ischyrion dicitur, è rupe lapsus, per Angelum erigitur: ex quo subobscurè intelligit se olim Patri reddendum.

Ischyrion. Angelus.

Isch Parente genitus Principe, ut crebro Thoas
Sermone firmat, inter infaustas oves
Abjectus hæres rusticos dies ago.
Quis scit benignam fortè si rursum aleam
Fortuna jaciat; meque de vili casâ
Revocet ad urbes? Nemo tam levi sedet
Abjectus alga, cujus in frontem ardua

Venire galea nequeat, aut fictam ardea
Alam explicare. Tollere haud minùs Dii,
Quàm premere poſſunt. Nemo ſpem ponat, licet
Spumet ſeverus ira Fortunæ minas.
Difficilè qui nunc montium ſcando jugum,
Si patria me Fortuna reſpiciat, Patris
Calcabo ſolium: quique nunc oves ſequor,
Olim obſequenti jura regioni dabo.
Iſchyrio quamvis dicor, at nunquam tamen
Ponam paternum ſanguinem. At quò me capræ
Oveſque trahitis? Siſtite. ah miſer! miſer
Iſchyrio! ſi me Cœlitum quiſquam videt,
Pius huc Patronam dexteram extendat. Ruo
Relicta morti victima. Ah! miſerum Dii
Erigite caſu, ſcilicet veſtras reus
Iſchyrio ad aras victimam pinguem dabo.
Ang. Quamvis idola mentis in ſinu geras,
Tamen unus ille ſiderum Rector Deus
Tuos in animos jam ſibi ſternit viam.
Sum de ſupremis Aliger miſſus plagis
Tuo dolori. *Iſ.* Cœlitem an video? an mei
Ludantur oculi? video: Patronam mihi,
O quiſquis es, protende ſubſidio manum.
Ang. Protendo. *Iſ.* Vivo. libero rurſum pede
Inſiſto terræ. Quas tibi grates feram
O quiſquis es, cui majus humano decus
Irradiat ora. *Ang.* Solus in grates venis
Hodie, ſed olim ſocius in grates Parens,
Frater, ſororque veniet, ubi magno genu
Flectes Tonanti, cujus arbitrio mare
Tellusque & aer paret, & cœli plagæ,

Iſc.

Isc. Quid hoc? recessit umbra, vel Deus fuit,
Mentitus hominem? Nimium quisquis fuit
Ignotus; ille patriam, fratrem, patrem,
Gentemque novit. Insequar quo te cavo?
Quo condis antro? quove te tegis specu?

SCENA OCTAVA.

Clodoaldi Parentis de utraque prole amissâ luctus.

Clod. Cui me dolorum mole jam fessum Dii,
Gravibusque fractum rebus infaustum Patrem
Servatis iræ? Causa vivendi mihi
Jam nulla superest, prole viduato Patri,
Multa moriendi. Nempè in ærumnis piget
Vivere, secundus quando se primo ingerit
Dolor dolori. Corporis lento expedi
Me vita nexu, ut per te resistentes fibras
Emissus animus quærat umbrarum loca.
Tædet morarum, bina cum miserum Patrem
Proles reliquit rapta. Cupientem mori
Eritne qui me compede hac solvat dies?
Mori volentis unus Hiacynthus, super
Relicta proles parvula, absumis preces:
Unus Hiacynthe spontè fugientem sinu
Animam coërces, jamque luctantem labris
Vitam retardas. Vivat, at mœstus Parens
Vivat Hiacyntho, non sibi. Hæc meis seges
Jam tota curis, unus Hiacynthus Dii
Jacturam in unâ prole, compensant trium
Hâc Pater onustus sarcinâ & sedem & plagam

 Mu-

Mutare cogor. Fortè Saxonica dabit
Regio nepotes, vel ſuam prolem patri.

CHORVS.

Naufragium Saxoniæ Genio Caroli Magni repræſentatur.

Pars Prima.

Idololatria mare turbat.

Idol. Placati rabies heu nimium diu
Neptuni jacuit! ſurgite Circij,
Immites Boreæ mixti Aquilonibus,
Et quotquot tenuit monte ſub abdito
Ventos Hippotades: ite per horridos
Inſultus pelagi: tuque rebellium
Undarum domitor, libera fluctibus
Laxa fræna: ruant in fera prælia
Hinc venti, hinc pelagus; ſeque tyrannicâ
Rixâ conficiant. Audior! obſequens
Hinc turba Hippotadæ ſe violentior
Infert; hinc tumidis ſe mare fluctibus
In montes glomerat. Quidquid inambulat
Campos Oceani, deſtino funeri.

Pars Secunda.

Naufragium Saxoniæ.

Saxonia.

Heu ponti levitas! ante faventibus
Currebam Zephyris, ſeque volantibus
Linis nobilior turba Favonij
Miſcebat; faciles obſequio dabat
Undas Oceanus, tergora Nereus

Cri-

Crispabat fluidiâ ad placitum jocis :
Nunc unda implacido vapulat impete
Jurgantis Boreæ, sæque furoribus
Implacata Tethis tristibus asperat.
O sortis nimium heu, instabilis favor!
Vix vultu radiat, nubila contrahit :
Vix vivit, moritur; vix micat, interit.
Hêu sævi lacerans imperium maris!
Hinc navim tragicus verberat Africus,
Hinc Auster decimis fluctibus imperat,
A tergo Notus, à fronte latratibus
Se Scylla Euganeis asperat. Heu Noti
Incumbens rabies carbasa deripit:
Malus diruitur, prora retunditur,
Puppis concutitur, dextera pars hiat,
Pars læva atteritur. Mergimur. ô Dij!
Qui cœlum regitis, fluctibus erutam
Rursus Saxoniam sistite littori.
Sors nostra arbitrio Numinis ambulat:
Felix cùm jubet, & cùm jubet, aspera.
O si quæ est pietas Numina, prosperam
Sortem Saxoniæ reddite Numina.

Pars Tertia.

Zelus fidei Orthodoxæ Caroli Genio naufragium ostendit.

Zelus.

Non segnes animos, non ego desides
Ingessi stimulos, Carole, pectori.
Qui cœlo tepidis militat ignibus,
In cœlum reus est, Exere Carole

Vir-

Virtutis specimen, quando periculis
Jactatur pelagi Saxoniæ ratis.
Gratum est auxilium, quod venit indigo.
Tu velum Fidei, tuque Spei anchoram
Bellis insinuas; signaque, quæ joco
Colludunt Zephyris, sunt nova carbasa;
Elatæque cruces anchora sunt rati.
Hæc si naufragio carbasa suggeris,
Hanc si depositæ porrigis anchoram,
Vitæ restituis. Non benè navigat
Hoc vitæ pelagus, qui simulat fidem.
In magnis animis excitat igneos
Affectus pietas. Si miserabile
Cernis naufragium, corrige fluctuum
Cæsar dissidium; nam famularibus
Undis Oceanus te colit. Exere
Patronam miseræ Carole dexteram.

ACTVS II.

SCENA PRIMA.

Vitigindus Saxonum Dux suam in Regionem irruvisse Carolum Magnum intelligit: occurrere parat. Ipse explorator futurus vestem mutat.

Vitigindus. Adrastus. Placidus. Olethrius. Theonas.

Vitig. ITanè probrosam trahimus implexi morã,
Dum vectus in nos Carolus Martis face
Inu-

Inusitatas cladium premit vias?
Dum Martialis Galliæ ardentis calor
Involvit arva Saxonum, & fuso obrutos
Inundat agros sanguine accensus chalybs?
Jam fata nostros ultima in jugulos volant,
Dum mota basibus Numina in cinerem ruunt,
Magnâque late strage tumulantur Dii,
Novisque vetera sacra mutantur sacris:
Et adhuc jacemus? damna cumulantur morâ,
Et in supremam, tenue quantumvis malum,
Imperia sæpè maxima ruinam trahit.
Quando minatur morbus, antidotum cape,
Medicina sera est debilis. Capiti ingruens
Bene antevertis, pessime expectas malum.
Quis fragor ad aures labitur? an æris canor
Hic fata nostra portat, & populi ultimam
Stragem perempti. Sæpè præsagit mala
Inopinus horror. *Adr* Proximum Divis caput,
Verende Princeps, Glacidus affatu Ducem
Colere poposcit. *Vitig.* Adsit. Hic certè meis
Cladem timendam nuncius rebus gerit:
Adestnè Magnus? hostis affinis trahit
In nos ruinam? *Glac.* Magna Populorum salus,
Spes una Princeps Saxonum, venit heu! venit:
Et jam propinquum vallis umbrosæ nemus
Inundat ære miles *Vitig* At quanto tumet
Lerna hæc veneno?
Glac·dus Fronde sub quavis propè
Miles resedit, *Vit.* Adde, quæ virtus viris?
Gla Victo iosis esse, quæ solet. *Vit.* Metus
Narras inanes *Gla.* Visa narravi. *Vitig.* Viri,

Ani-

Animosnè vestros nuncius metu quatit?
An in facinora heroica antiquos citat
Mentis calores? Si viro vir est suus,
Manusque suppar pectori, veterem involá
Generose laudem miles. Hic tuis nova
Sternitur arena laudibus, gesta hactenus
Jocus vocentur bella; dum recens dies
Hic tibi perennes pandit ad laudes viam.
Aggredere bella paria virtuti tuæ,
Dijsque paria. Non Duci tantùm tuo,
Focisque, vel Penatibus, vel liberis,
Uxoribus, vel patriæ pugnas: Dijs
Bella hæc geruntur: ille qui nostræ imminet
Prædator oræ Carolus, Deos suo,
Ausu Gigantum, ejicere molitur polo.
Devota Superis pectora hic miles proba.
Oleth Sanctè profusus sanguis in ferrum fluit;
Quando Tyrannus victima Inferno datur.
Theo. Vivere probrosum est, quando præclarum est mori.
Ol. Mori decorum est, quando per nostram Deos
Mortem tuemur. *Theo.* Vota si probant Dij;
Vincemus unà, quisque vel stando occidet,
Formidolosum militem oderunt poli.
Virig. Agnosco Martes, corda non timida mori,
Et æstuantûm mentium arridet calor.
Artem sed esse Martis hanc primam puto,
Sapiente regere bella consilio magis,
Quàm vi, vel armis: alteram, hostiles quoque
Penetrare fraudes. Fulciunt memet Ducum
Consilia fida; restat hoc unum super,

Con-

Consilia, & altos hostium explorem ut dolos,
Aggredior ipse: quisquis es fidus Duci,
Injice calorem militi, & vivum excita
Ad bella Martem, quà suam legio explicat
Hostilis aciem, veste mentita probè
Velatus ibo. *Theo.* Parce consilio precor,
O una Princeps rebus extremis salus.
Nunquam teguntur Principes satis: emicat
Virtus ab ore semper, & retegit dolos.
Vit. Date mî lacernam. Tollite has notas manu:
Vertice superbas volucris exuvias, pede
Gravem cothurnum: cadat ex humeris chlamys,
Vestisque honora pectora. In caput levis
Succedat umbra pilei, & soccus pedem
Alleviet. aspra corpus in reliquum fluat
Lacerna, & humeros pondus insumat: manus
Famulante fessos fulciat virgâ gradus. (vem
Oleth. Majora tentas Principe. ô Princeps! le-
De grege decebat militem hoc munus. *Vit.* Sile,
Non umbra certè Principes sumus: decet
Et nos subire gravia. Succrescit vigor,
Animusque major militi; quando Ducis
Exempla spectat. Ibimus, quà se levat
Tumore culmen arduo, tum quà jaceat
Vallis profundo nemore, & effulum sui
Per castra Franci militem invectam dolis.
Oeth. Periclitatum Principis caput tegat
Miles propinquus. Quando tu vallis sinum
Intras profundæ, militis parte editos
Tenebo montes: alteram partem interim
Exercitatam fronde sub viridi dabit

Aptam

Aptam Theonas præliis placet? *Vit.* placet.
In destinatas quisque virtutes abi.

SCENA SECUNDA.

Venatur Clodoaldus: aprum sub statuâ Irminsul conficit: percutitur cæ state: vovet, quidquid de domo sua primùm occurrerit, immolaturum.

Clodoaldus, Sandrianus. Venatores, Idolum.

Clod. Sonuit amica buccina, & lætus fibras
Movit boatus. Fallere vagantes feras
Animi est voluptas. Tota per sylvas fremit
Excita juventus urbibus. Rursum altero
Sonore bellum buccina indicat feris.
Sand Hic concitatâ volitat in cursum fugâ
Lepus. *Clod.* Minores gentium mitto feras.
Tuba graviores tertia è lustris feras
In aperta nemoris evocet.
Sandr. Cervus pedem
Præcipite adurget impetu. En cornu rubis
Captivus hæret. *Clod* Pectori ferrum imprime.
Sandr Habet Canali manat ingenti cruor,
Terramque inundat Propius huc feram date
Duci videndam *Clo* Tenuis hæc præda est nimis.
Rursus jacentes increpet cornu feras.
Sand. Vastus stupentes buccinæ ad sonos aper
Arrexit aures, seque in ancipiti rotat
Et huc, & illuc *Clod* Sistite: hæc Ducem decet
Præda. *Ven* 1 Avolavit.
Ven. 2. En sub Irminsul fugâ

Sese

Sese recepit. *Sand.* Abstine, ô Princeps, precor,
Delubra Divûm tangere haud stabit levi
Temerare Numen *Clod.* Fabulas viro canis.
Si præda in ipso Numinis staret sinu,
Hanc provocaret dexteram. *Sand.* Cave ô pre-
Maculare Numen sanguine. (cor,
Clod Hoc habet. Sed heu!
Extinctus oculis omnis abscessit dies.
An nox repentè lucidum involvit nemus?
Hic si quis es, da, quisquis es, Duci manum.
Sand. Incumbe Princeps: lucidam ad Phœbi facem
Converte vultus. *Clod.* Quid juvat Phœbum meos
Spectare luctus, astra si Phœbi vetor
Trabeato in igne cernere? *Sand.* O Princeps, Dij
Coli requirunt: ista metuebam tibi,
Quando temerari sanguine monebam Deum:
Scelus orbitate Numen offensum expiat.
Clod. Date ergo propius Numen accessu colam.
Ido. Cedite, vel noctem geminabit Numinis ira.
Pura manus delubra decet, scelerata recede.
Clod. Affusus aris Numinis magni tuam
Clodoaldus iram deprecor, si quid petis
Placande nobis Maxime Irminsul, dabo.
Idol. Non prius extingues offensi Numinis iram,
Quàm pia delubris accedat victima læsis.
Cod. Audio verendum Numen: hoc unum pudet,
Tibi dicatas sanguine effuso bases
Temerâsse. Sed si venia post scelus super
Est aliqua; voveo, quidquid è nostro lare

Pri,

Primum obviabit, victimam tuas dare
Cædendum ad aras: Parce fulminibus gravem
Armare dextram: sit satis Numen, satis
Mersisse tenebris lumina, & cæcâ Ducem
Damnâsse nocte. Quamlibet parsit Deos
Vindice piare fulmine reorum scelus,
At esse mite Numen & pium decet.

Ido. Vive super, sed casse oculis, Clodoalde nec atram
Ulla dies noctem retegat. Quod nostra scelesto
Dextra minabatur fulmen. Clementia frænat.

Clo. O mitis, etiam scelera dum plectis, Deus!
Visu carentis aliquis incessum regat.

Sand O dura fata! gemina progenies Duci
Amissa nuper, vel neci miseræ data,
Nunc ipse Princeps lumine orbatus gemit.

Clo. Reponite Ducem laribus. Exemplo meo
Hoc discat orbis ultimum: nunquam Deûm
Violare honores: Principes pariter viri,
Pariterque vulgus perditur læsis Deis.

SCENA TERTIA.

Ischyrion, sive Clodoaldus Iunior à Thoa Opilione cum Faustino ejusdem Filio discessurus valedicit.

Ischyrion. Faustinus. Thoas.

Isch Faustine, nunquid arbores homines sumus,
Ut quisque duret fixus æternâ morâ,
Quâ sede crevit? Astra volvuntur, mare

Cur-

Currit, recurrit: Ætheris partem sinu
Combibimus. Ergo lenta quæ fixos mora
Domi coërcet? exterum solum juvat,
Moresque cernere exteros. Ac me quidem
Delectat error, fortè dum varios soli
Tractus pererro, patrium inveniam sinum.
Faust. Et me paterna rura delectent licet,
Interque frondes ducta sine curis dies;
Tamen medullas, nescio quis, agitat amor
Extera videndi. Sæpè sed solet tamen
Mors obviare; cùm peregrini soli
Bibuntur auræ. *Isc*. Timide in externâ paves
Regione mortem? scilicet vitæ domi
Donatus arrhâ. Fortè mortalis foris
Domique es immortalis? imprudens times.
Mors & sub illo sole te potest sua
In jura trahere. Nullus est morti locus,
Et nulla regio impervia: serenus diem
Quocunque Phœbus devehit, scenam videt
Morti paratam: libera per omnes soli
Grassatur oras, seque postremam citat
Rhadamanti ad urnam, sive pulvinar graves
Domi paternum, sive te foris agat
Amœnitatis regio per Charitum vias,
Rosisque sparsum tramitem. *Faust*. Alienum soli
Plerumque & alios ingerit mores. *Isch*. Apis
Sic evagata longius, suum refert
In alveare mella. *Faust*. Peregrinos parum
Callere mores proderit; tandem redux
Si patria jura nescias. *Isch*. Bardum caput,

Si dum ſecundus balteum Titan obit,
Didiciſſe mores exteros poſſim, meos
Revocare nequeam, *Fau.* Si domi fons eſt tuæ,
Rogare rivos pigeat externos aquam
Avis paterno tutior nido latet.
Iſ. Volare ſed non diſcet, *Fau.* Implumis nequit,
Iſch. Implumis eſſe deſinit, ſi cui vigor
Accendit ignes pectore. *Fauſt* Implumem facit
Defectus æris *Iſ h* Supplet at mentis calor.
Fauſt. Domi probatus. Sapere diſcendum eſt
domi.
Iſch Quicunque ad ollas vertitur, raro benè
Subolet: paterno deſidet quiſquis lare,
Vix ſapere diſcit. Perbrevis ſcena eſt domi,
Alibi theatrum laxius. nihil videt,
Quem blanda gremio mater incluſum fovet.
Ac ſæpè nimium credulus falſis fidem
Adhibet. Eamus: ſtimulat internas calor
Inuſitatus pectoris fibras. *Fauſt.* Sine
Suprema patri verba, ſupremum vale
Renunciare. *Iſch.* Commodo en votus gradu
Se genitor infert. *Fauſt.* Mi Pater.
Thoas. Vultûs color,
Mellita verba, geſtus arridens, novi
Fauſtine ſignant aliquid. *Fauſt.* O veniam Pater
Da mihi vovendi: pauca, vel nulla hactenus
Petijſſe noſti genitor, ut peterem ſemel
Quidquid petendum. *Thoas.* Grande quid ſinu
geri
Præfationis iſte circuitus docet.
Fauſt. Quod voveo: grande eſt.

Thoas.

Thoas. Dummodo prosit tibi,
Tuisque, Juvenes sæpè quod nocet, petunt.
Faust Non obfutura postulo.
Thoas. Pete, quod petis;
Crede impetrâsse. *Thoas.* Nostra fortuna hoc
vetat.
Non sumus honori stemmatis pulli, quibus
Vel sors opimis divites gazis Phrygum
Arcas flagellet, vel superfuso pluant
Imbres Hydaspe. *Faust.* Nostra fortuna hoc ju-
bet,
Quando tributum tenue, vel census levis
Curta & supellex est domi, licet foris
Virtute parere gloriam. *Tho.* Magnos geris
Faustine sensus, quique non humiles Thoæ
Sapiunt penates. *Isch* Fors placet superis Thoæ
Humilem levare gloriâ Nati casam.
Multos agrestis protulit casa, quos fovet
Dives lacunar, gemmeæ trabes, dies
Per ampla tecta gemmeâ excurrens face.
Thoas. Convellis animum; quodque mens fuerat
meo
Negare nato, fervidâ extorques prece.
Ibis secundo Patre, quà magni ferent
Animi calores: Ibis Ischyrio comes.
Dicam, quod esse suspicor, magni Patris
Non parva soboles; stirpis ignotâ licet,
Tamen superbâ Natus Ischyrio, meo
Dominare nato: fortis hoc tuæ jubet;
Nostræque sortis ratio: te Dominum facit
Natura, jusque sanguinis: sed nos jubet

Servire *Isch* Cum quâ stirpe,quo genitus patre
Sim, scire nondum licuit, imprudens heri
Jus arrogabo. Satius est comites duos
Nos ire. Si me sanguinis honestat dies,
Virtutis æquat luce Faustinus mei
Splendoris ignes. *Faust* Parcius laudes fere.
Tho. Unum est quod olim forte profuerit,tuum
Ut stemma noscas. Gemma,qua m vides, tuo
Collo pependit, quando Piratis puer
Parvulus ademptus, præda venisti Thoæ.
Fortassis ista patriam, & patrem dabit.
Abire faustos Cœlites Thoas vovet.
Isch Thoæ secunda sidera Ischy ion vovet,
Gratésque tantis gratijs refert: memor
Olim futurus; astra si meam mihi
Stirpem revelent. *Faust.* Astra Faustinus vovet
Thoæ secunda. *Tho* Quà citat mentis calor,
Prosequere sortem. Si Dij eventu probent
Animi favillas, vile Faustinus Thoæ
Genus exuisti Principem indutus virum.

SCENA QUARTA.

Occurrit Hyacinthus Filius Parenti Clodoaldo de venatione reduci. Voti reus Pater Filium immolandum decernit.

Hiacynthus. Clodoaldus. Sandrianus.

Hiac. Quid hoc? revecta pompa venatûs tacet,
Mœstusque loquitur omnium è vultu dolor?
An præda lusit aufuga sequentùm gradus?

An

An quod sinistræ turbo fortunæ malum
Patri paravit? *Sand.* Cede, ne Patrem novo
Dolore nate saucies *Hiac.* Nam quid Patri?
Sand Nihil est, recede, *H ac.* Mi Pater,
Sand. Tace *Hiac.* Pater!
Cl. Quæ vox ad aures appulit? *H.* Pater! Pater!
Clod. O vox! medullas pectoris Patri eripis
O nate. *Sand* Ne quid peccet immodicus dolor,
Auferte sobolem. *Hia.* Sinite me reducem osculo
Libare Patrem. *Clod.* Ah nate!
Hiac. Tu genitor meus?
Clod. Mi nate siste: voce te inveniam Duce.
O cruda fata! sed tamen voti reum
Irminsul urget. Quis mihi extorquet manu
Dijs victimantem acinacem? *Hi* O dulcis Pater!
In innocentis stringis hoc ferrum caput.
Si quod Hiacynthus crimen admisit, tamen
Remitte Genitor: corde adhuc totum Patrem
Non exuisti. *Clod* Dexteræ ereptum date
Mihi rursus ensem. Sinite Clodoaldum Dijs
Jurata vota solvere. *Sand* Admittunt moras
Solvenda Superis vota. Præcipiti quoque
Aliquando cultu Numen offendi solet.
Clod. O vota stulta! *Quidquid è nostro lare
Primùm obviabit, victimam tuas dare
Cadendum ad aras voveo.* Tu solum Patri
Post Hildegardem filiam, & natum alterum
Raptum, parenti rebus extremis eras
Unum levamen. Totus ut peream Pater,
Stultus litare Numini interitu tuo
Vovi. Date mihi acinacem voti reo.

Hia. An qui parentem fulminat charum, meo
Cruore sisti Numinum furor potest!
Clo. Uno hoc. *Hia.* Saluti Patris en dedo caput,
Date jam parenti acinacem: in vulnus patent
Aperta colla. Nullus eventu potest?
Meliore sanguis prodigi; quàm qui patrem
Rei reservet publicæ, & placat Deos.
Porrigite Patri acinacem. Frustra es pius:
Da Sandriane acinacem dextræ Patris.
Quod vivo, Patris munus est; cadam, ut Peter
Vivat superstes, *San.* Plurimum affectu in Patrem
Hiacynthe peccas. *Clod.* Vota me faciunt reum.
Sa. Quibus impiatur dextera vovêtis. *Cl,* Quibus
Placatur ira Numinum *Sand.* Impuras manus
Odêre Superi. *Clod* Sanguine litatur bene,
Cùm devovetur innocens. *Sand* Litas malè,
Quando innocentem devoves *Clod.* Pietas Diis
Has debet aras. *San.* Nempè pietatem vocas,
Quod in hoste crimen diceres Divos nece
Placare natûm, est facere crudeles Deos,
Pietatis umbrâ grande velatur scelus.
Non est sititor sanguinis Deus; manu
Ultrice fusum vindicat. *Clod.* Sed non piâ.
Sand. Cave Clodoalde, fulmen irato Deo
Excutere ne quâ postulas, illâ ingeras
Pietate fulmen. *Clod.* Ergo quod votum Deo
Diis negabo? *Sa.* Quod dare est pietas, vove.
Clod. Huc huc securim: rursus incessit fibras
Pietas Tonanti debita, & Patrem exuo
Factus Sacerdos. Testor auratos poli
Qui flectit axes, Diis sacram testor stygem;

Non cura nostri capitis, aut cupidus nimis
Amor oculorum me Sacerdotem facit.
Tu prime, tu me Maxime Irminsul facis.
Irata nolo Numina Offensi Dii
Et capita feriunt Principum, & populi simul.
Vel nate pereas, tota vel patria perit.
Sand. Nam quod Hiacnythum crimen ad pœnas citat?
Clod. Crimen Parentis. *Sand.* Æquitas nempe exigit,
Ut scelera Patris expies, Natum dare
Letho innocentem. Numen injustum facis:
Si pro nocente sanguinem innocuum petat.
Si major apri cura sollicitet Deum
Quam filiorum. *Clod.* O nate!
Hiac. Quid differs Pater?
Habes paratum filium ad votum. *Sand.* Ad scelus,
Quasi pius esse non queat Deus, nisi
Fiat homicida. *Clod.* Nate!
Hiac. Genitor! *Clod* Nate mi! (Patri
Hiac Mi genitor! *Clod.* Ungues chalybis officio
Servite: Pietas cogit, Irminsul jubet.
Sinite. necandam victimam quæram. *Sand.* Procul
Juvenem amovete, nè quid insolitus furor
Pietatis umbrâ peccet. *Clod* O Nate! O Dii!
Quid ergo Sandriane? quid voti reo
Suades parenti? *Sa.* Præsides templi Patres,
Antistitesque Numinum quæri: Deûm
Illis voluntas pronior patet. *Cl.d.* Placet

Vocate fani præsides. *Hia* Ipse ô Pater
Adibo Divûm Antistes. *Sand* Nati comes
Et Sandrianus ibo, si geminâ prece,
Nati, meâque pectora expugnem virûm,
Ut alia ad aras victima Irminsul cadat.
Clod Quod judicarint Præsides, factum dabo.

SCENA QUINTA.

Agit Sandrianus apud Sacrorum Antistites pro Hiacynthi libertate Immolandum illi contendunt, & ad hoc eripiunt.

Sandrianus. Hiacynthus Popa.

San Hiacynthe, dubia est alea: Athletam indue,
Promptus necari, Gravius & si quid Deûm
Jubeant ministri *Hia.* Spiritum & vitam meam
Debeo Parenti: vitam quam vivo, tua est.
Amate genitor, hæc mihi jussu Deûm
Ponenda si sit, reddo, quod debeo: meis
Dematur annis quidlibet, modò tuis
Addatur annis, demitur quidquid meis.
San. Sed en sacrorum Præses huc chorum trahit.
Sa. 1. Quod imperavi, credo solicitâ exitum
Habuisse curâ. *Sa.* 2. Pinguis ad fânum hostia,
Qualis Falisco nulla de fonte exijt,
Reducta, cupidas cædis expectat manus,
Jugulum & ministro sponte cæsuro erigit.
San. Deûm minister, Numinû interpres Chorus
Jubete parvum Principem gemmâ dies
Vehente longos ducere: à vestra manu
Pendet Hiacynthi vita *Sa. 1.* Quis nostris Deus
Dedit Hiacynthum manibus?
Sandr Incautus parens
Dijs victimandum vovit, & voti reus Di-

Dijs victimâsset, cautior manus scelus
Nisi impedisset. *Sa* 1. Ne scelus voces, cave,
Dijs litantem dexteram. *San.* At non est pia
Sa. 1. Pietatis est referre, quæ voves Deo.
Sand. Pietatis est vovere, quæ possis Deo
Referre. *Sa.* 1. Nullâ natus exemptus notâ est,
Nullâque lege. *Sand.* Lege non ullâ est opus,
Natura quando dictat. *Sa.* 1. At quando Deûm
Patet voluntas clarius, cedat suo
Natura juri. *Sand.* Legibus suis quoque
Numina ligantur. *Sa.* 1 Lege libertas Deûm
Nequit ligari. *Sand.* Ex lege libertas Deûm
Volare nescit impetu. *Sa.* 1. Quod Dijs lubet,
Hoc licet. *San.* Honesta nempè quia tantũ Dijs
Lubere possunt; quæ lubent Dijs, licent.
Sa 1. Ex hoc honestum credimus quidquid libet,
Quod lubeat. *Sa* Inde quia honestum est, lubet.
Honesta tolle, jam Dijs nihil lubet.
Sa 1. Lubere pone, capite jam nullo potes
Negare honesta.
San Nempè quia honestum lubet.
Sa. 1. Hoc est honestum; vota quæ Dijs voves,
Referre *Sand.* Nisi natura pietatem vetet.
Sa. 1. Impia vetando redditur.
Sand. Quando jubet
Servare natum, maximè in Deos pia est:
Impia necare cùm jubet Non sunt Dij
Avidi cruoris *Sa.* 1. Vota si tollas Dijs;
Si vota facias sanguinis, Dij petunt.
Sand. Non innocentem sanguinem.
Sac. 1. Hunc amant magis.
Sand. Ergo perire Numina innocuos volunt?

Aptam Theonas prælijs placet? *Vit.* placet.
In destinatas quisque virtutes abi.

SCENA SECUNDA.

Venatur Clodoaldus: aprum sub statuâ Irminsul conficit: percutitur cæcitate: vovet, quidquid de domo sua primùm occurrerit, immolaturum.

Clodoaldus, Sandrianus, Venatores, Idolum.

Clod. Sonuit amica buccina, & lætus fibras
Movit boatus. Fallere vagantes feras
Animi est voluptas. Tota per sylvas fremit
Excita juventus urbibus. Rursum altero
Sonore bellum buccina indicat feris.
Sand Hic concitatâ volitat in cursum fugâ
Lepus. *Clod.* Minores gentium mitto feras.
Tuba graviores tertia è lustris feras
In aperta nemoris evocet.
Sandr. Cervus pedem
Præcipite adurget impetu. En cornu rubis
Captivus hæret. *Clod* Pectori ferrum imprime.
Sandr Habet Canali manat ingenti cruor,
Terramque inundat. Propius hunc feram date
Duci videndam *Clo* Tenuis hæc præda est nimis.
Rursus jacentes increpet cornu feras.
Sand. Vastus stupentes buccinæ ad sonos aper
Arrexit aures, seque in ancipiti rotat
Et huc, & illuc. *Clod* Sistite: hæc Ducem decet
Præda. *Ven* 1 Avolavit.
Ven. 2. En sub Irminsul fugâ

Sese

Sele recepit. *Sand.* Abstine, ô Princeps, precor,
Delubra Divûm tangere haud stabit levi
Temerare Numen *Clod.* Fabulas viro canis.
Si præda in ipso Numinis staret sinu,
Hinc provocaret dexteram. *Sand.* Cave ô pre-
Maculare Numen sanguine. (cor,
Clod Hoc habet. Sed heu!
Extinctus oculis omnis abscessit dies.
An nox repentè lucidum involvit nemus ?
Hic si quis es, da, quisquis es, Duci manum.
Sand. Incumbe Princeps : lucidam ad Phœbi facem
Converte vultus. *Clod.* Quid juvat Phœbum meos
Spectare luctus, astra si Phœbi vetor
Trabeato in igne cernere? *Sand.* O Princeps, Dij
Coli requirunt: ista metuebam tibi,
Quando temerari sanguine monebam Deum:
Scelus orbitate Numen offensum expiat.
Clod. Date ergo propius Numen accessu colam
Ido. Cedite, vel noctem geminabit Numinis ira.
Pura manus delubra decet, scelerata recede.
Clod. Affusus aris Numinis magni tuam
Clodoaldus iram deprecor, si quid petis
Placande nobis Maxime Irminsul, dabo.
Idol. Non prius extingues offensi Numinis iram,
Quàm pia delubris accedat victima læsis.
Cod. Audio verendum Numen: hoc unum pudet,
Tibi dicatas sanguine effuso bases
Temerâsse. Sed si venia post scelus super
Est aliqua; voveo, quidquid è nostro lare

Pri,

Primum obviabit, victimam tuas dare
Cædendum ad aras: Parce fulminibus gravem
Armare dextram: sit satis Numen, satis
Mersisse tenebris lumina, & cæcâ Ducem
Damnasse nocte. Quamlibet parsit Deos
Vindice piare fulmine reorum scelus,
At esse mite Numen & pium decet.
Ido. Vive super, sed cassè oculis, Clodoalde nec atram
Ulla dies noctem retegat. Quod nostra scelesto
Dextra minabatur fulmen. Clementia frænat.
Clo. O mitis, etiam scelera dum plectis, Deus!
Visu carentis aliquis incessum regat.
Sand O dura fata! gemina progenies Duci
Amissa nuper, vel neci miseræ data,
Nunc ipse Princeps lumine orbatus gemit.
Clo. Reponite Ducem laribus. Exemplo meo
Hoc discat orbis ultimum · nunquam Deûm
Violare honores: Principes pariter viri,
Pariterque vulgus perditur læsis Deis.

SCENA TERTIA.

Ischyrion, sive Clodoaldus Iunior à Thoa Opilione cum Faustino ejusdem Filio discessurus valedicit.

Ischyrion. Faustinus. Thoas.

Isch Faustine, nunquid arbores homines sumus,
Ut quisque duret fixus æternâ morâ,
Quâ sede crevit? Astra volvuntur, mare

Cur-

Currit, recurrit: Ætheris partem sinu
Combibimus. Ergo lenta quæ fixos mora
Domi coërcet? exterum solum juvat,
Moresque cernere exteros. Ac me quidem
Delectat error, fortè dum varios soli
Tractus pererro, patrium inveniam sinum.
Faust. Et me paterna rura delectent licet,
Interque frondes ducta sine curis dies;
Tamen medullas, nescio quis, agitat amor
Extera videndi. Sæpè sed solet tamen
Mors obviare; cùm peregrini soli
Bibuntur auræ. *Isc.* Timide in externâ paves
Regione mortem? scilicet vitæ domi
Donatus arrhâ. Fortè mortalis foris
Domique es immortalis? imprudens times.
Mors & sub isto sole te potest sua
In jura trahere. Nullus est morti locus,
Et nulla regio impervia: serenus diem
Quocunque Phœbus devehit, scenam videt
Morti paratam: libera per omnes soli
Grassatur oras, seque postremam citat
Rhadamanti ad urnam, sive pulvinar graves
Domi paternum, sive te foris agat
Amœnitatis regio per Charitum vias,
Rosisque sparsum tramitem. *Faust.* Alienum solū
Plerumque & alios ingerit mores. *Isch.* Apis
Sic evagata longius, suum refert
In alveare mella. *Faust.* Peregrinos parum
Callere mores proderit; tandem redux
Si patria jura nescias. *Isch.* Bardum caput,

Si dum secundus balteum Titan obit,
Didicisse mores exteros possim, meos
Revocare nequeam, *Fau.* Si domi fons est tuæ,
Rogare rivos pigeat externos aquam
Avis paterno tutior nido latet.
Is. Volare sed non discet, *Fau.* Implumis nequit,
Isch. Implumis esse desinit, si cui vigor
Accendit ignes pectore. *Faust* Implumem facit
Defectus æris. *Isch* Supplet at mentis calor.
Faust. Domi probatus, Sapere discendum est
domi.
Isch Quicunque ad ollas vertitur, raro bene
Subolet: paterno desidet quisquis lare,
Vix sapere discit. Perbrevis scena est domi,
Alibi theatrum laxius. nihil videt,
Quem blanda gremio mater inclusum fovet.
Ac sæpe nimium credulus fallis fidem
Adhibet. Eamus: stimulat internas calor
Insuetus pectoris fibras. *Faust.* Sine
Suprema patri verba, supremum vale
Renunciare. *Isch.* Commodo en votus gradu
Se genitor infert. *Faust.* Mi Pater.
Thoas. Vultûs color,
Mellita verba, gestus arridens, novi
Faustine signant aliquid. *Faust.* O veniam Pater
Da mihi vovendi: pauca, vel nulla hactenus
Petijsse nosti genitor, ut peterem semel
Quidquid petendum. *Thoas.* Grande quid sinu
geri
Præfationis iste circuitus docet.
Faust. Quod voveo: grande est.

Thoas.

Thoas. Dummodo prosit tibi,
Tuisque, Juvenes sæpè quod nocet, petunt.
Faust Non obfutura postulo.
Thoas. Pete, quod petis;
Crede impetrâsse. *Thoas.* Nostra fortuna hoc
vetat.
Non sumus honori stemmatis pulli, quibus
Vel sors opimis divites gazis Phrygum
Arcas flagellet, vel superfuso pluant
Imbres Hydaspe. *Faust.* Nostra fortuna hoc jubet,
Quando tributum tenue, vel census levis
Curta & supellex est domi, licet foris
Virtute parere gloriam. *Tho.* Magnos geris
Faustine sensus, quique non humiles Thoæ
Sapiunt penates. *Isch* Fors placet superis Thoæ
Humilem levare gloriâ Nati casam.
Multos agrestis protulit casa, quos fovet
Dives lacunar, gemmeæ trabes, dies
Per ampla tecta gemmeâ excurrens face.
Thoas. Convellis animum; quodque mens fuerat
meo
Negare nato, fervidâ extorques prece.
Ibis secundo Patre, quà magni ferent
Animi calores: Ibis Ischyrio comes.
Dicam, quod esse suspicor, magni Patris
Non parva soboles; stirpis ignotâ licet,
Tamen superbâ Natus Ischyrio, meo
Dominare nato: sortis hoc tuæ jubet,
Nostræque sortis ratio: te Dominum facit
Natura, jusque sanguinis: sed nos jubet

Servire. *Isch* Cum quâ stirpe, quo genitus patre
Sim, scire nondum licuit, imprudens heri
Jus arrogabo. Satius est comites duos
Nos ire. Si me sanguinis honestat dies,
Virtutis æquat luce Faustinus mei
Splendoris ignes. *Faust.* Parcius laudes fere.
Tho. Unum est, quod olim fortè profuerit, tuum
Ut stemma noscas. Gemma, quam vides, tuo
Collo pependit, quando Piratis puer
Parvulus ademptus, præda venisti Thoæ.
Fortassis ista patriam, & patrem dabit.
Abite faustos Cœlites Thoas vovet.
Isch Thoæ secunda sidera Ischyrion vovet,
Gratesque tantis gratijs refert: memor
Olim futurus; astra si meam mihi
Stirpem revelent. *Faust.* Astra Faustinus vovet
Thoæ secunda. *Tho.* Quà citat mentis calor,
Prosequere sortem. Si Dij eventu probent
Animi favillas, vile Faustinus Thoæ
Genus exuisti Principem indutus virum.

SCENA QUARTA.

Occurrit Hyacinthus Filius Parenti Clodoaldo de venatione reduci. Voti reus Pater Filium immolandum decernit.

Hiacynthus. Clodoaldus. Sandrianus.

Hiac. Quid hoc? revecta pompa venatûs tacet,
Mœstusque loquitur omnium è vultu dolor?
An præda lusit aufuga sequentûm gradus?

An quod sinistræ turbo fortunæ malum
Patri paravit? *Sand.* Cede, ne Patrem novo
Dolore nate saucies *Hiac.* Nam quid Patri?
Sand Nihil est, recede. *Hiac.* Mi Pater,
Sand. Tace *Hiac.* Pater!
Cl. Quæ vox ad aures appulit? *H.* Pater! Pater!
Clod. O vox! medullas pectoris Patri eripis
O nate. *Sand* Ne quid peccet immodicus dolor,
Auferte sobolem. *Hiac.* Sinite me reducem osculo
Libare Patrem. *Clod.* Ah nate!
Hiac. Tu genitor meus?
Clod. Mi nate siste: voce te inveniam Duce.
O cruda fata! sed tamen voti reum
Irminsul urget Quis mihi extorquet manu
Dijs vi[illegible]imantem acinacem? *Hi.* O dulcis Pater!
In innocentis stringis hoc ferrum caput.
Si quod Hiacynthus crimen admisit, tamen
Remitte Genitor: corde adhuc totum Patrem
Non exuisti. *Clod* Dexteræ ereptum date
Mihi rursus ensem. Sinite Clodoaldum Dijs
Jurata vota solvere. *Sand* Admittunt moras
Solvenda Superis vota. Præcipiti quoque
Aliquando cultu Numen offendi solet.
Clod. O vota stulta! *Quidquid è nostro lare*
Primùm obviabit, vict imam tuas dare
Cadendum ad aras voveo. Tu solum Patri
Post Hildegardem filiam, & natum alterum
Raptum, parenti rebus extremis eras
Unum levamen. Totus ut peream Pater,
Stultus litare Numini interitu tuo
Vovi. Date mihi acinacem voti reo.

Hia. An qui parentem fulminat charum, meo
Cruore sisti Numinum furor potest!
Clo. Uno hoc. *Hia.* Saluti Patris en dedo caput,
Date jam parenti acinacem: in vulnus patent
Aperta colla. Nullus eventu potest?
Meliore sanguis prodigi; quàm qui patrem
Rei reservet publicæ, & placat Deos.
Porrigite Patri acinacem. Frustra es pius:
Da Sandriane acinacem dextræ Patris.
Quod vivo, Patris munus est; cadam, ut Peter
Vivat superstes, *San.* Plurimum affectu in Patrem
Hiacynthe peccas. *Clod.* Vota me faciunt reum.
Sa. Quibus impiatur dextera vovētis. *Cl.* Quibus
Placatur ira Numinum *Sand.* Impuras manus
Odêre Superi. *Clod* Sanguine litatur benè,
Cùm devovetur innocens. *Sand* Litas malè,
Quando innocentem devoves *Clod.* Pietas Diis
Has debet aras. *San.* Nempè pietatem vocas,
Quod in hoste crimen diceres Divos nece
Placare natûm, est facere crudeles Deos.
Pietatis umbrâ grande velatur scelus.
Non est sititor sanguinis Deus; manu
Ultrice fusum vindicat. *Clod.* Sed non piâ.
Sand. Cave Clodoalde, fulmen irato Deo
Excutere ne quâ postulas, illâ ingeras
Pietate fulmen. *Clod.* Ergo quod votum Deo
Diis negabo? *Sa.* Quod dare est pietas, vove.
Clod. Huc huc securim: rursus incessit fibras
Pietas Tonanti debita, & Patrem exuo
Factus Sacerdos. Testor auratos poli
Qui flectit axes, Diis sacram testor stygem;

Non

Non cura nostri capitis, aut cupidus nimis
Amor oculorum me Sacerdotem facit.
Tu prime, tu me Maxime Irminsul facis.
Irata nolo Numina. Offensi Dii
Et capita feriunt Principum, & populi simul.
Vel nate pereas, tota vel patria perit.
Sand. Nam quod Hiacnythum crimen ad pœnas citat?
Clod. Crimen Parentis. *Sand.* Æquitas nempe exigit,
Ut scelera Patris expies, Natum dare
Letho innocentem. Numen injustum facis:
Si pro nocente sanguinem innocuum petat.
Si major apri cura sollicitet Deum
Quam filiorum. *Clod.* O nate!
Hiac. Quid differs Pater?
Habes paratum filium ad votum. *Sand.* Ad scelus,
Quassi pius esse non queat Deus, nisi
Fiat homicida. *Clod.* Nate!
Hiac. Genitor! *Clod* Nate mi! (Patri
Hiac Mi genitor! *Clod.* Ungues chalybis officio
Servite: Pietas cogit, Irminsul jubet.
Sinite. necandam victimam quæram. *Sand.* Procul
Juvenem amovete, nè quid insolitus furor
Pietatis umbrâ peccet. *Clod* O Nate! O Dii!
Quid ergò Sandriane? quid voti reo
Suades parenti? *Sa.* Præsides templi Patres,
Antistitesque Numinum quæri: Deûm
Illis voluntas pronior patet. *Clod.* Placet

Dijs victimâsset, cautior manus scelus
Nisi impedisset. *Sa* 1. Ne scelus voces, cave,
Dijs litantem dexteram. *San.* At non est pia
Sa. 1. Pietatis est referre, quæ voves Deo.
Sand. Pietatis est vovere, quæ possis Deo
Referre. *Sa*. 1. Nullâ natus exemptus notâ est,
Nullâque lege. *Sand.* Lege non ullâ est opus,
Natura quando dictat. *Sa*. 1. At quando Deûm
[illegible]tet voluntas clarius, cedat suo
Natura juri. *Sand.* Legibus suis quoque
Numina ligantur. *Sa*. 1 Lege libertas Deûm
Nequit ligari. *Sand.* Ex lege libertas Deûm
Volare nescit impetu. *Sa*. 1. Quod Dijs lubet,
Hoc licet. *San.* Honesta nempè quia tantũ Dijs
Lubere possunt; quæ lubent Dijs, licent.
Sa 1. Ex hoc honestum credimus quidquid libet,
Quod lubeat. *Sa* Inde quia honestum est, lubet.
Honesta tolle, jam Dijs nihil lubet.
Sa 1. Lubere pone, capite jam nullo potes
Negare honesta.
San Nempè quia honestum lubet.
Sa. 1. Hoc est honestum; vota quæ Dijs voves,
Referre *Sand.* Nisi natura pietatem vetet.
Sa. 1. Impia vetando redditur.
Sand. Quan[illegible] jubet
S[illegible]rvare natum, maximè in Deos pia est:
Impia necare cùm jubet Non sunt Dij
Avidi cruoris *Sa*. 1. Vota si tollas Dijs;
Si vota facias sanguinis, Dij petunt.
Sand. Non innocentem sanguinem.
Sac. 1. Hunc amant magis.
Sand. Ergo perire Numina innocuos volunt?

Audite quisquis adſtat: innocuus ſuge
Poſthac haberi: ſanguinis pœnam exigit
Ab innocente Numen. O turpes Dij!
Quibus innocentia fit nocens.
Sac, 1. Verbo abſtine;
Et vota redde Numini. *Sand.* Verbo abſtine,
Nec pete ſacrilega vota. *Pr.* Quid? ſtultum fuit
Voviſſe *Sa.* Stultum eſt petere, quod ſtultum fuit
Vovere. *Primus.* Redde vota,
Sand. Ni probes pia,
Non reddo, *Prim.* Ad aras victima. Ubi ſtabit, pia
Probabo vota *Sac.* Rapite quod furto Dijs
Eripere tentat. *Sand* O Tyrannorum furor!
Et cruda dextra! *Sac.* 1. Rapite, Dijs dandam hoſtiam.
Sand. Qui primus enſem mei ferit, primus cadat
Devota barato victima, & ſtygem impiet.

Scena Sexta.

Iſchyrion & Fauſtinus inter ſylvas in monſtra incidunt.

Iſchyrion. Fauſtinus.

Iſch. Fauſtine! comitem deſeris? fugâ tuum
Probas amorem? quando me ex omni involat
Mors certa parte, parte non ullâ juvas
Fauſtine comitem! *Fauſt.* Præda Fauſtinus cadam

Devo-

Devota monstris comite desertus meo
Ischyrio! comitem sicne Faustinum abstrahis
Domûs paternæ laribus, alieno ut solo
Sim præda monstris?
Ischyr. Si qua tibi pietas super
Faustine pectus tangit! *Faust.* Ischyrion! tui
Agnosce vocem comitis: ego, ego sum tuus
Faustinus. *Isch* Ah Faustine! sic tuum potes
Deserere socium? *Faust.* Sicne Ischyrion tibi
Solicitus uni, quanta me premant mala
Nil quæris ultra? perimor.
Isch. Huc gradum comes,
Sociusq; Achates mortis. *Fa.* O charum caput!
Isch. Faustine rebus una postrema salus!
Faust. Via nulla valle, nulla dat clivis fugam.
Isch. Una via superest chalybe de monstris suam
Redimere vitam.
Faust. Numina secundam ingerunt
Viam: paratur sponte in effugium specus:
Subeamus unà. *Isch* Retro Faustine, ab retro
Gradum coërce. *Faust.* Vallis hîc pressæ sinum
Intremus. *Isch.* Etiam hic monstra.
Faust Vincamus polo
Rupem minantem; monstra dum sese suis
Abdant latebris. *Isch* Turbo detumuit; sua
Rediêre monstra in antra: quà licet gradus
Urgendus est Faustine; defunctos gravi
Ne nos periclo gravius excipiat malum.

SCENA SEPTIMA.

Clodoaldus abreptum sibi à Sacerdotibus Hiacynthum dolet.

Clodoaldus, Sandrianus.

Clod. Ain', cruentâ filius Popæ manum
Abreptus, aris victima Irminsul cadit?
Sand. Qualis cruenta temporis longi siti
Jejuna Tigris obvia in pecudem ruit:
Talis Sacerdos impius crudâ involat
Manu in Hiacynthum.
Clodoald. Sæva barbaries! fera
Crudelitatis ira! Si cædi puer
Debuit ad aras victima ah! melius meo
Cecidisset ense. Nempè in hoc Pietas Patris
Pepercit, iræ ut cederet. Cur me pium
Esse vetuisti, quisquis hic adstas? *Sand.* Tuos
Fateor dolores cumulo, dum imprudens volo
Pius videri. *Clod.* Quando radiorum jubar,
Imbremque solis lucidum, & lucis patrem
Videre licuit, nulla Clodoaldo dies
Tranquilla fulsit: quando jam cœcis dies
Negatur oculis, nulla nox misero datur
Quieta patri. Semper antiquas novis
Eluere lachrymis lachrymas casus jubent
Ducti in catenam. Mentis ô vulnus grave!
Nulla mihi requies, nulla spes superat, fore
Finem doloris, antequam vitâ cadam.
At reliqua lætas induunt vices mala:
Pelagi procellæ detument; brumæ gelu

Liquet;

Liquet; corusci detonat fulmen Jovis;
Ponunt furores Æoli; Orion comas
Tergit madentes: unus hic, unus mei
Furor doloris semper in majus tumet.
O Numen! astro Numen infensum meo!
Ferale Numen! esse te Irminsul polo
Terrasque nutu flectere, & cœlos putem?
Semel negabo tutius Deos, reos
Quam fatear esse criminum toties. Metus
Si finxit orbi Numen; & cœlum est Diis,
Et terra inanis. Ludimur frustra pii,
Frustra timemus impii: forsan minus
Neglecta noceat culpa, quam pietas nocet.
Sand. Magnanime Princeps, siste blasphemo Deum
Lacessere ore. Nullus in superos manum
Felice vertit aleâ. Phlegram inspice,
Ubi strata late prælia Gigantum jacent.
Clod. Sine me doloris obsequi imperio *Sand.* Viri
Ferre est dolorem. *Clod.* Ni modum excedat dolor,
Sine me; protervis bella cum Mystis geram.
Sand. Diis litasses ipse; quid cæsum doles
Numinis ad aras filium? *Clod.* Vovi meâ
Pietate natum victimam Diis dare,
Sed non furore. Perge, me Diis quoque
Da victimandum: nulla me super jubet
Honesta causa vivere. Aut si non volet
Irminsul istam victimam, inferias stygi
Date Clodoaldum. *Sand.* Quanta blasphemus dolor

Peccare potuit! Discite qui amatis; brevi
Habenâ amorem regere. nisi cautus regas;
Amor dolorem parere blasphemum solet.
Parcius amantem parcius torquet dolor.

CHORVS.

Saxonia felicius navigat. Indignatur Idololatria, Genio Vitigindi concitante.

Pars Prima.

Fides mare tranquillat.

Fides.

Satis est iræ; satis est belli.
Ponite fluctus maris insani
Numina Jubeo domitrix ponti
Sincera fides Semper furere
Mentis iniquæ est. Qui flevit heri,
Hodie aurato Phœbus in igne
Melius ridet Ponite venti
Ore furores. Circius, Aquilo,
Notus & Boreas, procul æquoreis
Cedite campis: blanda Favonij,
Zephyrique cohors succede mari.
Tranquilla fides maria incedit.
Pacemque colit. Prælia vanam
Religionem cædesque juvant,
Illa ubi sedem fixerit, arma
Movet in Superos, totasque rotat
In bella Urbes, & cum Dominis
Maxima sepelit monumenta Ducum.

Aft

Aſt ego pacem diligo. Pacem
Date tranquilli prælia ponti.

Pars ſecunda.

ſolvit è Portu feliciter.

Saxonia.

Melior linis influit aura,
Perque quietas æquoris undas
Tranquilla ſuos Zephyritis agit
In vela choros. Quæ prius æſtu
Thetis immiti ſæviit, undâ
Jacet illimi, liquidisque natat
Prompta obſequiis. Erige trepidum
Saxonis animum. Nihil æterno
Sauciat altum vulnere pectus.
Fremit alterno, luditque choro
Mare turbatum, mare tranquillum.
Si mille prius metuenda minis
Unda timenti fata ferebat;
Exuet iras fronte minaci,
Lætumque dabit ſpectare diem.
Ex quo mihi Amor ſedet ad clavum,
Remosque Fides agit, & vento
Spes vela replet, detumuêre
Maris inſani prælia, & acres
Ceſsêre Noti. Felix veræ
Qui ſe Fidei credidit alno:
Simul optatæ tenuit ſolidam
Pacis arenam. Numina falſa,
Et vera quies, vaſto inter ſe
Limite diſtant. Baſis Imperii

Vera Religio est. Hæc ubi cedit,
Corruit omnis gloria regni.
Populi est nexus sincera Fides.
Hanc ubi tollis, ruit in bella
Mortale genus, seque per arma
Lacerant urbes. Anchora regni
Est vera Fides: Exulet illa,
Ratis imperio jactata Noti.
Prona procellæ serviet omni,
Dominique feret verbera ponti.
Experta loquor Dum mihi multâ
Fumus acerrâ, Numina coluit,
Falsoque dedi thura Tonanti,
Nullam solidâ pace quietam
Lucem aspexi. Nunc ubi propius
Veræ Fidei jubar aspirat,
Tuto licuit solvere portu.

Pars Tertia.

Indignatur Idololatria. Genium Vitigindi concitat, quem gladio & tadâ armat.

Idololatria.

Quid stertis iners, ô larva Ducum,
Regnique probrum Vitiginde tui?
Crepat undanti Regia flammâ,
Unoque Duces simul & tecta
Igne involvit: tu tamen alto
Nondum evolvis corda sopore.
Surge: cadentûm delubra Deûm,
Arasque tene, Cernis ut omnis

Magni

Magni Irminful honor atteritur,
Rituque novo vetus excutitur?
Ibunt Calpen ultra, Abilamque
Nomina Superûm, nisi subsidio
Vitiginde venis. Corripe Medi
Fulmina ferri; geminosque manu
Torquens colubros, millia centum
Pectora flammis Martis adure,
Iram accelera: Mala per longas
Crevère moras. Non benè differs
Pharmaca; quando corde sub imo
Febris primis ignibus ardet.
Facilis primo medicina malo est;
Sed sera nimis, quando adolevit.
Accipe ferri vindicis ignes;
Martemque voca, pugnamque cie.
Hoc tu superos igne tuêre.
Hæc summa Ducum laus est; uno
Patriam & Superos Marte tueri.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Carolus Magnus per abrupta montium traducit Exercitum: expeditur Dux Caridus, qui Olethrium fugientem persequitur.

Carolus. Ferrandus. Arbastus. Olethrius. Caridus.

Ferr. Superate mecum militis lectæ manus
Abrupta saxa rupium: hic vestris virent

Lau-

Lauri triumphis. *Cle.* Carolus monti imminet:
Et quà cohortes explicat, vastam trahit
Secum ruinam. dum patet campus; fuge,
Temetque miles publicæ serva rei.
Martem furori cedere aliquando decet,
Cum fuga salutem publicam regno parit.
Subtrahite letho capita. *Ar.* Non sic Annibal,
Terror Quirinæ gentis, elatas jugo
Superavit alpes, ut triumphati vias
Nobis recludunt vertices *Nun.* Magne arbiter
Arbaste Martis, valle subjectâ frequens
Exacuit hostis arma. *Arb.* Num constans?
Nunc Fugit.
Arb. Quâ parte. *Nunc.* Lætum gemina distinguunt juga
Quâ parte callem. *Ar.* Caride fugientum gradus
Præverte. *Car.* Ferri miles hac fulmen cita.
Carol Sic est Sodales Martii, virtus amat
Iter per alta; torpor abjectâ jacet
Terrâ supinus. Vester hoc animus probat.
Videte quanta Martius fervor juga
Minata cœlo quamque præcipites vias
Nullo ante tritas milite inscendit calor.
Summum tenemus. Melior in apertum viam
Decliviorem terra descensum parat.
Fer. Procede miles: Terra, quam calcas, tua est.
Hic fige signa Numinis nostri, Cruces.
Arb. Procede miles: Quaque procedis, cruces
Prono verere vertice, & curvo genu.
Car. Tandem superba montium emensi juga,
Angustiasque rupium, & calles scabro

Sa-

Saxo tumentes vallis umbrosæ sinum
Novitenemus incolæ. Hic miles tuæ
Virtutis est arena. Quod gestum hactenus,
Ludus vocetur. Bella quæ posthac tibi
Gerenda restant, serias poscunt manus.
Sed ista non hoc dixero, quo vos mea
Faciant feroces monita, vel Martem ingerant.
Satis minarum corde spiratis; satis
Vos vestra virtus urit. In quæ vos calor
Martis vocabit ausa; consilio, & manu
Forti involate. Nemo respiciat, nisi
Ut dum Tonantis signa, defixas cruces
Videt, calentes sumat à signis faces.
Quod ante restat, pariter aspectu invola,
Pariterque dextris miles; oblitus retro
Et bella, & arma vetera, quæ mundus canit
Oriens, Cadensque. Scilicet gaudent viri
Magis gerendis corda, quam gestis dare.
Thraso peracta respicit; agendis viri
Magis laborant: quæque retulerunt manu
Spolia, sequentis gloriæ semen putant.
Frustra prioris decoris, & laudis memor
Remota grandi sidera infestas tubâ,
Si conquiescas laude contentus brevi;
Nec inchoatos urgeas famæ gradus.
Sed quis sonoro classico Martem ciet?
Arb Caridus fugaces antè speculantum gradus
Jussis volante persequi ferro, redit.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Redit Caridus : captivum adducit hostium manipulum ; ex quo intelligit Carolus statum castrorum Vitigindi.

Carolus, Caridus. Miles captivus.

Carol Caride quid actum ?
Carid. Maximè hic Regum vides,
Muti loquuntur. Densa quà valle inviam
Vepreta faciunt, ista speculatrix manus
Avida salutis latuit. olfeci dolos :
A fronte partem militum oppono ; alteram
Post terga partem colloco. Ignarus doli
Tergo latentis fronte prostantem in globum
Furibundus hostis provolat, certus manus
Conferere, jamq; pes pedem, chalybem chalybs,
Dextramque dextra presserat, quando cohors
Inopina tergo proruit ; cædit, ferit,
Exarmat, & captivat, inhonestam fugam
Frustra parantes : jamque captivos tuum
Trahit ad tribunal.
Carolus. Vosnè Vitigindo manus,
Et capita devovistis. *Mil* Ad vitam & necem.
Carol Fortuna sed jam melior in nostras jubet
Vos ire partes. *Miles*: Ibimus : nemo benè
Divûm repugnat jussibus. *Car.* Sed quæ trahit
Vitigindus arma ? viribus quantis meum
Excipere Martem fidit ? *Mil.* Hoc testor caput
Orbi verendum : castra, quæ Saxo trahit,

Vix

Vix Marte digna dixero; quando tuum
Respicio Martem: signa qui sequitur globus,
Vis est ferendo ponderi armorum satis,
Miser, popinis tractus in censum levem
Hinc inde raptus: quodque supremum reor,
Consilia ru na, & dexteræ imbelles Ducum.
Carolus. Et obviare Carolo imbellis parat?
Miles. Præoccupasti: Carolum necdum scis
Transisse rupes. Quando cognoscet tuum
Jam valle stare militem; trepidus metu
Et arma & urbes cedet.
Car. Hæc virtus Dei est,
Terrere Reges, antequam bellum sonet.
Non longa spacia differam · Numen Ducem
Populumque victum viribus subdet suis.
Placet ista scena militum, & nostris fidem
Jurare Ducibus? *Miles* Arma, si Cæsar jubes,
Tua placet arma sumere. *Car.* At fidas prius
Vovete dextras. *Mil.* Funera, & stragem, & ne-
cem
Pro te subire juro *Car.* Nunc armis manus
Instruite. Paria bella cum nostris pari
Signate mente. Cede tantisper cohors.
Vallis sub umbras, perque sollicitas preces
Ubi monentis æris accipies sonum,
Deum favere præliis cœptis vove.

SCE-

SCENA TERTIA.

Ischyrion, & Faustinus in feras incidunt, superant. intelligunt solemne instare immolandi Hircyni hi sacrificium: statuunt eum ex Sacerdotum manibus liberare.

Ischyrion. Faustinus Arbas.

Faust. Ischyrio, rursum funus in nostrum feras
Armavit ira belluas: multus leo,
Ursusque multus specubus erumpit suis.
Isch. Indue virum Faustine: sat nuper pudet
Fugisse, quando monstra composito choro
In nos ruerunt: ense jam, & forti manu
Lubet experiri; quanta bellaces feras
Obarmet ira, stringe, tu hunc ursum preme:
Ego in Leonem dexteram verto: jubam
Animose concute Leo, jam funus dabis.
Fa. Totum urse corpus tolle, jam funus cades.
Isch. Timuêre. Latebris rursus accedunt suis.
Sic nempè fortes metuit, imbelles premit
Discrimen animos. *Faust.* Aliquis exserpit specu
Vel leo, vel ursus.
Isch Siste, de pharetrâ levem
Mihi huc vibrandam porrige sagittã. hoc habet?
Arb. Eheu! quid Arbas sceleris admisit nocens!
Isch. Faustine, loquitur. *Fau.* Error excussam tulit
Nervo sagittam. *Arb.* O vulnus!
Isch. Erratum est comes.
O parce quisquis frondibus tectus, mihi
Fera visus, alto vulnere sagittam bibis.

Nam

Nam cur ſub umbras frondeæ gentis tuum
Caput abdidiſti *Arb.* Multus errantem leo,
Urſusque multus terruit, *Fauſt.* Sed quid nemus
In hoc vocavit? *Arb.* Magna memorari jubes,
Tacenda melius. *Iſch.* Si tamen fas eſt. *Ar.* Sine
Vulnere profundo pectoris nunquam licet.
Mala memoranti vetera, cuduntur nova.
Tamen haud ſilebo: fortè medicinam manus,
Qua ſpero minimum, certius plagæ feret:
Iſch Profare. quidquid iſta nervorum manu,
Et quidquid armis virium Iſchyrion habet,
Tuæ ſaluti pronus impendet. *Arb.* Deo
Victima paratur Principis proles. *Fauſt* Nefas!
Quis hanc ad aras deſtinat? *Arb.* Crudi Popæ
Rapuere prolem innoxiam: jamque & dies
Indicta ſacro funeri. *Iſch.* Ingenuus furor
Fauſtine pectus increpat: Si par tibi
Ira eſt in armis, quiſquis innocua hoſtia
Diis deſtinatur, dexterâ ereptus meâ
Malè victimantem tutus evadet manum.
Fauſt In me furoris ira de comitis micat
Furore. *Iſch.* Quiſnam buccinæ clangor ſonat?
Altæque paci nemoris inſultat fragor?
Arb. Miſer Hiacynthe! nuncius mortis tuæ
Eſt iſte clangor. Nempè jam trahitur puer
Gravem ad ſecurim. clangor hic ſacrum notat.
En ipſa ſacri pompa ſuccedit ſolo.
Iſch. Huc in latebras, hora dum vires voçet.

SCENA

SCENA QUARTA.

Prodit ſacrificii pompa : ſubditur ſecuri Hia-cynthus ; invadunt ſacrificium Iſchyrion & Fau-ſtinus, ut eum liberent. Capiuntur ipſi: Libertas Hiacyntho offertur, ſi capti de belluis victores evadant.

Sacerdotes. Iſchyrion. Fauſtinus. Hiacynthus.

Sac. 1 Hic eſt ſacratus locus, & magno DEO
Nemus dicatum, Pompa ſubſiſte ; & locum
Venerare prona. Quiſque quod debes, age.
Accede ad aram victima. Quod alto Dii
Polo abſecundent, quod ſui Irminſul trahat
In pretium honoris, quodque terrarum Deos,
Deoſque olympi fœdere æterno liget,
Diis penè raptam victimam, rurſus ſacram
Voco ad ſecurim. Vota, ſi poſcis, vove
Hiacynthe nunc ſuprema.
Hiacynthus. Si venia eſt, Deûm
Supreme myſta, paucula vovebo. *Sac.* 1 Vove.
Hiac. Non ego ſecures metuo, non aras meo
Sanguine rigandas ; nec Diis quicquam volo
Subtractum honoris : eſt tamen, menti ardua
Quod fata reddat Patriâ dextra Diis
Litatus, iram ſanguinis rivo mei
Eram ſtiturus : neſcio an cultro tuo
Diis immolatus vindicem ſiſtam manum,
Patremque fatis eximam.
Sac. 1 Quando Patrem
Vetant amici tollere ſecurim tuo

Ju-

Jugulo imprimendam; nostra religio jubet
Diis vindicare vota. Non quærunt Dii,
Quæ dextra feriat victimam; sed quo cadat
Vovente. seu te patria, seu nostra immolet
Manus sacerdos. Victimam quærunt Dii;
Non victimantem dexteram.
Hiacynthus. Jam ultra nihil
Repugno. Cultris viscerum internos sinus
Examinate, colla ferienti date
Prædam securi: testor hunc cœli omnia
Videntis oculum, quique gemmato sedet
Solio superbus, testor Irminsul; Patri
Diisque ad aras victima occumbam lubens.
Vos qui sereno volvitis nutu polos,
Terrasque sceptro flectitis Magni Dei,
Vos morte sobolis sera genitori date
Adire fata. Sanguine rigatæ meo
Nubes laventur luminum; Nati nece
Suosque seque redimat afflictus Pater.
Agite, quod agitis; morte si servo Patrem,
Promptum ad secures pectus, & collum exero.
Mergite secures pectori, fuso manus
Sanguine lavate. Quid moras trahitis? mori,
Mori est voluptas! Explico jugulum: feri.
Sac. 1. Irminsul auctor orbis, astrorum Pater,
Numen verendum; ritè si sacras precor
Supplex ad aras; Numen adverte huc Pium,
Et quo rotatos orbium spectas globos
Oculo, serenam quando dispensas diem
Splendoris Imperator, hanc stratam vide
Tuas ad aras victimam. Hæ dextræ tuo

Li-

Litant honori. Stringite secures; ubi
Caput ceciderit, antequam fusus rigor
Per ossa serpat, membra frustratim date
Edenda magno Numini. Tu subjice
Pelvim cruori. *Isch.* Siste, sacrilegam manum
Helluo cruoris. *Sa.*1. Cæpta quis novo impiat
Clamore sacra? *Fau.* Sanguinis crude Helluo!
*Sa.*1. Siccine veteris criminum ultores Deos?
Isc. Siccine pianda crimina ultori Deo
Scelerate præbes? nempè te sanctum probas?
Pietas scelesta est, sanguinem quando sitit.
Sacer Permitte sacra. *Faust.* Nolo.
Sac 1 Nunc strictam tuum
Vertam securim in verticem.
Isch. Strictam manu
Tuâ securim detraham. *Sac.*1 Fulmen polo
Vindex vocabo. *Fau.* Non potest Deus impia
Audire vota. *Isc.* Mitte quem premis. *Sac.* Vetant
Sacra inchoata. *Faust.* Prosequi crimen grave est
Malè inchoata. *Sac.*1. Prosequi laus est, Diis
Quod inchoâris. *Isc.* Prosequor cœlo auspice,
Quod inchoavi, teque sacrilegam manum
Pueri impiare sanguine innocuo veto.
*Sac.*1. Tollite secures Numinum Popæ, stygi
Capita hæc vovete. dumque non unam licet
Aris litare victimam, ternam date.
Isch. Sed non ad aras. si quis Heroas fovet
Sub corde flammas, ense decernat.
Faustin. Manum,
Ferrum, medullas, viscera propino, cui
Par urget animam spiritus?

Sa-

Sacer. 1. Cadet tumor
In vincla pressus *Fau.* Colla vel dextram potes
Vincire, sed non spiritum. Liber vagor
Etiam in catenis. *Sac.* 1. Ista libertas tibi
Dabitur. *Isf* Probabo parte me hac etiam virum,
Qui fortis hostem ferre fortunam queam.
Sac. 1. In ore multus nempè tibi Mavors calet.
Fau Tibi sub ipso pectore est torpens gelu.
Vel si calentes una sollicitat fibras
Scintilla, ferro jurgium fini. *Sac.* 1. Decet
Martem duellum, non Sacerdotem.
Faustinus. Times.
Sac 1 Timere nullum vera relligio potest;
Nisi quem timere jura naturæ jubent,
Quod si duelli tanta tibi tamen sitis
Urit medullas, offero Leones tibi,
Tibique. *Isch.* Fortis indolem ut mentis scias,
Neque hoc refugio. *Faust.* Fortè Tyrones putas?
Jam nuper arma nostra nemorosæ leo
Terror latebræ timuit, atque ursus fugâ
Vitavit. *Isch.* Animus gestit in pulchram feras
Vocare pugnam. Si quis est, Heroum avet
Videre qui spectaculum, videat mea
Amœnus arma, quando terrentem jubâ,
Rictu fremementem, & ungue minitantem dabo
Neci leonem. *Fau.* Meque dum excutiam truci
Urso furores, & suo cæsum dabo
Natare tabo. Quisquis hic urbem colis,
Spectator adsis; ante non visam tibi
Recludo scenam.
Sac. 1. Fremere cum nondum vides

Hostem. Crepare bella submoto procul
Mavorte, nempè militem talem decet.
Sequens docebit hora, quod præsens crepat,
Subite vincula interim, donec suos
Circus furores induat, furor viros.

Scena Quinta.

Sacerdotes conspirant in Iuvenes, ut si ferarum evadant Victores, aliâ eos fraude circumveniant, & simul cum Hiacyntho in interitum trahant.

Sacerdotes 2.

Sac. 1. Prosequere, Russipande, consilio ac fide
Telam inchoatam fraudium Ætatem supra
Fastu intumescunt. Temnere feras qui potest,
Superare poterit; quique non circum timet,
Circo est timendus. Perdimus puerum Dijs,
Si belluarum forte victarum cruor
Arenam inundet. Ratio servandi Deis
Si qua est honoris, suggere arcanâ fide.
Sac. 2. Astu per omnes ire jam pridem modos
Edoctus ipse, consulo antiquos dolos
Pietate tectos Vitia cùm pietas docet,
Vis nulla frangit. *Sac.* 2 Multa meditanti, ingerē
Et plura Russipande *Sac.* 1. Si nostra approbas
Consilia. dicam. Fortè si palmam ferant,
Et irruentes funere trucident feras,
Nova concitare plebis in juvenes decet
Odia. & furores. *Sac.* 1. Quâ arte?
Sac. 2. Quæ sursum reos

In

In plebe faciat: Colchicos clama dolos,
Herbæque vires Thessalæ insimula: furor
Expergefactus plebis in nova attrahent
Supplicia juvenes.
Sac. 1. Consili modum probo,
Jam pandat ergo plurimus arenam furor.

SCENA SEXTA.

Confluit ad spectaculum populus: descendunt in arenam Iuvenes: superantur feræ: proclamantur Iuvenes Magi: ideoque carceri mancipantur.

Sacerdotes. Hildegardis. Ischyrion. Faustinus. Araspus. Spectatores. Praco. Grocanus.

Praco. Spectator adsit. cavea dimittet feram,
Aut Juvenum honesto Marte cædendam, aut suo
Cruore juvenum fortè pressuram sitim.
Herous illis animus est, istis furor
Est belluinus: pendet hinc victoria.
Et indè dubia. *Spect.* 1. Brachia Ischyrion minax
Hic nudat intus. *Spect* 2. Indè Faustinus. Putas
In hoc arenæ prælia daturos sinu?
Praco. Mox ipse cernes.
Spect. 1. Quantus implevit locum
Populi ruentis nimbus!
Spect 2. Hoc proprium est jocis,
In curiosa bella penè urbes trahunt.
Miles. Cedite minoris impudens sortis manus,
Vacuate sedem Numinum Mystis sacris.
Primoque stragem sanguini.

Spect. 3. Hic ſedes patet.
Sac. Principia grandi prælio accendant tubæ.
Araſpus. En bina Martis pectora.
Hilde. O veris roſæ!
Geminique flores! iſta truculentus leo
Urſusve capita demetat? Araſpe hic ferum
Sapit Tyrannum, quiſquis has primi roſas
Veris, Leonis ictibus prædam dari
Truculentus imperavit.
Araſpus In ſacros greges
Tua lingua peccat: dicta quæ nocent, tace,
Melius ſilebis verba, quàm dicta revoces.
Iſch. Fauſtine, arenâm ingredior.
Fauſt. Iſchyrion, pari
Animo theatrum ingredior aut vitæ, aut necis;
Si me vel ungue cadere, vel dente obvii
Contingat urſi conteri, extremum hoc erit
Solamen, atrum mortis in gremium tuà
Cecidiſſe causâ. Grata mors ſemper venit,
Quæ venit amici gratiâ. *Iſch.* Quamvis feræ
Nos in voracem deſtinent rictûs famem,
Nondum periimus: pectore ſub iſto calet
Domitor leonum, victor urſorum cruor.
Sed ſi cadendum ſit tamen, letho comes
Cadamus uno. Pulchriùs ſemper duos
Mors jungit una, vita quàm ſociet duos.
Stat mente vel viciſſe, vel pulchrâ nece
Clauſiſſe vitam. *Sac.* 1. Buccina exacuat ſono
Ungues ferarum. *Groc.* Dente jam ſævit Leo,
Et urſus ungui deſtinat vulnus. *Sac.* 1. Aperi
Opeſſulatas belluæ ardenti fores.

Sint

Sint prima in ursos prælia.
Ischyr. Hiacyntho Dii
Hic præliatur ensis. *Faust.* Hiacynthum volo
Manu hâc redemptum.
Ischyr. Causa, quæ armavit manus,
Honesta, bellis exitum spondet bonum.
Secunda bella, causa, non robur facit.
Procumbe tristis victima inferno Jovi.
Hild. O quanta juvenem gloriæ accendit sitis!
Arasp. Non ille vile stemma plebeium genus,
Humilesque proavos, aut lares humiles sapit.
Faust. Procumbe: nigro Numini inferias damus.
Procubuit. *Ischyr.* Ore mordet hæc terram fera,
Animamque mixtam sanguine effundit.
Faust. Vides,
Primum secundâ prælium gestum manu?
Arasp. Opinionem plebis evicit furor
Generosus animi. *Isch.* Cerne prostratos solo
Primos furores. *Faust.* Alteri caveam aperi.
Sac 1. Geminus arenam terreat rictu Leo,
Isch. Huc ad sagittam. Funeri geminus tuo
Prælusit ursus; prima qui instantis necis
Vicit pericla, pectus intrepidum quoque
Adfert secundis. *Faust.* Lentus in arenam trahis
An pigra membra? metuis? angustum petis
Timore adactus angulum? *Hild.* Ferrum Leo,
Pulchrumne juvenum potius ardorem timet?
Faust. Debemus ergo funera, & nostram necem
Lacessere armis? *Arasp.* Hoc solet virtus virum,
Impetere, si non petitur. *Isch.* Occubuit meus.
Faust. Meusque terror.

Spect. 1. Vincis Ischyrion, Io !,
Spect. 2. Faustine vincis.
Sac. 1. Siste, quid properas nimis.
Judicia vulgus? Lentius laudes cane.
Examinate facta. Censetis manûs
Vigore stratas belluas? quantô dolus
Errore ludit! nempe Thessaliæ vigor
Adhibitus herbæ, Colchicæ fraudis labor,
Magicumque carmen ensibus fecit viam,
Irasque ademit belluæ, ut posset minus.
Spect. 1. Corripite saxa manibus, hoc nimbo decet
Perire, quisquis arte Thessalicâ valet.
Ischyr. In innocentes ardet invidia novis
Succensa flammis *Faust.* Testor errantûm polo
Agmina corusca siderum, ferro viam
Hæc dextra fecit.
Sac. 1 Colchico cantu potens.
Spect. 1. Ad carceres. *Spect.* 2. Ad carceres.
Spect. 1. Tetros specus,
Habitata lemuribus antra.
Spect. 2. Nocturnum chaos.
Spect. 1. Scelerum latebras.
Spect. 2. Antra pallentum. *Spect.* 1. Ad stygа.
Et si quid ultra Tænari claudit furor.
Faust. Quantum nocere invidia, cum lives, potes.
Isch. At cum nocere plurimum tentas, faves.
Quemcunque dente rodis, eximium probas,
Namque invidere, nisi bonis, nunquam potes.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Hildegardis Ischyrionis, ac Faustini, quos certantes viderat, amore tacta, in spem venit sua per hos Iuvenes libertatis indipiscendæ.

Hildegardis.

Nescio, quis ignis pectori illapsus cremat
Imas medullas: vultus, & frontis decor,
Juvenilis ardor, mentis intrepidus tenor,
Animusque constans, rebus adversis manus
Exercitata, radius oculorum gravis,
Nil humile produnt. Majus hæc aliquod bonum
Fortuna velat. Nec tamen totam potest
Velare, quin se luce manifestet suâ.
Virtus latere nescit. Erumpit. Suo,
Quamvis tegatur, igne sublustris micat.
Grande aliquid ille lenis oculorum mihi
Promittit arcus; illa non nocui manus
Vindex puelli, quamque servârunt Dii
Contra feroces bella portantem feras.
Quid si, Hildegardis, illa tot factis gravis,
Tot dextra palmis nobilis, nostri quoque
Vindex, reponat patrio memet lari?
Par illa tantis ausibus certè est manus,
Par illa virtus. Ah satis tandem, satis
Sit Hildegardem Principis natam, sui
Luctum parentis, & sibi, & Patri gravem
Latuisse fanis, impiis mixtam sacris!
Amor Parentis, pulchra libertas mihi
Mentem lacessit. Una spes fulget polo

Mittente tantis rebus Ischyrion. At heu!
Antro tenetur, & catenarum gravi
Pondere ligatus, vix solo attollit caput,
Et hic nefandis eximet temet sacris?
Hic servitute solvet? & vindex suæ
Dabit Hildegardem patriæ? ipsa eheu! tuas
Spes Hildegardis decipis! magnum malum est
Amoris ignis: si semel pectus cremat,
Plerumque fumi nubibus mentem eripit.
Sed tamen & intus voce secreta urgeor.
Aggredere facinus, parva qui nescis amor.
O carcer! O si frangere hac detur tuas
Manu catenas. Eripit memet mihi
Generosus ardor. Fraudis inveni modum;
Quis Hildegardem prohibet accessu specus?
Quidquid sacrato Virginum numero licet,
Licet Hildegardi. Sed quis approperat gradum?
Araspus ipse est: ille consilio, & fide
Consilia nostra fulciet.

SCENA OCTAVA.

Aperit Araspo suum Hildegardis consilium de Ischyrione ac Faustino, de se etiam per illos liberando; ac multa dissuadentem tandem in suam adducit sententiam.

Hildegardis. Araspus.

Araspus. - - - - Quæ te hic moræ
Tenuêre solam? *Hild.* Rebus afflictis ades
Lux & levamen. *Arasp.* Aliquis in pectus dolor
Repentè fusus mentis exturbat statum?

Hild.

Hild. Non humile mente volvo consilium, exitûs
Anceps futuri *Arasp.* Prome, si recti modum
Suggerere nostra posse consilia putas.
Hild. Juvenes, frementes prælio quorum feræ
Exercuere dexteras, menti altiùs
Adhuc inhærent: casta me pietas trahit
Repleta cœlo pectora, gemellos specu
Solvisse juvenes.
Araspus. Quos amor fluctus movet?
Res ista nimium est lubrica, & propior neci:
Tibique & illis aleam extremam jacis.
Hild Urgeor in ausus. *Ar.* Lege rationis preme
Æstus amoris. Sæpè delusæ spei
Lugere debet damna, qui præceps nimis
Provolat in ausus Certum in exitium trahunt
Te spes dolosæ. *Hild.* Sæpius lusæ spei
Deflevit ille damna, qui lentus nimis
Tentavit ausus. Hora, quæ semel exiit,
Nunquam redibit. Liberos luci dare
Quos nunc valemus, post dies nullus dabit.
Araspus: Quâ nunc valebis arte?
Hildegardus. Quàm tutò sequar.
Arasp. Amor Argus aliis sæpiùs cœcus sibi est.
Hild. Amor Argus aliis, & sibi est Argus; cui
Pietas oculus est: ille, quem cœcus puer
Accendit, ille cœcus in damnum ruit.
Me mel or urit flamma, quam cœlo Deus
Spe patriæ animat. *Arasp.* Quisque consilia sua
Putat esse cœlo nata. Non vitium leve est,
Opinionem propriam in gravibus sequi.
Hild. Nec summa laus est; cùm tibi credas nihil,

Opinioni credere alterius nimis.
Neque tibi nimium crede, neque nimium alteri.
Hoc tamen Araspe crede, perfectum dabo.
Nam prosper arma porrigit cœli favor.
Spondetque palmam.
Araspus. Certa sic tibi est salus:
At me vereri multa non unus dies,
Annusve docuit. Finge penetratos specus,
Pedibus soluta vincula, & luci datos;
Qua te solutam posse de fano eripi
Ratione speras *Hild.* Quid virum vanus sopor,
Et umbra terret? *Arasp.* Sæpius spectrum fuit,
Quod credis umbram.
Hild Mentiar amictu virum;
Suspicio nulla vestium fraudi subest.
Tu mihi fidelem Araspe, dum factum coquo;
Impende dextram.
Araspus. Vix habent fraudes locum.
Hild. Si non habebunt, hæc manus faciet locum.
Ara. Non semper est laus facere, si facti subit
Te pœnitudo. *Hild* Sæpe quod factum dolet,
Fecisse laus est. *Ara.* Ratio non casus probet.
Hild. Natura, pietas, ratio, consilium probat.
Arasp. Nihil refragor: vereor hoc unum tamen,
Ut destinatus subeat eventus rei.
Non semper hilaris finis, ut initium fuit.

CHO-

CHORUS.

Idololatria Saxoniam in Labyrinthum inducit, comitatur Fides: errores detegit: armat contra Minotaurum: armata Minotaurum occidit. Victa Idololatria per ventos avehitur. Saxonia vires Fidei agnoscit, & prædicat.

Pars prima.

Idololatria blanditur Saxoniæ, in Labyrinthum inducit.

Idol. Bellorum satis est. Ite pericula
Jurgantis pelagi, & per mare fluctuum
Errantûm rabies. Tu lege lintea;
Ventorumque gravi libera murmure
Navis mordeat anchoram.
Fides. In portu quoque sunt sæpè pericula.
Idol. Hic vultus Zephyri mitis inambulat,
Et lucum facili temperat halitu.
Fides. Immites Boreæ tunc furias time,
Cùm miscentur Etesiæ.
Idol. Hîc circùm Tyriis ducta rosaria
Curvantur cameris. *Fides.* Vera pericula
Falsis deliciis nosce recondita.
Idol. Hic flores radiant. *Fid* Floribus abstine:
Quos vix hora videt, rapit.
Idol. Hîc umbræ viridi circumeunt foro,
Cristatosque apices subter amœniùs
Rident *Fid.* Perpetuæ hæc prodroma noctis est
Umbra. *Idol,* Hic se fluvii lympha levis fugat.

Fides. Ut det naufragio ratem.
Idol. Hortorum interior scena, superbior
Est sedes Charitum. *Fid.* Non remeabili
Sed fraude illaqueat: *Idol.* Blanditiis favent
Hinc ver, hinc Charites: *Fid.* Blanditiis quoque:
Hinc ver, hinc Charites necant:
Saxon His nolim fragiles conditionibus.
Emisse illecebras, aut leve gaudii
Fucati folium. Tutius avoco
Mentem deliciis; quando sequentibus;
Conflant gaudia sentibus.

Pars secunda.

Saxonia armatur, & Minotaurum conficit.

Fides. Sed perge; intrepidis passibus avios:
Mæandros preme: dum stamina porrigo.
Frustra est solliciti cura periculi:
Errorisque metus, cùm dubiis Fides:
Mentem erroribus eximit.
Sax. Quod monstrum video?
Idol. Quo pereas. *Sax* Fides!
Fid. En scutum Fidei, telaque Spiritûs;
En solis radios. Discute nubila,
Quæ monstrum tragico fumat anhelitu.
Istâ casibus eripe.
Te victrix galeâ. Fulmine ferreo
Devotum stygiis ignibus immola:
Monstrum: quo referas non leve nominis
Pondus deposito. *Sax.* Surrige noxium,
Toto vertice toxicum.

Quid

Quid spectas latebras? *Fi.* Non bene sustine:
Splendorem Fidei. Lumine veritas
Gaudet; Cymmerijs error inobsequens
Involvi tenebris. Quid dubitas? feri.
Orco victima concidat.

Pars Tertia.

Fugit per aerem Idololatria. Saxonia Fidei vires agnoscit.

Idol. Actum est. Interij! Vulnere saucius
Taurus sanguineo flumine cornuum
Demersit rabiem. Tollite me Noti
Per nubes famulo tergore; funeris
Extremi ut fugiam vices.
Fid. Vixit terribilis prodigialium
Monstrorum feritas vulnere non levi.
Sax Verum est (ò decimi credite posteri)
Sicû: Diva Fides pectora roborat,
Nullo sternitur impete.
Verum est: cûi timidam dexteram acinace,
Et levam clypeo, & casside verticem
Præmunit; calidos suggerit impetus
Et vires animo. Dicite posteri:
Empta est vera salus fide.
Verum est: per dubias quem trahit avium
Error delicias, stamine dirigit
Incorrupta Fides; nec patitur dolis
Circumtexi animum. Dicite posteri:
Empta est vera salus Fide.
Hoc armata Fides pugnat acinace:

Hanc monstris pietas objicit ægida:
Hoc filo dubios explicat exitus,
Ambagesque loci. Dicite posteri:
Empta est vera salus fide.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

Vitigindus Dux castra Caroli explorat: Carolum, ac militem orantem deprehendit. Visis de cruce portentis terretur.

Vitigindus. *Carolus.*

Vitigind. Mendace tectius veste trepidantem gradum
Importo castris Caroli. Fateor metus
Per ossa friget; imperant curæ tamen,
Timore pulso, regna, queis leges damus,
Etiam tueri capite venali. Deus
Nos esse Reges voluit, ut curas suas
In nos reclinet: ille quà mundus patet,
Promittit oculos: si poli Regem Deum
Lubet æmulari, regna quà patent, decet
Vigilare curas regias. Ille in polos
Si quis Mimantis æmulus montes rotet,
Aut saxa centum manibus Enceladus vibret,
Ultrice sævus dexterâ elisos polos
In tela rumpit; quaque micuerunt minæ,
Non segnis armis obviat. Eadem decet

Virtu-

Virtute Reges, parte quâ excidium furor
In regna portat, obvium fulmen dare.
Hoc ago, profundæ vallis exploro sinus,
Aciemque & arma Caroli. Sed quis sonus
Increpuit aures? Tacitus in densas gradum
Subduco latebras. Quantus umbrosa latet
Miles sepultus valle! quis tacitus stupor?
An mœror aliquis est? an insidiæ, & doli?
Carol. Reges adesse convenit, quando prece
Supplex in arma miles implorat Deum:
Exempla Regum lenius plebi imperant.
Quo sæpè lex non cogit, exemplum non trahit.
Procumbe mecum, quisquis è cœlo, Deo
Moderante, credis prælia, & palmas regi.
O cui cohortes mentium, cœli agmina
Alata semper militant, cujus cadunt,
Surguntque nutu regna; qui palmas manu
Diribitor aquâ dividis: semper tamen
Ad æquitatem respicis causæ: tibi
Si causa nostri arrideat belli, vide
Hæc pronus arma. Nulla nos urit sitis,
Ambitio nulla cogit ad ferrum manus;
Tibi militamus Numen; accensos tibi
Proferimus æstus pectorum, quaque emicant
Invisa cælo monstra, Tartareo specu
Progenita soboles, Numinis famam tui,
Tua signa Christe profero, melior nequit
Mihi militare causa, quàm tu, mi Deus?
Vitigin. Heu me! quid illic video? Christiadum cruces
In arma, in enses promicant certatim.

Angelus

Angelus. In hoc
Signo Imperator vin. e. Vitis: Victorem quoque
Nondum peracto prælio cœlum canit.
Vitiginde quid molimur ? in nostras neces
Hæc arma vigilant ; Carolo certam canunt
Hæc arma palmam : Vera si canunt tamen.
Gens ista Magicos fraudibus nectit dolos,
Artesque ducit Tænaro. terrent minæ,
Sed facta desunt. stipiti affixus chalybs.
Quid possit, artes militis nostri dabunt.

Scena Secunda.

Carcerem invisit Hildegardis. Vinctorum casum intelligit. Libertatem eis offert, si eam sitsuri sint innocuam parenti: pollicentur.

Hildegardis. Isthyrion. Faustinus. Hiacynthus.

Hild. Remedia tempus dubia præcipiti malo
Posset parare; certa vix poterit tamen.
Popæ furores rara demulcet mora;
Quos furere justè larva pietatis malè
Prætexta suadet. Rumpo, dum fas est, moras;
Antrumque subeo; prima quo lætæ spei
Aspirat aura : qui dies circum suæ
Irradiat auro lucis; obscuras nimis
Mihi parit umbras : semper in juvenum caput
Jam jam cadentis terret obrutus meos
Ictus securis. Nullus observat gradum ?

Tuta Hildegardis scena consilijs patet.
Subeamus antrum. *Isch.* Claustra sonuerunt specûs:
Suprema nobis luxit ad mortem dies.
Eloquere; lethum nuncias? pectus gero
Non imparatum: mortis assuevi minis.
Hild. Meliora juvenes! fata quantumvis tonent
Propinqua ferrum, & cote centenâ micet
Acutus ensis; blandus astrorum tamen
Aspectus enses sanguinis calidos siti,
Avidumque chalybem cædis, à vestris procul
Verticibus arcet: vinculis solvi placet
Manus, pedesque? *Faust.* Nempe ut & collo caput
Solvatur: Edic, fata si portas? lubens
Jugulum parabo. Si qua te moveat tamen
Pietas, puellum subtrahi ferro peto.
Hild. Et vos ademptos funeri vitæ dare
Mens est, & arctâ solvere antrorum morâ;
Isch Mors una solvet: funeri primis puer
Assuetus annis, quando me patriâ domo
Pirata rapuit, juvenis ad honestam necem
Damnatus inter belluas, seu quas nemus
In me incitavit, seu Sacerdotum furor.
Hoc nempe didici; Stare, cùm tragicum venit
Mors in theatrum.
Faust Militi laudum ultima est;
Cecidisse honesto funere. *Hild* At quando potest
Injicere honesta vita funeribus moram,
Mors minus honestâ est.
Isch. Turpe medicamen pudet.

Ad-

Adhibere morbis. *Hil.* Turpius vitâ est, mori,
Cùm vivere licet.
Faust. Quando vel licitum est mori,
Vel longiores ducere precatu dies;
Mortem impetratæ præfero vitæ bono.
Vita impetrata semper alterius bonum est.
Isch. Servire voluit, per preces quisquis breve
Mendicat ævum: servitus pejor nece est:
Ne serviamus colla serienti dare
Lubet securi. Liberum memet facit
Natura, leges, indoles, Genitor, Deus.
Non vendo jura, binus ut forsan dies
Vitæ in tributum veniat.
Hildegardis Hoc proprium malum
Longa subactos clade persequitur, fidem
Animumque rebus credulum nullis dare.
Quod ergo mentis altius pungit sinum,
Aperire liceat. Fausta vos rebus meis
Juvenes tulerunt astra: libertas meæ
Vestrâ redempta stabit. Hic sani Deo
Ministra turpe semper obsequium fero.
Pudet Hildegardem turpis officii. Pudet
Inter secures sanguine infectas, manus
Adferre ad aras, Vestra libertas meæ
Una est redemptrix: Innocens vobis puer
Hiacynthus iras pectori ingessit pares:
Vocat Hildegardis innocens, quondam suo
Erepta soboles, scelere Mystarum, patri.
Fa. Ischyrio! *Isch.* Si me carcere exemptum dabis,
Tentabo vires. Semper innocuum manus

Defen-

Defendit iſta ſanguinem. *Fau.* Et fauſtum Dii
Semper dederunt exitum. *Hil* F. audi quoque
Huic ſpero facilem. Iſchyrio, ſi ſpondes mihi,
Poſt has latebras ſiſtere innocuam patri;
Dabo reſolvi pedibus æratas moras.
Iſch Pura innocensque & tuta ſiſteris patri.
Hild. Sperate: factum cernet hic Sol, quod ſequens
Miretur actum, quodque poſteritas neget
Potuiſſe fieri. *Iſch.* Fine meliore ut cadant
Meditata, calida Numen accedam prece.

Scena Tertia.

Geronda, Hildegardis æmula, invidiâ mota abit, ut Hildegardem accuſet, quod Aven inimicis tradere, & bona Pontificum peſſundare moliatur.

Ger. Deprenſa fraus eſt. Hactenus crebro nihil
Dolo peractum eſt; Syrtibus adhæſit ratis:
Et ſæpè cæptus, ſæpè disjectus quoque eſt
Furoris ardor. Hactenus fulgur dedi;
Quod tento poſthac, fulmen eſt. Nam quid tibi
Volante criſtâ pileus, multâ rigens
Gemmâ virilis habitus, & cruri ocrea
Aptanda, calcar ocreæ, & lateri chalybs!
Ex quo ſub iſto degit Irminſul lare,
Tam dira ſcelera nullus aſpexit dies.
Quod Hildegardis corde meditatur nefas.
Quæ ſcelera volvit? quidquid hoc ſit, nil agit

Mulier honeſtum, quando mentitur virum.
Adeo Senatum præſidem loci, fero
In ore crimen; illa quod gremio gerit.

SCENA QUARTA.

Hildegardis mutato ad fugam habitu carceres adit

Hildegardis, Araſpes.

Hild. Monet hora. Vixdum licuit induere virum,
Quæ reliqua ſuperant, ſangere, actutum expedi.
Araſpe, quid animi eſſe ſimulato viro
Ad tanta credis auſa?
Araſp. Quem poſcunt ſibi
Meditata fata. *Hild.* Fateor indutu virum
Simulo, ſed animus fœminam nondum exuit.
Pavor per imas oſſium attonitum vias
Trahit rigorem. Concuti non eſt probrum,
Sed excuti animo. *Araſp.* Semper herous vigor
Trepidat initio: magna meditantem pavor
Primum coarctat: ſed ſtimulus ille eſt pavor
Ipſi rigori. *Hild.* Qualis hoc cinctu tibi
Videtur Hildegardis? *Araſp.* In Martem ferox
Hoſtem exciturus hoſtis externâ micat
In veſte; major animus interius latet.
Hild. Sic eſt: inauſa fœminæ attento: pares
Sed corda vires fulciunt. *Araſp* Cauto tamen
Incede greſſu. Magna vigilantem volunt
Cautumque. Fortem non minus facit animi

Cau-

Cautela; quam vis roboris: geminâ hac notâ
Dignosce fortem, si pariter agit, & cavet.
Hild. Age hoc Araspe; quando meditatis vigil
Desideratos exitus rebus paro,
Instructa navis lina fugienti explicet.
Arasp. Propera, calentes sæpè vitiantur morâ
Mentis favillæ. Qui citò fervet, citò
Defervet ignis. Sana consilia bonum
Non sortiuntur exitum, ubi nectunt moras.
Differre fraudem, & exitum nolle; est idem.

SCENA QUINTA.

Geronda apud Pontifices Hildegardem accusat.

Geronda. Sacerdotes. Præfectus vigiliarum.

Sa. 1. Et Hildegardis prodere inimicis Aven?
Tradereque secum opima Pontificum bona?
Tam turpe, tam palmare, tam dirum nefas
Ausa Hildegardis? *Ger.* Hoc novum credis?
malum
Non quando paret, incipit, Quidquid nocet
Antea nocendi semina in fibris gerit.
Sa. 1. Hæc Hildegardis? tuque qui cœlo præes,
Innocua volvis sidera Irminsul polo?
Necdum tonante ab æthere elisis ruit
Fulmen procellis? languide in pœnas Deus,
Reseque Numen! quid Giganteas juvat
Reprimere vires, si Giganteo furor

Ma-

Major furore Numinum incestat domos?
Si pharetra necdum vidua, si necdum suos
Sopivit ignes Lypara, si Lemnus calet,
Incumbe in iras maximè Irminsul, polo
Committe nubes, bella ventorum cie,
Dirumq; ue ruptis nubibus collum preme.
Sed quas futuri criminis prodis notas?
Geron. Non una superat. Namque quid toties specum
Vinctosque visit? *Sac.* I. Nempè Vestali licet.
Vix credo; facinus certa nisi probet nota.
Errare Judex facilè deceptus potest,
Qui facilè credit. Parca tunc licita est fides,
Credenda pretio multa cum prostant levi.
Ge. Cum pauca credunt Judices, peccant magis.
Ad scelera sternit semitam Judex, parum
Quicunque credit. *Sa.* I. Pressa justitia jacet,
Si cuncta credant Judices. Pars altera
Est æquitatis, ut nihil credas, nisi
Anteà probetur. *Ger.* Signa si poscis, dabo,
Quid ille clandestinus umbrosi specûs
Accessus? ille vestium, & cultûs viri
Novus apparatus? Crede, cùm mulier virum
Induit amictu, vix habet signum sui
Sac. I. Natura geminâ Judici bono viâ
Patefecit aures: audiat multa; at parum
Ut credat. *Ger.* Imò plura crede, quàm audias;
Antiqua lex est. Judicis, plura addecet
Te suspicari, quàm vagus rumor ferat.
Sa. I. Sic est: petatur illa, ne prior petat.
Fortuna solita est antevertentem sequi.

De-

Defendat ædes miles, & Martem foro
Teneat paratum jussibus nostris cohors.
Tua ista cura. *Praf.vig.* Nulla retinebit mora.
Sa I. Ego turris altos carceres, tetros specus,
Et antra stygijs æmula sacratâ manu
Stipatus adeo. *Ger.* Vivo! jam fausto volat
Spes nostra Ponto. Quando tua dubio natat
Ratis Hildegardis Æolo: felix meæ
Aspirat aura: quà peris, vitâm traho,
Ibi vivit hostis tutior, ubi hostis perit.

SCENA SEXTA.

Extemporaneæ per urbem disponuntur excubiæ

Præfectus vigiliarum.

Nunquam acriores fronte spiravit minas
Princeps sacrorum. Valida tempestas tenet
Oculos, & ore fulmen elisum crepat.
Parere nostrum est fulmini. Muros tene,
Viasque claude miles: hic fanum obside.
Hostile nequid civium attentet furor,
Aut Hildegardis fortè scrutata exitum
Effulminandi subtrahat dextræ caput.
Tumultus absit, arma dissimulet quies:
Ferrum paravit cautior, quisquis tegit.
Vos huc & illuc: quisque vigilantem sono
Impendat aurem, & servet attentus vias.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Hildegardis in ostio carceris cum Iuvenibus ad fugam paratis deprehenditur.

Hildegardis. Ischyrio. Faustinus. Hiacynthus. Sacerdos 1.

Hildeg Hinc iter in altum est, solvimus faustâ alite.
Isch Nondum tenemus tuta.
Hild. Principium bonum
Pars media facti est, Ergo quod Superi bonum
Faustumque jubeant! æmulos Diti lares
Deserite mecum: rumpite excessu moras
Ne quod parandis supetat tempus dolis.
Anteoccupate, parva quod difflat mora,
Tempus salutis. Sæpè destruxit dies
Medius, quod anni mille struxerunt opus.
Properate: celeri vita dependet fugâ.
*Sa.*1. Siccine profundi Ditis extremo satu
Malè fusa soboles, spuma Tartarei canis,
Et fax Averni, tæda Thisiphones, trucis
Flagrum Megæræ: siccine in cœlum? ah pudor!
In sacra! jura gentium! tantum! tam atrox!
Tam insigne, tam palmare tentatis scelus?
O turpe monstrum sæculi! quodnam malum est
Muliere pejus? sceleris est omnis capax
Dolosa mulier; innocens vultu, nocens
Latente fraude; gestibus pia, at impia
Mentis recessu: blanda sermone, at ferox,

Si

Si robur adsit. Virginem fingit genus,
Corde impudica est; voce mentitur fidem,
Dolosa factis: pacis inimica exerit
Vultu quietem: fronte probitatem explicat,
Et mille fraudes corde fallaci tegit.
Furiale monstrum peste Tænariâ satum.
Hia. In innocentes ista tempestas furit.
Isch. Venerande cœli Mysta, si frænos tuo
Ponis furori, purius lucem bibes.
Sac 1. Occulta credis ire consilia tua
Cruenta, dira, infanda, sacrilega, impia?
Meridiano clarius phœbo micant
Aperta cœlo. *Hild.* Numen appello innocens.
Sac. 1. Quod impiasti. *Hild.* Lumen astrorum invoco.
Sacer. Te damnat illud.
Hild. Vestis hæc, lingua est poli?
Sacer. Nimium locuta.
Hild. Signa quæ faciunt ream?
Sac. Mutata vestis, tempus, & socij, & locus.
Hild. At mihi licebat adire tenebrosos specus.
Sac. At veste non mutatâ.
Hild. An hoc vesti putas
Minimè licere? *Sac.* Virgini castæ licet.
Hild. Talem Hildegardem Cœlites ipsi probant?
Sac. Talem Hildegardem vestis & socij negant.
Isch. Si tempus istud, vel locus culpam notat,
In nos refunde. *Sac.* Scilicet turris reos
Et vos, & illam claudet obscuro specu.
Obscuriorem miles in turrim trahe,
Multoque cinge milite, *Faust.* Feramus pari,

R Hanc

Hanc mente fortem, qua catenatos malæ
Tulimus furores. *Isch.* Dira quem cœpit semel
Fortuna premere, dum opprimat, semper premit.
Sa. Sistite. Cruenti machinam hanc struxit doli
Fraus nota Araspi.
Hild. Dira suspicio! improbos
Probosque eodem turbine involvis. Semel
Cùm peccat ira suspicax, quidvis timet.
Sac. Ite hinc, Araspum carceri, & vinclis date
Juvenesque socios ista, Thisiphone satus,
Huc ad tribunal tracta, pro causa sua
Peroret antè, quàm tribunalis cadat
Damnata voce. Judices causam prius
Audire par est, quàm neci addicant reum.
Quisquis petenti non dat auditum reo,
Ut æqua judicârit, haud æquus fuit.

SCENA OCTAVA.

Araspus captivus ducitur.

Araspus. Miles,

Araspus. Me vos ad antra?
Miles. Ad luce viduatos specus,
Exilia Solis, Tartaro affines domos.
Arasp. Nam quæ me Araspum culpa damnatos jubet
Dies sub antro ducere? vigil as poli.
Chorosque nitidos testor, astrorum Patres,
Simulque populum, invidia me facit reum

Non

Non culpa mentis. quidquid est gestum, geri
Lex exigebat. Si qua me tangit tamen
Culpa, pietatis illa, non sceleris fuit.
Sed imperáta miles ad finem trahe;
Mihi & sub antro pura lucebit dies.
Sol innocentis vultui obnubi potest,
At innocentis eripi menti nequit.

SCENA NONA.

Hildegardis coram Magistratu causam dicit: tactu candentis ferri ejus probatur virginitas; ac demum urgente sacrorum Pontifice rea mortis proclamatur.

Hildegardis. Sacerdos. Magistratus.

Sac. Exigite causam Judices: solitus rigor
Teneat tribunal: patrias leges, sacra
Et jura gentis, civium lares, bona,
Hæc una causa versat. *Iudex* 1. In causam rea
Orare si quid postulas, ora: licet.
Hild. Quæ judicandi ratio? quæ leges? prior
Ut rea perorem? quisquis accusas ream,
Ostende crimen. Nemo se purgat prior
Quàm crimen irrogetur.
Iud. 2. In temet tuos
Converte vultus: ipsa tu crimen tuum es.
Mentita sexum veste, non unum coquit
Sub corde crimen. *Iudex* 3. Ausa sacrilegum pedem
Efferre templis, seque furari Dijs

Non innocentem se probat. *Iud.* 1. Tetri specûs
Deprensa in ore, postque compedibus reos
Juvenes solutos, tota properantem in fugam
Intenta; non est innocens. Nam cur fugis
Si nulla damnat culpa? quem nullo premit
Morsu Chelydrus mentis, hic constat sibi:
Contaminatæ mentis indicium fuga est.
Iud 2. Eloquere jam Hildegardis in causam tuã,
Manifesta si quid scelera te fari sinunt.
Hild. Tria Hildegardem, Judices, ream probant:
Mutata vestis, exitus fano, & fuga
Tentata. Fateor fœminam veste exui,
Virumque sumpsi: fateor è fano exij,
Celeremque nimis incauta tentavi fugam.
Sed neque virilis cinctus, aut fano exitus,
Aut fuga nocentem me probat: fateor tamen,
Fateor nocentem memet, & gemino ream
Culpæ; quòd isto tamdiu vixi loco:
Citius decebat facere, quod serò nimis
Tentavit Hildegardis, & mortis timor
Semel oppetendæ, debuit nunquam hanc mihi
Necessitatem ponere, ut moriar diu.
Crimen fatentis alterum est, quod tam grave,
Tam gloriosum facinus incauto nimis
Aggressa initio, fine fraudârim suo.
Hæc Hildegardi consciam mentem premunt.
Iud. 3. Hæc ad tribunal?
Hild. Innocens nullum fori
Metuit tribunal animus, & constat suâ
Securus innocentia. *Iud.* 3. Quonam probas
Te non nocentem teste? *Hild.* Non eget; cui
Est

Est testis animus ipse. Naturam sequor,
Dum jura libertatis inquiro. Hanc licet
Avibus ferisque quærere, & crimen mihi est?
Mihi sacrilegium? Fortè si bello forem
Captiva ducta, quærere liceret fugam;
Quod rapiar, una Principis soboles Patris,
Jus perdo libertatis, & nostram est nefas
Quærere salutem?
Iud. 1. Quærere salutem tuam
Si jus sinebat: vincula reorum tamen
Rumpere vetabat.
Hild. Jura, quæ dederant fugam,
Eadem sinebant media: quos cœco specu
Mecum extrahebam, media credebam meæ
Futura libertatis Hoc uno rea
Moriar libenter: sera posteritas tamen
Hoc in tuarum censibus laudum canet,
Quòd innocentem, Regis abneptem, satam
Principe parente, scelere Mystarum suo
Raptam parenti, Virginem intactâ viro,
Crudâ petemptam cæde, submersam, suo
Sanguine sepultam, victimam infandis Dijs
Dicâris. At si conscius recti mihi
Non loquitur animus falsa, fors superos adhuc,
Adhuc & homines cura mordebit mei.
Fors Gange quondam clara nascetur dies,
Quæ me innocentem vulget, & verum mea
Post fata serò in cinere patefactum probet.
Iud 1. Inclinat animum causa. Naturam sequi
Quisnam vetabit? *Iud.* 2. Monstra libertas
movet.

Civesque nemorum belluas; quidni & fibras
Solicitet hominis?
Iud. 3. Capta, quà potuit, fugæ
Scrutata portam, criminis nullam potest
Traxisse maculam.
Iud. 1 Traxerit, tamen aliquid
Dandum mulieri est, aliquid ætati quoque.
Sa. 1. Æqui memento, quisquis ut Iudex sedes.
Natura non tuetur in Superos ream.
Natura crimen diluat, nullum scelus
Posthàc in orbe est. Crimen excusat fugæ,
Si nempè fuerit capta, non templo suis
Dicata votis. Media fugiendi reos
Dedêre juvenes fata. Sic vobis rea
Probavit innocentiam? certè est nocens,
Quæcunque juvenum amore deseruit Deos.
Ut innocentem se probet, castam probet.
Hild. Nihil verebor: si Deos frustra invoco
Testes pudoris, torris innocuam probet
Esse Hildegardem, torris antiquis avis
Testis pudoris. *Iud.* 1. Torris accensis micans
Undique favillis dextræ insertus, ream
Vel Hildegardem sceleris infandi arguet,
Vel ille pœnis eximet. *Sac.* 1. Torrem date.
Hild. Te Phœbe testor, vosque lucentis poli
Sidera, minores gemmulæ; innocuam manum
Admoveo ferro. Judices, vestros quoque
Nunc testor oculos, innocens sceleris probor
Docente ferro. *Sac.* Scilicet non est nocens,
Quæ Thessalo ignem carmine incantat. Pudor
Venalis omne facilè persuadet scelus.

Nihil

Nihil veretur Colchicas artes, pudor
Cui nullus animo est.
Iud. 1. Innosens virgo licet
Possit videri, dubia versatur tamen
Utraque lance causa. Ne præceps nimis
Judicium aberret semitâ recti, morâ
Scelus exigatur. Veritas morâ patet.

CHORVS.

Saxonia per Fidem de Hæresi triumphat. Fides viam Crucis Saxoniæ ad cœlum sternit; Gratia eam sinu excipit.

Pars Prima.

Saxonia triumphat de Hæresi; & gloriam suam Carolo Magno adscribit.

Saxonia.

Devota Averno victima, Cerbero
Prognata proles, Thisiphonæ satus,
Monstrum pudendum, virtus Orci
Tartareis malè fusum ab antris,
Victrice tandem procubuit manu;
Fidemque lætâ pacis in Iride
Evinculatæ per redemptos
Saxoniæ dedit ire campos.
Imus, patentem quà moderabili
Mavorte sternis Carole semitam;
Quà signa bellorum tumultus
Pacificâ moderantur aurâ.
Imus; solutam seditionibus

Terram occupamus; quam prius Hæresis
Armata centum sauciavit
Flagitijs, scelerumque monstris.
Triumphe! Regum gloria, Carole,
Et maximorum Maxime Cæsarum,
Sidusque terræ; quem veretur
Pax rigidis reparata bellis.
Triumphe! Regum hæc maxima gloria est,
Quà bel a portant, pacis amœnius
Inferre vexillum, fidemque
Perpetuâ stabilire sede.

Pars Secunda.

Fides viam Crucis Saxoniæ ad cœlum sternit.

Fides.

Tumultuantûm prælia militum,
Densumque Martis lambere pulverem
Desuesce Virgo; cùm serenum
Pax aperit sine nube cœlum.
Assuesce Divis: & tenues supra
Nubes jacentis plebis inambula;
Quà vecta curru florulentum
Diva sinum Charis explicavit.
Inscende cœlos. Hâc ego semitam
Ad astra sterno jam melioribus
Flammis calenti, delicatis
Non pedibus benè metiendam.
Crux una certa est semita siderum.

Pro-

Procul beatâ devius orbitâ,
Totoque cœlo exerrat; odit
Quisquis iter Crucis ambulare.
Inscende cœlos. Jam tibi Gratia
Frontis serenis nictibus annuit:
Jam voce compellat morantem:
Jam faciles tibi pandit ulnas.
Arrepta, semper profuit: at semel
Neglecta, nunquam se dedit obviam.
Ut fulmen apparet, fugitque.
Ne fugiat; cape, dum vocaris.

Pars Tertia.

Gratia suo sinu Saxoniam excipit.

Gratia.

Agnata cœlo, non pereuntium
Hæres bonorum Gratia, Numinis
Genus supremi, sublevatam
Terrâ animam, patrioque sensus
Cœlo involantes nubibus eximo
Errantis umbræ, & scribo domesticos
Cives olympi; dexteræque
Sceptra fero, diadema fronti.
Victoriosas agminis aspice
Læti choreas, & numero polum
Denso serenum. Quot videbis
Ire Duces, rutilique claros
Cives olympi; tot numera meæ
Exempla dextræ, Namque ego mentium

Caliginosas in tenebras
Fundo diem meliore luce.
Sponte occupantes incito; semitâ
Exorbitantes mollius increpo,
Viaque reddo: fulminantis
Concutio facis igne duros.
Ades; perennes ambitiosior
Subire cœlos, te prius in sinum
Infunde nostrum: te beatâ
Cœlicolûm regione sistam.

ACTVS V.

SCENA PRIMA.

Confligit cum Carolo Magno Vitigindus & superatur. Animum ad fidem Orthodoxam adjicit, Carolus Heresburgum tendit.

Vitigindus. Carolus. Arbastus. Ferrandus. Theonas. Olethrius.

Theonas Dux. RES in propinqua valle non certis adhuc
Ambigua signis nutat; Ærato micant
Sub Marte turmæ; gemina Cadmeo riget
Horrore messis; ira par, virtus, calor
Animat utramque. Signa concurrunt; ager
Decrescit armis medius; elisis volant
Et hinc, & inde spiculis mixtæ neces.

Utram-

Utramque magnæ prodigus vitæ calor
Aciem lacessit. Propera succursu cohors
Accede nostris; quaque te virtus probet,
Tecum ruinas, funera, & strages rape.
Eheu! quid ista militis sparsi fuga?
Oleth. Occidimus! uno patria interitu ruit.
Profuge Theona, terga victores premunt.
Theo. Ducemnè miles deseris? Ducem tuum?
Vitiginde! propera miles auxilium Duci.
Vitiginde! *Ole.* Fugite, Carolus victor premit.
Vitig. Ignave! turpe militis probrum, & Ducis
Pudenda larva! morere. Cùm mortem fugis,
Mortem mereris. Repete tam turpi fugâ
Deserta castra, ut sanguine effuso eluas
Vitiginde probrum. Vivere ut possis, decet
Magis perire: quando radiatum jubar
Quoties videbis Cynthij, toties tui
Testem videbis criminis. Pudet ah! pudet:
Spectare Solem, à Sole spectaris; videt
Ille mea scelera, sceleris ego testem mei.
Una eluendi criminis superest via,
In media rursum Martis infundi fora,
Et provocare fata, quæ timidus fugis.
Aude sub ora militis honesti tuos
Referre vultus; gloriam invenies, ubi
Perdes cruorem; vel probrum saltem elues:
Trepidantis animi. Sparsus heu! nostri ruit.
Huc turbo Martis, seque per campos fugat.
Consiste miles. *Olet.* Terga violentis premit
Ferrandus armis. *Vitig.* Pectus addecuit feris
Opponere armis. Primus exemplum dedi

Animi paventis, primus exemplum dabo
Mentis animoſæ. Puduit è campo pedem
Timidum extuliſſe; dedecus tantum ut luam,
Pectus reponam. Dedecus veſtrum pari
Redimite pœnâ milites. Si quis necem
Vobis parabit, pectus in murum dabo:
Nec antè veſtro vertici incumbet chalybs,
Quàm ſibi per iſtud pectus erumpat viam.
Olst. Fuge, fuge, magne Saxonum Princeps, fuge,
Poſt rupta caſtra militum, in fuga eſt ſalus.
Fer. Præferte miles avia ſequentem Ducem.
Arb. Captiva necdum præda Vitigindus, tua
Adorat arma miles, aut nondum Duces
Timuêre chalybem ſanguine? hàc rapidis fugam
Præverte fugijs.
Vitig. Eſtne, quem veteres canunt,
Irminſul aſtris? Chriſtianorum an Deus
Potentiore dexterâ mundum regit?
O Saxones erravimus! Non eſt Deus
Irminſul ille, ſanguinis flagrans ſiti,
Multaque cæde ſordidus, non eſt Deus.
Deus innocentes protegit, non enecat.
Unus rotator orbium flexus regis,
Unus procellas temperas moti maris,
Unus cruenta bella ſucceſſu regis,
Victoriaq́ue flectis arbitrio Deus.
Irminſul umbra Numinis, ſaxum rude eſt.
Hic ante ſaxum ſæpè lunatum genu
Tibi Chriſte primùm flecto, ſubmiſſo tuum
Adoro Numen poplite. Si victos ſuos

Im-

Impune vultus donet accessu,tuas
Lunare ad aras voveo submissum genu.
Car. Prosequere laudem miles. Hæc victoria
Gradus est futuræ. Fessa ne fidat manus
Dum plena vestros influat palma in sinus.
Campum tenuimus hactenus, sed nunc decet
Et valla, & urbes Marte generoso aggredi,
Properate,prima veniat in laudes tuas,
Quæ se modellis turribus terrâ levat
Parva Eresipolis. Videat hodiernus dies,
Et campo & urbe surgere triumphos tuos.

SCENA SECUNDA.

Parantur sacrificia. Victor approperare Carolus nunciatur. Diffugiunt Sacerdotes.

Sacerdotes 2.

Sac. 1 Ut dedicari Numini votum licet,
Sic dedicata vota persolvi est opus.
Ut nil vovendum facilè; sic quidquid semel
Vovetis ad aras Numini,obsequium dica.
Benè est: ad aras victima has tandem cadet,
Dilata toties: ille,quem nuper pater
Venatus inter alta sylvarum cava
Diis victimandum voverat. Calent focis
Aræ sacratis? *Sac.* 2. Et chalybe multo rigent,
Multoque cultro.
Nuncius. Terra quid nostros adhuc
Tergo penates sustines? *Sac.* 1. Quisnam impio
Canis latratu victimam rursum impiat?
Nunc. Dehisce tellus; tuque quæ modicas levas

 Urbs

Urbs parva turres, tecta in inferni specus,
Meritas latebras, gente cum tota abripe.
Sac. 1. Quod facinus adfers!
Nuncius. Mitte: quod dici jubes
Siluisse cupies. *Sac.* 1. Gravius arrodunt mala
Compressa mentem. loquere, quis casus premit?
Nunc. Occidimus! olim fuimus! ereptum Duci
Gradivus omne transtulit in hostem decus.
Sac. 1. Victorias? *Nunc.* Victoriæ quidquid valent
Secum in ruinam trahere.
Sac. 1. Num saltem Ducem
Fuga Vitigindum salvat? *Nunc.* In nemorũ cava,
In lustra raptus montium parvâ manu
Comitatus errat. *Sa.* 1. Dira Fortunæ manus
Quantâ repentè strage regionem premis!
Quò sua cruentus castra nunc hostis rotat?
Nunc. Mars in propinquo jam siti nostram suæ
Designet urbem, modica vix superest mora,
Aut jam subibit victor, aut muros premet,
Magnaque clade mœnia affliget solo.
Eripite Furiis Numina:
Sacer. 1. O tristis sonus!
Auditis? *Nunc.* Urbi clangit interitum tuba.
Eripite vosmet; hâc venit.
Sacer. 1. Capite hâc fugam.
Sac. 2. Properate cives, pandite æratas fores,
Exclusus urbe victor excidium feret.

SCE-

SCENA TERTIA.

Carolus urbem deditione accipit.

Carolus cum exercitu, Senatores, Caridus, Ferrandus.

Ferr. Ingredimur urbem cædis immunis cohors.
Cari. Auguste mundi terror, & Regum decus,
Supplex Senator urbis affatus tuos
Adire poscit. *Sen.* 1 Fulmen edomiti soli
Victorque Mavors; pone bellorum minas,
Et Marte laxa militem. Rumor tui
Qui prævolavit nominis, pariter metum
Pariterque amorem civium menti ingerit.
Utroque victi supplices pro te manus
Ad astra tollunt; quodque tibi sceptri decus
Dedêre Patres, protulit virtus, polo
Sic annuente in sæcula educi vovent;
Urbemque cedunt. Urbis in clavi accipe
Transcripta jura; nosque quo mundum soles
Complexu adopta. *Car.* Laudo maturo minas
Consilio abactas; ista tempestas loco
Funus ferebat ultimum. Sed me decet
Ut in obstinatos stringere severam manum,
Sic obsecutis pandere paternos sinus.
Non quæro nostri limites Marte Imperî
Proferre: signa Numinis quæro, & fidem
Inferre; quaquà cardo, vel limes patet.
Adeste cives undique, & tuti meis
Libate sceptris osculum. *Sen.* 1. Quamvis tua
Te bella pridem patrio intulerint polo,
Verende Martis terror; hoc laudem tamen

Tuam

Tuam ipse superas; nulla quod laurus tibi
Acerbet animum: quodque post palmas, tui
Victor, cruori civium parcas pius.
Sen,2. Suprema laus est Principi clementia.
Qui chalybis iras hoste jam domito tenet,
Se vincit ipse. *Se.3.* Magne populorum arbiter
Quæ vota nequiit nostra spes unquam sibi
Fingere, benignæ frontis excedis die.
Caro. Regem timere civis ignoret meus,
Amare discat. Patriæ patrem decet
Regem esse, cives filios. Natum Pater,
Patremque natus diligat. tutò meum
Vultum subire civibus trepidis licet.
Succede tectis Civis, & amico meum
Complectere animo militem, ac fesso dapes
Concede solitas: moxque mentitos Deos
Suis ab aris dirue in ferias stygi.

SCENA QUARTA.

Clodoaldus intelligit Carolum adesse, eique supplex accidit: in Deum credere jubetur: credit: visum recipit.

Carolus. Clodoaldus. Sandrianus.

Clod. Et cassus oculis vindicem quæro manum,
Duc me per ipsas urbis illustres vias.
Per arma media Caroli. Hoc unum precor,
Si quis cruore filii aspersus silex
Incurrat oculos, sinite postremo ut pater
Luctu osculetur; ne vel innocui parens
Nati cruorem proteram, vel mihi pedem
Prolis necatæ lubricus fallat cruor.

Pa-

Patuêre valvæ: sentio: immensus strepit
Nimbus volantis populi, & obsequiis Duci
Novis laborat. *Carol.* O miser Ducis status!
Clod. Quis hic procellis ingemit nostri malis?
Non ista vox est militis: majus sapit
Vox ista pectus. Quisquis hic damnis meis
Tactus dolorem prodidit, Regem puto,
Duc Sandriane. *Car.* Quis mei indicium facit?
Clod. Latere quamvis reliqua Clodoaldũ queant
Visu carentem, Carolus certè nequit
Latere memet: proditrix ipsa est sui
Heroa virtus. *Car.* Surge; sim victor licet,
Stantes videre malo, quàm stratos Duces.
Non, ut superbo vertices vestros teram
Pede, superavi. Non amo victoriam,
Quæ mihi decora capita substernit Ducum.
Hanc quæro, cujus pretia sunt Regum salus
Provinciarum vita, populorum quies.
An quid vovere nostra Clodoaldum jubet
Clementia? licet ambiam toti palam
Favere vulgo, Principum tamen magis
Fortuna memet tangit *Clod.* O digne aureis
Regnâsse Princeps sæculis! unum pudet
Non advolasse sponte sub frænos tuos.
Tamen & coactum præliis miti aspicis
Rex Magne vultu. Venia si facilis quoque est,
Princeps, vovendi; vindica ô victor meos
Cæci dolores Principis *Car.* Quisquam meo
De grege dolores ingerit? *Clod* Myltæ impii
Unum dolori gaudium, cæci unicum
Patris levamen cæde laniandum impiâ

Ra-

Rapuère natum: nostra si magnos sinus
Lamenta tangunt, exsere ultorem in Popas
Rex magne chalybem *Car.* Mitius Regem decet
Tractare victos. Principis prolem tamen
Non decuit orbi Patris extremo malo
Rapi ad securim. pœna crudeles Popas
Sua insequetur: mitiùs malum ut feras,
Magnanime Princeps, facile medicamen dabo.
Clod. Cogi merentem blandius Cæsar trahis.
Parere victum nutibus par est tuis.
Car. An esse Numen aliquod in mundo putas?
Clod. Non ista mundi machina á sese trahit
Initia prima *Car.* Sanguinem innocuum putas
Sitire Numen? *Clo.* Iste Mystarum est dolus:
Pietate fictâ barbaram occultant sitim.
Car Ille ergo cujus ora perpetuo madent
Cruore, nomen Numinis falsò gerit.
Clodoalde! quàm benignius Numen colit
Gens Christiana! cujus à dextrâ cadunt
Nimbi bonorum; cujus in nostros vigil
Oculus dolores, semper occurrit malis.
Clod. O si dolori posset, ac vellet meo
Deus hic mederi!
Carolus. Crede: medicamen dabit.
Clod. Credo Tonanté Credo quem Cæsar jubes
Me credidisse. Quis mihi cœlo dies
Repentè micuit? fallor? an vultus tuos
Luce rediviva Carole aspicio? ô Deus,
Magne Imperator ætheris, serò nimis
Culte Clodoaldo, video te, Cæsar, meæ
Stirpis salutem: video vos magni Duces;

Es

Et Sandriane, video te! *Sand.* O potens Deus!
Irminsul ille cædium fame calens,
Siti cruoris æstuans, non est Deus.
Unus & Olympum flectis, & terras Deus.
Culte Clodoaldo. *Clo.* Non peto posthac diem
Videre Cæsar Magne, sat mihi est tuos
Vidisse vultus. *Carol.* Propior amplexu quoque
Cingâre nostro. *Clod.* Carolo quisquis Deus
Radiare in auro verticem, sceptro manum
Largus dedisti, Carolum lentum jube
Accedere astris. *Car.* De meo amplexu gradum
Fac ad Tonantis patrium amplexum, sacro
Latice abluenda est veteris Irminsul nota.

SCENA QUINTA.

Carcere à militibus extracti, Hildegardis, Ischyrion, & Faustinus Carolo sistendi ducuntur.

Arbastus. Hildegardis. Ischyrion. Faustinus.

Faust. Leva catenâ innoxias Juvenis manus,
Et te diei redde. *Hild.* Quis miles novus?
Nec visus ante memet in lucem trahis?
Arb. Novi ad tribunal Regis agnosces. Et his
Demite catenas. *Hil.* Quem novum Regẽ canis?
Arb. Nondum profundos Caroli nomen specus
Penetravit? urbem Carolus victor tenet,
Vos ad tribunal Caroli innocuos voco,
Vinclis solutos, culpa ut absolvat quoque
Malè mancipatos carceri. *Isch.* Verè est polis
Cura innocentum. *Hild.* Qualibet possint premi,
Nunquam innocentes opprimi cœlum sinit.

Faust.

Rapuère natum : nostra si magnos sinus
Lamenta tangunt, exsere ultorem in Popas
Rex magne chalybem *Car.* Mitius Regem decet
Tractare victos. Principis prolem tamen
Non decuit orbi Patris extremo malo
Rapi ad securim. pœna crudeles Popas
Sua insequetur : mitiùs malum ut feras,
Magnanime Princeps, facile medicamen dabo.
Clod. Cogi merentem blandius Cæsar trahis.
Parere victum nutibus par est tuis.
Car. An esse Numen aliquod in mundo putas ?
Clod. Non ista mundi machina à sese trahit
Initia prima *Car.* Sanguinem innocuum putas
Sitire Numen ? *Clo.* Iste Mystarum est dolus :
Pietate fictâ barbaram occultant sitim.
Car Ille ergo cujus ora perpetuo madent
Cruore, nomen Numinis falsò gerit.
Clodoalde ! quàm benignius Numen colit
Gens Christiana ! cujus à dextrâ cadunt
Nimbi bonorum ; cujus in nostros vigil
Oculus dolores, semper occurrit malis.
Clod. O si dolori posset, ac vellet meo
Deus hic mederi !
Carolus. Crede : medicamen dabit.
Clod. Credo Tonantē Credo quem Cæsar jubes
Me credidisse. Quis mihi cœlo dies
Repentè micuit ? fallor ? an vultus tuos
Luce rediviva Carole aspicio ? ô Deus,
Magne Imperator ætheris, serò nimis
Culte Clodoaldo, video te, Cæsar, meæ
Stirpis salutem : video vos magni Duces ;

Et

Et Sandriane, video te! *Sand.* O potens Deus!
Irminsul ille cædium fame calens,
Siti cruoris æstuans, non est Deus.
Unus & Olympum flectis, & terras Deus.
Culte Clodoaldo. *Clo.* Non peto posthac diem
Videre Cæsar Magne, sat mihi est tuos
Vidisse vultus. *Carol.* Propior amplexu quoque
Cingâre nostro. *Clod.* Carolo quisquis Deus
Radiare in auro verticem, sceptro manum
Largus dedisti, Carolum lentum jube
Accedere astris. *Car.* De meo amplexu gradum
Fac ad Tonantis patrium amplexum. sacro
Latice abluenda est veteris Irminsul nota.

SCENA QUINTA.

Carcere à militibus extracti, Hildegardis, Ischyrion, & Faustinus Carolo sistendi ducuntur.

Arbastus. Hildegardis. Ischyrion. Faustinus.

Faust. Leva catenâ innoxias Juvenis manus,
Et te diei redde. *Hild.* Quis miles novus?
Nec visus ante memet in lucem trahis?
Arb. Novi ad tribunal Regis agnosces. Et his
Demite catenas. *Hil.* Quem novum Regê canis?
Arb. Nondum profundos Caroli nomen specus
Penetravit? urbem Carolus victor tenet,
Vos ad tribunal Caroli innocuos voco,
Vinclis solutos, culpa ut absolvat quoque
Malè mancipatos carceri. *Isch.* Verè est polis
Cura innocentum. *Hild.* Quâlibet possint premi,
Nunquam innocentes opprimi cœlum sinit.

Faust.

Faust. Duc nos per arma militum innocentiâ
Comite ad tribunal gestiens passum cito.

SCENA ULTIMA.

Sistuntur Carolo Ischyrion, Hildegardis, Hiacynthus, & Faustinus: à patre proles, pater à prole agnoscitur: convertuntur omnes: plausus datur.

Carolus. Clodoaldus. Ischyrion. Hildegardis. Hiacinthus. Faustinus. Araspus.

Carolus. Vive Clodoalde
Clodoaldus. Dummodo cœlo & tibi.
Postquam sacrato latice perfusum caput.
Totoque verum corde percepi Deum,
Si vivo, soli vivo, quem serò nimis
Novi, Tonanti, & Carolo ad vitam Duci.
Car. Sed quæ reorum turba in aspectus venit?
Pulvinar istud inside, & causas thoro
Dignosce mecum *Clo.* Magne terrarum arbiter
Affunde memet pedibus hæc sedes decet
Per bella captum. *Car.* Numinis amicum novum
Hæc dextra decuit. *Clo.* Pareo, quando jubes.
Carolus. Unde hæc reorum turba?
Araspus. Tenebroso in specu
Inventa mortis ultimum expectans diem.
Car. Quæ causa vinctos carceris nocti dedit?
Hiacynthus. O' genitor!
Clodoaldus. O mi Nate! quis temet mihi
Tumulo redonat? *Hiac.* Quis tibi ô genitor Deus
Oculos redonat? *Clod.* Nate!
Hiac. Mi Pater! *Clod.* Unicum

Meum

Meum levamen.
Hac. Una spes nati, O pater!
Clod. Parce Imperator. rapuit affectus patrem,
Amorque memet fecit immemorem tui.
Carol. Tuus iste Natus?
Clodoaldus. Magne Rex, erro, tuus est,
Verere fili Cæsarem, cui ego meæ
Debeo, tuæque sortis auroram. *Car.* Genu
Remove tenellam dextram, & amplexum subi.
Quis ille cujus gratior toto micat
Vultu venustas? *Hild.* Prime post Divos; soli
Verende rector, cujus ad palmas stupet
Attonitus orbis, victima infelix neci
Sum destinata Virgo: at hoc unum tamen
Moriens Deorum muneri acceptum fero,
Quod mihi serenum contigit vultus tui
Spectare solem. Sole spectato hoc lubens
Occurro fatis. vincta si Virgo tamen
Ausit precari, quos tuis promptos vides
Pendere juvenes nutibus, mortis metu
Magnanime Princeps libera; adjicies tua
Ad signa Martes, quos per obstantum hostium
Videbis ire fulminis ritu moras.
Car. Tu Virgo? *Hild.* Rapta & innocens.
Carolus. Sed quid virum
Mentire amictu? *Hild.* Non nocuos juvenes specu
Ut liberarem, meque mœrenti Patri
Reponerem, virum indui. *Car.* Sed quo patre,
Quo sanguine orta es Virgo?
Hild. Clodoaldo Patre.

Clod.

Clod. Tune mea soboles? Hildegardis tu mea es?
Es: non es. erro: es Hildegardis tu mea?
Hild. Non nosco patrem, signa nisi promas.
Clodoaldus. Mea es
Mea Hildegardis. signa si poscis, daret
Tuus ille Araspus, fata si vitam darent.
Arasp. Vivo Clodoalde: & Principem agnosco meum,
Cui pace Regis obsequens dextram osculor.
Agnosce Patrem Virgo Clodoaldum.
Hildegardis. O pater!
Clod. O nata! *Hild.* Genitor!
Clod. Nata! quam bonus Deus,
Cui fera nimium corda Clodoaldus dedit!
O chara proles desine, Irminsul Deum
Vocare posthac. unus est cœlo Deus,
Quem Christiani thure succenso colunt,
Qui te patri reponit, & patrem tibi.
Hild. O chare genitor millies illam sitim
Abominata Numinis acerbi, Deum
Altum medullis ipsa pingebam mihi,
Nostris studentem commodis, sanctum, pium,
Facilem, benignum. *Car.* Talis est noster Deus.
Cruoris ille calidus Irminsul siti
Sobolem parenti rapuit ad crudam necem;
Sobolem parenti noster, & soboli patrem
Reddit benignus *Hild.* Iste mihi Numen sapit.
Hunc prona posthac corde, submisso colo.
Ischyrio mortis ultimum ad limen comes
Jactare mecum, liber ad vitam quoque
Reducte mecum, Numini mentem novo

Animumque mecum subjice: meretur Deus
Nostros honores.
Carolus. Stirpe qua Nomen trahis
Generose Juvenis? *Isc.* Vetera memorari jubes
Damna Imperator. Patriâ extorris, patri
Matrique raptus, sæpè jactatus mari,
Et sæpè terris: immemor stirpis meæ,
Patrisque prorsus nescius, colui Thoam
Velut parentem. Namque cum prædo maris
Pirata multus per mare aveheret suum
Natum parenti, comite pastorum manu
Prædoni ademptum libero cœlo dedit,
Aluitque nato supparem. ac tandem calor
Cùm me citaret extera videndi, dedit
Inannulatam hanc gemmulam & dixit; tuo
Collo hæc pependit, quando piratis puer
Parvulus ademptus præda venisti Thoæ.
Car. Incisa Achati pila in eximiam crucis
Abeunt figuram. *Clod.* Sanguinis nostri canis
Rex magne stemma. Filium ô Deus! mihi
Etiam reponis tertium! quanto mihi
Pectus liquescit gaudio! ò date mi date
Veniam videndi lachrymæ. Est iste, est, meus
Clodoaldus, ô mi nate! *Isch.* Mi dulcis Pater!
Sand. Quis temperare lachrymis suis queat,
Quando renatum cernit ad lucem patrem,
Prolemque patri redditam, & proli patrem!
Clod. Mi nate! viscera mea!
Isch. Mi genitor! *Carolus.* Amor
Absorbet ori verba: quo major, potest
Sentire plura semper, at minus loqui,

Dum

Animi paventis, primus exemplum dabo
Mentis animosæ. Puduit è campo pedem
Timidum extulisse; dedecus tantum ut luam,
Pectus reponam. Dedecus vestrum pari
Redimite pœnâ milites. Si quis necem
Vobis parabit, pectus in murum dabo:
Nec antè vestro vertici incumbet chalybs,
Quàm sibi per istud pectus erumpat viam.
Olst. Fuge, fuge, magne Saxonum Princeps, fuge,
Post rupta castra militum, in fuga est salus.
Fer. Præferte miles avia sequentem Ducem.
Arb. Captiva necdum præda Vitigindus; tua
Adorat arma miles, aut nondum Duces
Tinxêre chalybem sanguine? hàc rapidis fugam
Præverte fugijs.
Vitig. Estne, quem veteres canunt,
Irminsul astris? Christianorum an Deus
Potentiore dexterâ mundum regit?
O Saxones erravimus! Non est Deus
Irminsul ille, sanguinis flagrans siti,
Multaque cæde sordidus, non est Deus.
Deus innocentes protegit, non enecat.
Unus rotator orbium flexus regis,
Unus procellas temperas moti maris,
Unus cruenta bella successu regis,
Victoria'que flectis arbitrio Deus.
Irminsul umbra Numinis, saxum rude est.
Hic ante saxum sæpè lunatum genu
Tibi Christe primùm flecto, submisso tuum
Adoro Numen poplite. Si victos suos

Im-

Impune vultus donet accessu, tuas
Lunare ad aras voveo submissum genu.
Car. Prosequere laudem miles. Hæc victoria
Gradus est futuræ. Fessa ne fidat manus
Dum plena vestros influat palma in sinus.
Campum tenuimus hactenus, sed nunc decet
Et valla, & urbes Marte generoso aggredi,
Properate, prima veniat in laudes tuas,
Quæ se modestis turribus terrâ levat
Parva Eresipolis. Videat hodiernus dies,
Et campo & urbe surgere triumphos tuos.

SCENA SECUNDA.

Parantur sacrificia. Victor approperare Carolus nunciatur. Diffugiunt Sacerdotes.

Sacerdotes 2.

Sac. 1 Ut dedicari Numini votum licet,
Sic dedicata vota persolvi est opus.
Ut nil vovendum facilè; sic quidquid semel
Vovetis ad aras Numini, obsequium dica.
Benè est: ad aras victima hastandem cadet,
Dilata toties: ille, quem nuper pater
Venatus inter alta sylvarum cava
Diis victimandum voverat. Calent focis
Aræ sacratis? *Sac.* 2. Et chalybe multo rigent,
Multoque cultro.
Nuncius. Terra quid nostros adhuc
Tergo penates sustines? *Sac.* 1. Quisnam impio
Canis latratu victimam rursum impiat?
Nunc. Dehisce tellus; tuque quæ modicas levas

Urbs parva turres,tecta in inferni specus.
Meritas latebras,gente cum tota abripe.
Sac. 1. Quod facinus adfers!
Nuncius. Mitte: quod dici jubes
Siluisse cupies. *Sac.* 1. Gravius arrodunt mala
Compressa mentem. loquere,quis casus premit?
Nunc. Occidimus! olim fuimus! ereptum Duci
Gradivus omne transtulit in hostem decus.
Sac. 1. Victorias? *Nunc.* Victoriæ quidquid valent
Secum in ruinam trahere.
Sac. 1. Num saltem Ducem
Fuga Vitigindum salvat? *Nunc.* In nemorũ cava,
In lustra raptus montium parvâ manu
Comitatus errat. *Sa.* 1. Dira Fortunæ manus
Quantâ repentè strage regionem premis!
Quò sua cruentus castra nunc hostis rotat?
Nunc. Mars in propinquo jam siti nostram suæ
Designet urbem,modica vix superest mora,
Aut jam subibit victor,aut muros premet,
Magnaque clade mœnia affliget solo.
Eripite Furiis Numina:
Sacer. 1. O tristis sonus!
Auditis? *Nunc.* Urbi clangit interitum tuba.
Eripite vosmet; hâc venit.
Sacer. 1. Capite hâc fugam.
Sac. 2. Properate cives, pandite æratas fores,
Exclusus urbe victor excidium feret.

SCE-

SCENA TERTIA.

Carolus urbem deditione accipit.

Carolus cum exercitu. Senatores. Caridus. Ferrandus.

Ferr. Ingredimur urbem cædis immunis cohors.
Cari. Auguste mundi terror, & Regum decus,
Supplex Senator urbis affatus tuos
Adire poscit. *Sen.* 1 Fulmen edomiti soli
Victorque Mavors; pone bellorum minas,
Et Marte laxa militem. Rumor tui
Qui prævolavit nominis, pariter metum
Pariterque amorem civium menti ingerit.
Utroque victi supplices pro te manus
Ad astra tollunt; quodque tibi sceptri decus
Dedêre Patres, protulit virtus, polo
Sic annuente in sæcula educi vovent;
Urbemque cedunt. Urbis in clavi accipe
Transcripta jura; nosque quo mundum soles
Complexu adopta. *Car.* Laudo maturo minas
Consilio abactas; ista tempestas loco
Funus ferebat ultimum. Sed me decet
Ut in obstinatos stringere severam manum,
Sic obsecutis pandere paternos sinus.
Non quæro nostri limites Marte Imperî
Proferre: signa Numinis quæro, & fidem
Inferre; quaquà cardo, vel limes patet.
Adeste cives undique, & tuti meis
Libate sceptris osculum. *Sen.* 1. Quamvis tua
Te bella pridem patrio intulerint polo,
Verende Martis terror; hoc laudem tamen

Tuam

Tuam ipse superas; nulla quod laurus tibi
Acerbet animum: quodque post palmas, tui
Victor, cruori civium parcas pius.
Sen, 2. Suprema laus est Principi clementia.
Qui chalybis iras hoste jam domito tenet,
Se vincit ipse. *Se*. 3. Magne populorum arbiter
Quæ vota nequiit nostra spes unquam sibi
Fingere, benignæ frontis excedis die.
Caro. Regem timere civis ignoret meus,
Amare discat. Patriæ patrem decet
Regem esse, cives filios. Natum Pater,
Patremque natus diligat. tutò meum
Vultum subire civibus trepidis licet.
Succede tectis Civis, & amico meum
Complectere animo militem, ac fesso dapes
Concede solitas: moxque mentitos Deos
Suis ab aris dirue in ferias stygi.

SCENA QUARTA.

Clodoaldus intelligit Carolum adesse, eique supplex accidit: in Deum credere jubetur: credit: visum recipit.

Carolus. Clodoaldus. Sandrianus.

Clod. Et cassus oculis vindicem quæro manum,
Duc me per ipsas urbis illustres vias.
Per arma media Caroli. Hoc unum precor,
Si quis cruore filii aspersus silex
Incurrat oculos, finite postremo ut pater
Luctu osculetur; ne vel innocui parens
Nati cruorem proteram, vel mihi pedem
Prolis necatæ lubricus fallat cruor.

Patuêre valvæ: ſentio: immenſus ſtrepit
Nimbus volantis populi, & obſequiis Duci
Novis laborat. *Carol.* O miſer Ducis ſtatus!
Clod. Quis hic procellis ingemit noſtri malis?
Non iſta vox eſt militis: majus ſapit
Vox iſta pectus. Quisquis hic damnis meis
Tactus dolorem prodidit, Regem puto,
Duc Sandriane. *Car.* Quis mei indicium facit?
Clod. Latere quamvis reliqua Clodoaldũ queant
Viſu carentem, Carolus certè nequit
Latere memet: proditrix ipſa eſt ſui
Heroa virtus. *Car.* Surge; ſim victor licet,
Stantes videre malo, quàm ſtratos Duces.
Non, ut ſuperbo vertices veſtros teram
Pede, ſuperavi. Non amo victoriam,
Quæ mihi decora capita ſubſternit Ducum.
Hanc quæro, cujus pretia ſunt Regum ſalus
Provinciarum vita, populorum quies.
An quid vovere noſtra Clodoaldum jubet
Clementia? licet ambiam toti palam
Favere vulgo, Principum tamen magis
Fortuna memet tangit. *Clod.* O digne aureis
Regnâſſe Princeps ſæculis! unum pudet
Non advolaſſe ſponte ſub frænos tuos.
Tamen & coactum prælis miti aſpicis
Rex Magne vultu. Venia ſi facilis quoque eſt,
Princeps, vovendi; vindica ô victor meos
Cæci dolores Principis. *Car.* Quisquam meo
De grege dolores ingerit? *Clod.* Myſtæ impii
Unum dolori gaudium, cæci unicum
Patris levamen cæde laniandum impiâ

Ra-

Rapuêre natum: nostra si magnos sinus
Lamenta tangunt, exsere ultorem in Popas
Rex magne chalybem *Car.* Mitius Regem decet
Tractare victos. Principis prolem tamen
Non decuit orbi Patris extremo malo
Rapi ad securim. pœna crudeles Popas
Sua insequetur; mitiùs malum ut feras,
Magnanime Princeps, facile med camen dabo.
Clod. Cogi merentem blandius Cæsar trahis.
Parere victum nutibus par est tuis.
Car. An esse Numen aliquod in mundo putas?
Clod. Non ista mundi machina à sese trahit
Initia prima *Car.* Sanguinem innocuum putas
Sitire Numen? *Clo.* Iste Mystarum est dolus:
Pietate fictâ barbaram occultant sitim.
Car Ille ergo cujus ora perpetuo madent
Cruore, nomen Numinis falsò gerit.
Clodoalde! quàm benignius Numen colit
Gens Christiana! cujus à dextrâ cadunt
Nimbi bonorum; cujus in nostros vigil
Oculus dolores, semper occurrit malis.
Clod. O si dolori posset, ac vellet meo
Deus hic mederi!
Carolus. Crede: medicamen dabit.
Clod. Credo Tonanté Credo quem Cæsar jubes
Me credidisse. Quis mihi cœlo dies
Repentè micuit? fallor? an vultus tuos
Luce rediviva Carole aspicio? ô Deus,
Magne Imperator ætheris, serò nimis
Culte Clodoaldo, video te, Cæsar, meæ
Stirpis salutem: video vos magni Duces;

Es

Et Sandriane, video te! *Sand.* O potens Deus!
Irminsul ille cædium fame calens,
Siti cruoris æstuans, non est Deus.
Unus & Olympum flectis, & terras Deus.
Culte Clodoaldo. *Clo.* Non peto posthac diem
Videre Cæsar Magne, sat mihi est tuos
Vidisse vultus. *Carol.* Propior amplexu quoque
Cingâre nostro. *Clod.* Carolo quisquis Deus
Radiare in auro verticem, sceptro manum
Largus dedisti, Carolum lentum jube
Accedere astris. *Car.* De meo amplexu gradum
Fac ad Tonantis patrium amplexum. sacro
Latice abluenda est veteris Irminsul nota.

SCENA QUINTA.

Carcere à militibus extracti, Hildegardis, Ischyrion, & Faustinus Carolo sistendi ducuntur.

Arbastus. Hildegardis. Ischyrion. Faustinus.

Faust. Leva catenâ innoxias Juvenis manus,
Et te diei redde. *Hild.* Quis miles novus?
Nec visus ante memet in lucem trahis?
Arb. Novi ad tribunal Regis agnosces. Et his
Demite catenas. *Hil.* Quem novum Regē canis?
Arb. Nondum profundos Caroli nomen specus
Penetravit? urbem Carolus victor tenet,
Vos ad tribunal Caroli innocuos voco,
Vinclis solutos, culpa ut absolvat quoque
Malè mancipatos carceri. *Isch.* Verè est polis
Cura innocentum. *Hild.* Qualibet possint premi,
Nunquam innocentes opprimi cœlum sinit.

Faust.

Fauſt. Duc nos per arma militum innocentiâ
Comite ad tribunal geſtiens poſſum cito.

SCENA ULTIMA.

Siſtuntur Carolo Iſchyrion, Hildegardis, Hiacynthus, & Fauſtinus: à patre proles, pater à prole agnoſcitur: convertuntur omnes: plauſus datur.

Carolus. Clodoaldus. Iſchyrion. Hildegardis. Hiacinthus. Fauſtinus. Araſpus.

Carolus. Vive Clodoalde
Clodoaldus. Dummodo cœlo & tibi.
Poſtquam ſacrato latice perfuſum caput.
Totoque verum corde percepi Deum,
Si vivo, ſoli vivo, quem ſerò nimis
Novi, Tonanti, & Carolo ad vitam Duci.
Car. Sed quæ reorum turba in aſpectus venit?
Pulvinar iſtud inſide, & cauſas thoro
Dignoſce mecum *Clo.* Magne terrarum arbiter
Affunde memet pedibus, hæc ſedes decet
Per bella captum. *Car.* Numinis amicum novum
Hæc dextra decuit. *Clo.* Pareo, quando jubes.
Carolus. Unde hæc reorum turba?
Araſpus. Tenebroſo in ſpecu
Inventa mortis ultimum expectans diem.
Car. Quæ cauſa vinctos carceris nocti dedit?
Hiacynthus. O' genitor!
Clodoaldus. O mi Nate! quis temet mihi
Tumulo redonat? *Hiac.* Quis tibi ô genitor Deus
Oculos redonat? *Clod.* Nate!
Hiac. Mi Pater! *Clod.* Unicum

Meum


Meum levamen.
Hiac. Una spes nati, O pater!
Clod. Parce Imperator . rapuit affectus patrem,
Amorque memet fecit immemorem tui.
Carol. Tuus iste Natus?
Clodoaldus. Magne Rex, erro, tuus est,
Verere fili Cæsarem, cui ego meæ
Debeo, tuæque sortis auroram. *Car.* Genu
Remove tenellam dextram, & amplexum subi.
Quis ille cujus gratior toto micat
Vultu venustas? *Hild.* Prime post Divos; soli
Verende rector, cujus ad palmas stupet
Attonitus orbis, victima infelix neci
Sum destinata Virgo: at hoc unum tamen
Moriens Deorum muneri acceptum fero,
Quod mihi serenum contigit vultus tui
Spectare solem. Sole spectato hoc lubens
Occurro fatis. vincta si Virgo tamen
Ausit precari, quos tuis promptos vides
Pendere juvenes nutibus, mortis metu
Magnanime Princeps libera: adjicies tua
Ad signa Martes, quos per obstantum hostium
Videbis ire fulminis ritu moras.
Car. Tu Virgo? *Hild.* Rapta & innocens.
Carolus. Sed quid virum
Mentire amictu? *Hild.* Non nocuos juvenes
specu
Ut liberarem, meque mœrenti Patri
Reponerem, virum indui. *Car.* Sed quo patre,
Quo sanguine orta es Virgo?
Hild. Clodoaldo Patre.

Clod.

Animumque mecum subjice: meretur Deus
Nostros honores.
Carolus. Stirpe qua Nomen trahis
Generose Juvenis? *Isc.* Vetera memorari jubes
Damna Imperator. Patriâ extorris, patri
Matrique raptus, sæpè jactatus mari,
Et sæpè terris: immemor stirpis meæ,
Patrisque prorsus nescius, colui Thoam
Velut parentem. Namque cum prædo maris
Pirata multus per mare aveheret suum
Natum parenti, comite pastorum manu
Prædoni ademptum libero cœlo dedit,
Aluitque nato supparem. ac tandem calor
Cùm me citaret extera videndi, dedit
Inannulatam hanc gemmulam & dixit: tuo
Collo hæc pependit, quando piratis puer
Parvulus ademptus præda venisti Thoæ.
Car. Incisa Achati pila in eximiam crucis
Abeunt figuram. *Clod.* Sanguinis nostri canis
Rex magne stemma. Filium ô Deus! mihi
Etiam reponis tertium! quanto mihi
Pectus liquescit gaudio! ò date mi date
Veniam videndi lachrymæ. Est iste, est, meus
Clodoaldus, ô mi nate! *Isch.* Mi dulcis Pater!
Sand. Quis temperare lachrymis suis queat,
Quando renatum cernit ad lucem patrem,
Prolemque patri redditam, & proli patrem!
Clod. Mi nate! viscera mea!
Isch. Mi genitor! *Carolus.* Amor
Absorbet ori verba: quo major, potest
Sentire plura semper, at minus loqui,

Dum

Dum temperatus verba restituat amor,
Partem diei plausibus festis date
Cisd. Auguste Rector orbis, & nostræ salus
Suprema gentis, pedibus affusus tuis
Mea tibi sisto viscera. *Car.* Accipio, tuum
Si trina proles Numen agnoscat. *Hiac.* Colo.
Hildeg Adoro. *Isch.* Nosco.
Carolus. Signa Numinis huc date.
Levate poplitem; crucibus amplexum date,
Amare nescit summa, qui nescit crucem:
Hæc est amoris tessera, & fidei nota.
Isch. Ut corpore Crucem, pectore amplector fidem.
Faust. Et me secundæ sortis Ischyrion tibi
Admitte comitem, qui tuli tecum asperam
Solo saloque. Crucis in amplexum ruo.
Car. In hoc triumpho Carolus. Vici satis
Si Numen orbi differo, & quoquo traho
Mea arma, pariter Numinis cultum traho.
Hæc prima Regum cura; cum mundum suis
Subdunt coronis, subdere imperiis DEI.



PAX



PAX IMPERII ANNI DOMINI M. DC. L.

SIVE


JOSEPH A FRATRIBVS recognitus.

AD LECTOREM.

PRæmonitum te volo, Amice Lector, cùm hoc Drama festinatò in Scenam pararetur; nec unus (quippè Scholasticis distentus) operi sufficerem; plurium calamos meditationi meæ collaboraſſe: qui tamen, quae erant modeſtiâ, & in Superiores obſervantiâ, ſeſe meo ſpontè

submisêre. Plurima tunc in meum succum redegi. reliqua deinceps, ut non facilè toto omnino Dramate vicenos fortè versus sis reperturus, quos alieni sibi calami possint attribuere. Quare hoc non commodatum dices, sed meum. Non nego alienis laboribus meum superatum; sed non judicabam inter meos alienum accersendum; ut sua sit singulis gloria si fortè jubeantur in lucem prodire. Vale.

ARGUMENTUM.



Ressa quandoque, nunquam oppressa est innocentia. Potuit fratrum invidiâ venundari Ioseph innocēs: sed non tantum pressit invidia, quantum elevavit divina providentiā. A Pharaone post somniū interpretationem ad regni gubernacula secundus assumitur. Incumbit prævisa fames: Solicitatur ab externis populis Ioseph, ut frumenta suppeditet. Adveniunt & Iosephi fratres, à patre missi, prostrati frumenta postulant, non agnoscunt fratrem, agnoscuntur tamen. Dissimulat Ioseph, & cupidus videndi universam domum, evincit ut sibi minimus fratrum Benjaminus (qui es solus erat uterinus) promittatur, retento in vinculis Simeone obsi-

obside, donec Benjamin sistatur. Referunt hæc postulata ad parentem filii, qui diu luctatus, ablegat Benjaminum. Sistuntur iterum fratres Iosepho: gaudet ille viso Benjamino: adhuc dissimulat: ad convivium invitat. Reposito clam in saccum Benjamini scypho suo omnes dimittit. Mox iterum tanquam reos furti retrahit, increpat, & tandem prostratis deprecantibusque fratribus sese aperit Iosephus, & à fratribus recognoscitur. Genes. 41 42 43. 44. 45

PERSONÆ,

Pharao Rex,
Jacob.
Ioseph, & rel. Jac. filij.
Sapientes.
Baladat Procurator.
Pastores.
Pincerna.
Operarij.
Providentia Divina.
Innocentia.
Iustitia.
Pietas.
Genius Iosephi.
Genius Chanaan.
Chorus Nymphar.
Pax.
Mars.
Ira.
Furor.
Nemesis.
Ceres.
Fames.

ACTVS I.

SCENA PRIMA.

Triſtatur à ſomno Pharao, nec conſuetum cythara ſolatium admittit.

Vidit Pharao ſomnium, & evigilans poſtquietem, &c. & facto mane pavore perterritus, *Gen.* 41.

Pharao.

Silete Solis nuntii, & primi auſpices
Cantus diei: mentis afflictæ dolor
Vulnusque acerbum pectoris cantus vetat.
O jura noctis! mœſta fortunæ meæ
Auguria! vidi, trepidus attonito ſtupet
Animus rigore: quodque meminiſſe eſt grave,
Oculis oberrat. Lude; trepidantem levá
Dolore Regem Vidi. mœror in verba involat,
Prohibetq; vocem Nempè cùm ſummum tenet,
Paria dolori verba non reperit dolor
Cytharœde vultus inſpice, & noſtro pares
Meditare cantus luctui: afflictum tuâ
Solare pectus arte. Quid lentus ſtupes,
Plectrumque tentas? Lude Bubonis velim
Audire vocem potius, aut triſtem lupi
Famentis oden. Diſſonum eſt, quidquid canis.
Illiſa capiti cithara reſonaret magis
In vota mœſto pectori. O noctis dolor!

Et

Et ſomniorum triſte tormentum! Polus
Si quod Canopo fulmen iratus parat,
In Regis ante vertice extinguat. Nihil
Boum illa pugna, lucta ſpicarum nihil
Præſagit illa, niſi novercalem mihi
Sortis furorem. Viximus tutò hactenus
Regno quieti: ſceptra jam turbo impetet,
Meque in ruinam, & regna cum populis trahet.
Sic auguramur. Vertat augurium polus!
Si quem minantis conſcium cœli Sophum
Et ſomniorum Interpretem gymnas dedit;
Huc advocate. Noctis ô tetræ dolor.

SCENA SECUNDA.

Ioſeph in carcere innocentia ſua ſe conſolatur.

Erat Joſeph in carcere, ubi vincti Regis cuſtodiebantur. *Gen.* 39.

Ioſeph. Innocentia cum Comitibus.

Ioſeph. Non tenuis eſt ſcientia;
Tormenta ſcire ferre.
Hic glorioſè ſuſtinet,
Quem non ligat reatus.
Non ſunt acerba vulnera,
Quæ culpa non meretur:
In immerentem vincula
Si quæ cadunt, honeſtant.
Perferre malim carcerem,
Quàm carcerem mereri,
Poteſt ſub antra conjici,
Et vinculis ligari;

Sed nec per antra extinguitur
Lux mentis innocentis;
Nec stringitur per vincula
Mens libera innocentis.
Virtutis istud fœnus est,
Semper habitare laxe;
Et luce densas carceris
Illuminare noctes.

Innocent. En annulos. Vos compedes
Putatis innocentis?
Erratis: hic in auream
It annulus catenam.
En tela, jam non tela sunt:
In sceptra commigrarunt.
Inde innocenti gloria
Venit, unde mors minatur.
Videte glandes: quas Furor
Paravit, aut Erynnis
In innocentis funera:
In gemmulas jubente
Vertuntur innocentiâ
Furoris instituta
Desæviat, ferociat;
Effulminetque livor:
Tranquilla semper pectori
Pax stabit innocenti.

Joseph. Ut carcer atrâ contegat
Me nocte; non merebar:
Sum sum innocens, at sum tamen
Visus nocens nocenti.

Ju-

Judicia sed mortalium
Non me probant nocentem.
Reus ille: conscientia
Si quem reum probavit.

SCENA TERTIA.

Pharao Sapientibus Aegypti somnium enarrat.

Misit ad omnes Conjectores Ægypti, cunctosque Sapientes, & accersitis somnium narravit. *Gen.* 41.

Pharao. Sapientes.

Pharao. O noctis atræ monstra! & umbrarum pavor!
Quas sævientum siderum intentas minas!
Sap. Potens Canopi domitor, ad cujus pedes
Procumbit orbis, regia vanos metus
Expunge mente. Fingit aliquando jocos
Severiores Morpheus; sed sunt joci.
Phar. Et veritatem sæpè per somnum docet.
Sap. Fateor, ut atræ noctis est partus dies;
Sic involuta rebus obscuris latet,
Proditque tandem veritas. Quidquid sopor
Dedit involutum, lucis in scenam dabo.
Effare noctis monstra. *Phar.* Vix animus sibi
Satis ipse constat. Lene serpentis virens
Littus premebam fluminis; quando ex aquis
Cervice plena turgidæ septem boves
Subire visæ marginis verni solum.

Vix conſtitêre littore; exertum levant
Septem aliæ ab undis verticem,& ſeſe gradu
Pigro virentes amnis ad ſpondas ferunt
Non his amœnus oculus, aut vitæ color
Succusve melior : oſſa vix lento trahunt
Exſucca motu. moxque compoſito agmine
In pinguiores involant, avidâ fame
Penitus peremptas devorant. Vix hæc meis
Oculis remota ſcena, mox alia ſubit:
Septena culmo ſpica dependens, ſinu
Opulentiore fertilem Cererem fami
Dabat Cinopi: rurſus at vacua ſinum,
Sterilisque inanem verticem erexit polo
Obtenta avena: vixque conceſſum diem
Progenita vidit, jamque congeſto gradu
Cereri opulentæ funus extremum tulit.
Quid iſta Regi monſtra portendant mali,
Ex Veritatis promite arcanis Patres.
Suum reperta Veritas munus feret.
Sap. Placuiſſe Regi munus auguſtum eſt ſatis.
Pha Agite vetuſta oracula, è chartis date,
Et veritatis conſcios puræ libros
Conſulite, nocti forſan hinc veniet dies.

SCENA

SCENA QUARTA.

A Providentia Divina edocetur Ioseph somnii interpretationem, cui frustra student Sapientes.

Fuit autem Dominus cum Joseph, & omnia opera ejus dirigebat.

Genes. 39.

Sapientes. Ioseph. Providentia.

Prov. Divinioris consilii arcanos sinus
Mens illa penetrat sola, qua vitium exulat,
Habitatque virtus. Sede non unâ benè
Sedent, serena pectoris puri dies,
Et nox scelestæ mentis. Expellat nefas
Animo, profundos quisquis in sensus poli
Penetrare mente postulat. multus licet
Oraculorum quærat arcanum senex;
Servatur uni scire Josepho: hunc ego
Per varia tractum sortis infaustæ freta,
Per æstuantes fluctuum ductum minas,
Multis probatum casibus, semper tamen
Constante Juvenem pectore, polorum abditos
Edoceo sensus. Accipe ô Joseph nova
Mysteriorum sensa. Septenæ boves
Graves sagina; fertiles totidem gravi
Frumento aristæ, nocte quas Regi dedit
Somnus videndas, fertiles septem notant
Annos Canopo; at aridæ spicæ & boves
Cadaverosi corporis totidem notant
Annos premendos aridâ terræ fame.

 Ex-

Exurge Joseph; carceris situm excute,
Arcana Regi pande; mox viles super
Undas jacentis plebis, elatum super
Populos beatum fama Josephum vehet.

Scena Quinta.

Aegypti Sapientes interpretationem somnii non inveniunt.

Nec erat, qui interpretaretur. *Gen.* 41.

Pharao. Sapientes. Pincerna.

Pharao. Dubium soporem quisquis exsolvit libris
Benè evolutis, referet Augustam manum
In larga patulam munera, & dextro mihi
Lateri assidebit. Fare, suspensum tuo
Loquentis ore pectus, atque aures dabo.
Thales. Auguste Princeps, proximum Divis jubar
Cœlo adserendum: magna pernicies tuo
Capiti minatur. Densa septeno fremens
In te furore prælia, & totam eruet
Mavors Canopum: bella sed facili tamen
Septena Marte sopies. Quæquæ petet
Procella Regis verticem Augustum, minas
Nil poterit ultra. quodque metuebas malum,
Dabit triumphos. Annuit dictis DEUS
Et veritatem stabilit. Aut istud notant
A devoratis aridis bobus boves
Opulentioris adipis, aut certè merus
Ludentis inter somnia est Morphei jocus.
Phar. Votis placere Regiæ menti studes,

Non

Non veritati. Vera, non blanda occinæ.
Placere nimium Principi quisquis studet,
Magis ille sæpè displicet. Quæ te Solon
Arcana cœlum docuit? an nostri tenes
Ambigua somni fata?
Solon. Non tenue est malum,
Quodcunque somnus nunciat; nullum licet
Malum Soloni pateat. *Pha.* Et nostro malum
Quod ipse nescis vertici occentas? *Solon.* Lego
Aliquod sinistra sorte discrimen tuo
Capiti parari: at unde, vel cujus manu,
Cujusve fraude, nescio. *Phar.* Certum volo
Sensum loquentis Morphei: quid tu mihi
Ambigua narras? Proh pudor! nemo mihi
Interpretari somnium noctis potest?
O cana menti barba, sed mentis parum!
Diem labori dedimus, at nihil tamen
Usquam repertum est. An sophos credam, quibus
Defluit in humeros longa tempestas comæ,
Sed nil cerebri in capite? Quid frustra à libris
Consilia mendicatis? ô barda capita!
Pin. Magnanime Princeps, si jubes, virum dabo,
Qui somniorum enodet implexos dolos.
Hæbræus ille, jussibus nuper tuis
Datus sub atrum carceris cœci specum,
Cœli implicata sensa non dubio dabit
Sermone Regi. Non inexpertus loquor.
Phar. Nec purpuratam solis ardentis facem,
Nec nocti lucæ Cynthiæ spectat jubar,
Et involutas somnii notas mei
Ille intuetur? *Pinc.* Ludat in somnis dolus,

Dubiamque mille fraudibus mentem implicet,
Ille explicabit. Testor hoc capitis jubar,
Tua sceptra testor: nuper umbrosi specus
Cùm me tenebræ clauderent, noctis sopor
Illusit animo: prodidi noctis jocos,
Imaginemque somnii: vix dum audiit,
Jamque explicavit: quique metuebam tui
Cadere sub ictum fulminis faustum, mihi
Tuo spopondit tertium nutu diem
Rursus futurum. Credidi: venit dies
Promissus, & me carcere exemptum gravi,
Ferroque vidi liberum. *Pha.* Hunc nostro jube
Protinus adesse jussui. Et spero & metu
Concussus intus trepido. Jam somni mihi
Auguria fingo læta; jam timidam subit
Sinistrioris ominis mentem pavor.
Sic ipse mecum pugno; nec video satis,
Qua parte sistam. Parva spes mentem erigit,
Graves timores deprimunt. Parvæ spei
Nec credo tutò, certius quando est metus
Omen futuri. Scilicet Regum hoc malum est,
Quietem ubique quærere, at nullâ tamen
Reperire parte. Pura si solem vehat
Aurora, metuo vesperum: Vesper diem
Si rursus abdat gemmeum, lucis metus
Subit sequentis. Læta si frontem exerit
Fortuna, tristem metuo. sic nunquam satis
Tutus quieti Regiæ portus datur.

SCE-

Scena Sexta.

Ioseph interpretatur somnium Pharaoni.

Respondit Joseph Pharaoni: somnium Regis unum est, &c. Placuit Pharaoni consilium, fecitque eum ascendere super currum suum. *Gen:* 46.

Pharao. Ioseph.

Pharao. Ades, relicta rebus ambiguis salus,
Amice Joseph *Ios.* Vernulam, ô Princeps voca.
Phar. Servite quisquis Regibus par est, potest
Amicus esse. *Ios.* Prohibet hoc servi, & Ducis
Conditio dispar. *Phar.* Impares fecit pares
Amor. *Ios* Favere Regis est, prono genu
Capere favorem, servuli est. Princeps jube;
Habes paratum jussibus servum tuis
Ad usque fata. *Phar* Jubeo, Ludentis jocos
Mille implicatos fraudibus somni explica.
Quà fluctuante Nilus argento vehit
Gazas Canopi, constiti ripas super,
Septemque vidi corporis vasti boves,
Totidemque macri; moxque tot spicas gravi
Cerere tumentes; rursus & totidem levi
Vacuas aristâ: macrior boum chorus
Sed pinguiorem glutijt, spicas graves
Levior voravit. pande quid visi notat
Imago monstri. *Ios.* Magne terrarum arbiter,
Terrorque magne gentium, cœlo tibi

Deus est locutus. Regiâ mente excipe,
Quod implicatis loquitur in somnis DEUS.
Phar. In utramque sortem dubius, hinc cadens metu,
Hinc spè resurgens animus, ad sensus tuos
Fidem paravit. Aspera canentem colam,
Pariter canentem prospera. *Effare.* audio.
Iose. Artubus opimæ turgidis septem boves
Septem per annos auream sortem notant.
Septemque rursus corporis macri boves,
Queis pingue tenui pabulo armentum fuit,
Septem per annos ferream sortem notant,
Sterilemque terram: pariter & pingui Ceres
Septena culmo, fertiles septem docet,
Sterilesque septem sterilis intentat Ceres
Annos Canopo. *Phar* Peius Ægypto sopor
Nihil minatur. *Iose.* Conscio Ioseph nihil.
Sapientis ergo more vicino malo
Obtende clypeum: quære sapientem virum,
Rebus gerendis impigrum: fasces cui
Major secundos imperî credas tui.
Princeps per omnes ille Regnorum plagas
Intentus agris, messium partem tuis
Septem per annos horreis condat, quibus
Septem per annos incubam Ægypto famem
Procul Canopo diffuget.
Pharao. Sancta ingeris
Consilia Regi; quæque non dubiis dabo
Probata jussis. Nemo quà Ægyptus patet,
Lateque Nilus ambulat, nemo tui
Par est calori pectoris; nemo pars

Sa-

Sagacis animi luce venturos videt
Rerum meatus. Providæ mentis decus
In te resedit omne, consilium grave,
Prudensque fervor, rebus in gravibus tenor
Constantis animi, pectus erectum, fides
Inflexa, fortis spiritus, candor, modus,
Pudorque & omnis gratiæ in vultu color.
Unus (mereris omnia ô Joseph) meo
Lateri assidebis: unus arcebis malum,
Si quod minatur. *Iose.* Gratia excedis, meis
Majore meritis. Ista meliori precor
Princeps, reserva.
Pharao. Primus es Joseph. tibi
Ægyptus omnis prona lunabit genu.
Volo, jubeoque: Rege me solo minor
Niloticarum gentium Dominus, super
Populos & urbes ibis augusto gradu.
Properate digitis annulum, tergo stolam,
Humerisq; amictum Regium. Ut digitũ annulus
Incingit orbe, sic ego semper meum
Joseph amore amplectar. Ut candet stola,
Talosque adusque defluâ serpit nive,
Sic innocentem gratia sequetur virum.
Inscende solium gloriæ, & solo minor
Rege, populorum gradere inundantes super
Nimbos, & unus jura moderator solo
Dicta Canopi. Meruit id pridem tua
Virtus, & animi providi æthereus vigor.
Instruite plausus cæteri, toto audiat
Salvator orbe Joseph, & Dominâ regat
Virgâ potentes Mempheos nostræ plagas

Pro-

Proferte plausus. Memphis, atque omnis colat
Joseph Canopus, quem jubet Pharao coli.

CHORVS,

A Divina Providentia in Chanaan emittitur Fames, in Ægyptum Ceres.

Ecce septem anni veniunt fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti. *Gen*: 41.

Crescebat autem quotidie fames in omni terra, *Gen*: 41.

Providentia. Genius Chanaan. Genius Ægypti. Fames Ceres.

Providen Mens ego Divûm provida; per me
Omnia certa lege reguntur.
Homines casus & fortunas
Sibi configunt, Fortuna nihil,
Nihil est casus. Vel deliri
Figmentum animi est. Omnia terso
Cerno in speculo, claudo in nube
Omnia; quæ sunt, quæque futura,
Quæque fuerunt. omnia nostro
Veniunt nutu. Pandere nubes;
Et quas gremio turgente tenes
Emitte Deas. Cernitis istam?
Quis retro timor reprimit gressum?
Cernitis illam? Ceres est illa,
Est ista Fames. Jussibus utraque

Venit

Venit æthereis; utraque vicibus
Scenam alternis occupat. Illa
Mandante Deo recreat orbem;
Ista affligit mandante Deo.
Prov.Fam.Ger Mandante Deo cruciant dura:
Mandante Deo prospera recreant.
Ge.Cha. Misera heu! Chanaan!
Prov. Cœli imperio.
Ge Æg. Fausta Ægyptus! *Prov.* Cœli imperio.
Ge.Cha Quæ monstra tuor?
Ge.Æg. Quam cerno Deam?
Ge.Cha. Aspera vultu.
Ge.Æg Fronte serena.
Ge Cha. Macie languet.
Ge Æg. Facie blanda est.
Ge Cha. Oculi livent.
Ge Æg. Oculi vivunt.
Ge Cha. Oraque pallent.
Ge.Æg Oraque rident.
Ge.Cha Misera heu! Chanaan!
Prov. Mandante Deo.
Ge Æg. Fausta Ægyptus. *Prov.* Mandante Deo
Huc curre Fames: huc curre Ceres.
Ge.Cha. Heu mœsta fami præda relinquor!
Pro.Ge.Cha Cœli imperio cruciant dura.
Ge.Cha. Mentem duris aptâsse malis,
Sæpè tulisse est. Lentius urgent
Fata paratum *Prov.* Sed non semper
Ille jacebit, qui jacet hodie.
Veniet somno prævisa dies,
Quando manipulos opulenta Ceres

Fe-

Quando manipulos opulenta Ceres
Feret in Chanaan
Ge.Cha. Veniat! *Prov.* Veniet.
Ge.Cha. Veniat! *Prov.* Veniet.
Ge.Cha Veniat! *Prov.* Veniet.
Ge.Æg. O fausta dies! Aurata Ceres
Migrat in agros Ægypte tuos.
Provid. Cœli imperio prospera recreant.
Omnes. Omnia Divûm placito curruut:
Lege Tonantis prospera recreant.
Lege Tonantis cruciant dura.
Omnia Divûm placito currunt.
Omnem lætus sortem ille tulit;
Quisquis Divûm placito vivit.

ACTVS II.

Scena Prima.

Iacob queritur publicam famis calamitatem

Erat autem fames in terra Chanaan.

Gen: 24.

Iacob cum Filijs.

Iacob. O Fata Patris aspera! infelix Jacob!
O chara soboles! tu Patrem miserum (facis,
Quæ me beatum feceras Patrem prius.
Si mihi negâsset filios cœlum, minus
Miser fuissem, parte Deus illâ premit,
Quâ me levavit: Filij! ô Patris dolor!

Ijdem-

Ijdemque Patris gaudium! Quidquid premit
Natos, parentes enecat. Sobolis fames
Mors est Jacobo. Singulam affligit suus,
Me singularum prolium extinguit dolor.
Tot unus obeo fata, quot fatis mei
Obire possunt filij. O Patris dolor!
O chara soboles! video. sed video meum,
Funus. *Simeon.* Labantem fulciant nati patrem.
Iac. Nempè ut labantes opprimat natos pater.
Sim. Vitam cadentûm sustinent nati patrum.
Iac. Cadente vitâ filij occumbit pater.
Miserande genitor! funere haud uno satis
Necande, prolis morte duodenâ cade.
Iudas. Imò superstes genitor ut vivas, suis
Decimas Parenti Filij ex annis dabunt.
Iac. Mors est Parenti vivere, ubi proni cadunt
In fata Nati. non inexpertus loquor.
Iosephe mi! mi Nate! post funus tuum
Vix umbra patris vivo. sed vivo tamen
Ut sæpè moriar. Nate quid feci pater?
Tuos maniplos, Nate nunc offer Patri.
Jam credo somnis, offer ô Joseph seni
Cererem parenti. *Rub.* Vive non vacuus spei,
Amande genitor, quas negat Chanaan opes,
Memphis propinat. Venia si detur, Ceres
Opulenta uostras gaudia in terras vehet.
Iac. An vera loquere? an vera quæ velles, tibi
Mentitur animus? *Rub.* Vera narravi Pater.
Lev. Si venia eundi genitor, à Nilo Ceres
Advecta domui patriæ vitam dabit.
Iac. O chara soboles, ibitis. Viæ interim

Pa-

Parate cultus. Nescio quam animus mihi
Filicitatem spondet à vestra via.

SCENA SECUNDA.

Iosephi jussu ædificantur horrea ad numeros Musicos.

Aperuitque Ioseph universa horrea
Gen: 41.

Ioseph. Operarij.

Ioseph. Hîc est arena, quâ strui molem decet
Populi in salutem. Brachia labori date,
Felicitati publicæ hoc studium datur.
Exstruite molem: primus est damni gradus,
Diem evolantem languido passu sequi.
Hora occupanda est. nulla, si fugit, redit.
Oper. 1. Præcipe, vel ipse nutus imperium dabit.
Oper. 2. Præcipe: labori stamus accinctæ manus.
Ios. Ergo labori fervido insudet calor.

CHORUS.

Operarum ad numeros horreum exstruentium.

Oculus Regem providus ornat.
Hâc lege Deus ponit in alto
Solio Reges; inde suorum
Ut prospiciant utilitati.
Unde suorum suspiciuntur
Oculis; illuc ipsi aspiciant.

Solium specula est. Indè videtur,
Si quatorsan parte minetur
Turbo malorum. Solium Pharos est,
Illuc medio jactata freto
Spes prora suas mittit, & ignes
Avida expectat; cum decumano
Fortè tumultu maris & venti
Avia rapitur. Solio Joseph
Eminet alto; ut quidquid acerba
Fortuna mali coquit, Ægypto
Procul avertat; dubiamque ratem
Regat, & tandem post decumana
Jurgia tutæ sistat arenæ.
Nîl cruda fames: nîl sterile solum
Minitàre mali septem annorum
Cerere exustâ, quod non videat
Providus oculus, quod non caveat
Dextera solers. videt, Ægypti
Gratia, Joseph videt & Pharao
Summum Augusti caput Imperij;
Retroque fugat tormenta famis,
Sterilisque soli damna antevenit.
Turpis egestas, inamœna fames,
Postrema stygis filia, Averni
Ultima soboles, cede Canopo:
Excede fames. Multæ struimus
Horrea Cereri. Discede fames,
Io! labores fervete mei:
Populi vita hinc pendet, & amplus
Status Ægypti. Surgite cœlo
Monumenta mei viva laboris.

Huc pressa fame turba Canopi,
Summoque gemens liminè vitæ
Propera civis, properá; in istis
Opulenta Ceres sedibus habitat.

SCENA TERTIA.

Iacobi filij mæstum complorant, Patri valedicunt, in Ægypto frumentum quæsituri.

Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto. *Gen*: 42.

Iacob cum filijs.

Iacob. Descende mœste genitor umbrarum ad domum,
Satur dierum: viximus terris satis,
Satis dolori. Pandite infernos lares
Habitara patribus regna, concessis mihi
Implenda regna luctibus. Mites poli
Eripite vitam; Stamen ignavum Deæ
Citate: mortis plena, quam vivo, est dies.
Præstat sub umbras abripi infernas senem,
Quàm semper atram vivere in lacrymis diem,
Et opprimentis ferre fortunæ impetus.
Dum tamen amantis jussa sic cogunt Dei,
Promptè feramus. Quamlibet cœlo manum
Intendat armis, languido semper tonat
Ardore Numen: dum ferit, lenit simul.
At vos salutem, fortè supremam, mihi

Dum

Dum chara fertis capita; complexu meo
Stringenda proles ultimum in pectus veni.
Abire quando filios cœlum jubet,
Abite: vitam quærite, & mihi, & meis.
Parata cuncta? restat an quidquam super?
Ruben. Felicitatis vota de cœlo advoca,
Amate genitor, quosque complexu tenes
Jube secundo Numine Ægypti plagas
Natos tenere. *Iac.* Voveo: comitetur Deus,
Idemque socius ducat, & socius meos
Iterum reducat filios. *Rub.* Imus, tamen
Meliore tecum parte remanemus. Vale.
Sim. Qui jungit animos, dividit natos amor
A Patre, rursus ille sed junget Patri,
Iudas. Animam hic relinquo Patris in gremio: mori
Si fortè cœlum jubeat, hoc condar sinu.
Ben Et me supremo Genitor amplexu excipe.
Iac. Non sic tenelle Benjamin; fesso patri
Solamen unum! ah! una tu nostræ spei
Anchora, superstes nate morituro seni.
Ben. Dilecte Genitor, *Iac.* Nate.
Ben. Mi Pater! vale.
Iac. O nate! non sic. *Ben.* Sic Pater.
Iac Patrem mori
Cogis? *Ben.* Valere filius patrem jubet.
Iac. Prius peremptum.
Ben. Vivere ut valeas, Patri
Vitam requiram fratribus junctus. Vale.
Iac Abis? *Ben.* Parenti. *Iac.* A Patre?
Ben. Pro patre. *Iac.* Benjamin,

Ah

Ah Benjamin! *Ben.* Natus tuus.
Iacob. Cordis mei
Pars prima, chare Benjamin. *Ben* Cordis mei
Spiritus amate genitor! *Iac.* O fili mi! abis?
Ben. Tibi mori paratus. *Iac.* Et mecum quoque
Vivere. *Ben* Genitor ô vive! abeo.
Iacob. Nate ah! mane.
Ioseph sat est perisse. Tu fili patri
Solamen unus super es. ah Ioseph meus!

Scena Quarta.

Filij Iacob attingunt limites AEgypti.

Ingressi sunt terram Ægypti.
Gen: 42.

Fratres Iosephi. Pastores.

Ruben. Auditis? an me blandior ludit iocus
Ridentis auræ? *Sim.* Melior hic facies poli,
Fæcundiorque scena melioris soli.
Rub. Auditis? *Pastores.* O felix solum!
Amabilis Canope!
Clementiore siderum
Luce irrigata terra.
Fidele cui dant arbores
De fructibus tributum,
Segetesque pingues aureo
Undant per arva fluctu.
Regno propinqui limites
Fame exedente languent.

Nobis

Nobis Tonantis munere
Arista inundat arva.
Chanaan adusti limites
Torrente Sole languent:
Vobis benignus siderum
Aspectus arva replet.

Past. Æstate in una pluribus
Annona crescit annis.

Frat Olim beatè viximus!
Sed viximus!
Felicitas, necessitas,
Ut nox diesque currunt,
Felicitatis occidit
Dies, necessitatis
Nox incubat. Nilotici
Miseris favete Cives.

Omn. O fausta regna Mempheos!
Amabilis Canope!
Cui larga cœli gratia
Disseminat favores,
Uberque terræ copia
Flavescit in tributum,
O fausta terra Mempheos!
Amabilis Canope!

Sim. Si vera cantat inter arboreos sinus
Pastor quietus, summa votorum mihi
Vobisque fulget. Imus, & quà sese agri
Jactant Canopi, Cerere replemus Chanan.

Ru. O magne olympi Rector, & terræ Arbiter!
Dabisne Cererem divite Canopi solo
Referre mæsto Jacob! ô dabis Pater!

Qui liberali bestias cu. à foves,
Non negligente filios curas manu.
Sim Quid video fratres?
Iudas. Fortè peregrinus suum
Jam deflet aurum perditum.
Rub Vide, ò Deus!
Videte fratres! noscitis? Ioseph hic est,
Quem vendidistis? Frater, ah!
Iudas. Certè notat
Josephum imago. *Rub.* Totus in vultu micat,
In ore totus, totus in fronte & genis,
Habituque toto corporis Joseph. DEUS
Quantum minatus fratribus!
Iud. Fratres vocat
In ultionem frater, atque auri monet,
Quod impiavit vendito Joseph manus,
Animosque nostros.
Sim. Hoc habet timor, omnia
Interpretatur semper in pejus: scelus,
Quod mordet intus consciam mentem, sibi
Portenta fingit.
Rub. Mente sed nunquam excidet
Vivace frater. Quod diu premimur fame,
Hoc perpetratum crimen in fratrem facit.
Sim. Vetusta cantas, sæpè quæ casus tulit,
Portenta cœli dicimus, & aurum manu,
Metumque mentis frater è sinu abjice.
Rub. Iustitia poscit, redde quod non est tuum,
Quod terra manibus obtulit, melius suo
Domino reponet. *Sim.* Ite non trepido gradu,
Quò vos famentes Mempheos messis vocat.

SCE-

Scena Quinta.

Iacobi de filijs folicitudo. Benjamin Patrem solatur.

Iacob. Benjamin.

Iacob. Quis me labantis sæculi pressum malis
Inauspicatus impetit cœli furor?
O justa semper Numinis nostri manus!
Seu leniat, seu feriat, est semper Pater.
Nuper parentis nomen, heu! misero Jacob!
Abstulit acerbus fortis inimicæ rigor.
Unâ per-emptâ prole concideram Pater:
Peregrina reliquos filios tellus habet,
Et fors in unum condit extinctos locum,
Unus relictus Benjamin mœsto patri es.
Ben. Meliora læto concipe affectu Pater.
Unus parenti serviam vice omnium.
Iac. Unius aptè damna compensas: tamen
Utrumque mallem. *Ben.* Duplici me ergo fove
Amore genitor. *Iacob* Num Patrem dubitas tuum?
Ben. Joseph vocabas memet, ut Joseph amo:
Sum Benjamin, ut Benjamin Patrem colo.
Hoc basium dat Joseph, hoc dat Benjamin.
Iac. Hoc Benjaminum stringit amplexu Pater.
Joseph suum isto amplectitur: quin si lubet.
Utrumque stringit unico. O magnæ domûs
Spes una Nate! sive sis Joseph mihi,
Seu Benjaminus, vita genitoris tui!
Dum morte pejor orbitas Patrem premit

Fessumque reliqui deserunt Nati senem,
Uno beatus Benjamin: erro? meo
Joseph beatus vivo; quia geminâ traho
A prole vitam. Mortuus non est meus
Josephus: in te vivit, ô mi Benjamin?
Si: una geminas gaudium soboles patri,
Servasque vitæ. Sic Deus quando feris,
Lenimen aliquod semper impendis malo.
Premente non vis opprimi quemquam malo.
Cùm fel propinas, melle dilutum admoves
Ori bibentis. Nulla tempestas ratim
Sic erudito navitæ fractam eripit,
Nulla ut supersit tabula supremo malo,
In felle mei est Benjamin, tabula in mari.
Ben. Mergar ego, dum te fluctui eripiam Pater.

SCENA SEXTA.

Advenientes amicè excipit Iosephi Procurator, spem facit peritorum.

Fratres Iosephi. Baladat Procurator.

Ruben. En ille tandem Regiæ limes domûs,
Niloticique Principis vasti lares.
Sim. O si benignus Numinis magni favor
Fraterna vota provehat. *Iud.* Nemo perit,
Quicunque sacram Numini addicit fidem.
Sed ecce ab aula nobilem specto virum.
Præoccupemus.
Rub Domine, germani sumus,
Hæc dena fratrum turba, quos patrio fames

La-

Lare evocavit. Liceat afflictis diu
Desideratam Regij affectus opem
Sentire, & empta ferreum imperium famis
Cerere, à paterno pellere heu! mœstis lare.
Balad. Vos ergo limes dissitus nostro exules
Admovit orbi? *Sim.* Dissitus limes tuis
Admovit oris exulem errantium manum.
Balad. Quæ patria vobis? *Rub.* Chanaan.
Bal. Vivit Pater?
Rub. Vivit.
Bal. Nec ullus reliquus è natis Patri?
Rub. Superest tenellus unus: undeni sumus.
Bal. Undena turba numerus est impar; parem
Princeps amicus faciet. Hic nempè, ut suos
Excipere fratres, hospites semper solet.
Ruben. Liceat benignum (vota si quidquam valent)
Coram videre Principis magni jubar.
Qui Cereris emptæ compotes, duræ fami
Subtrahat, & ægrum lucis instauret diem.
Balad. Placent modestæ supplicum fratrum preces.
Venite in ipsos ædis augustæ sinus;
Vos profuturâ prodromus ducam viâ.

CHORVS.

Famentem mendicantemque Genium Chanaan Divina Providentia manipulis consolatur.

Erat fames in terra Chanaan.
Gen: 42.
Putabam nos ligare manipulos.
Gen: 42.

Genius Chanaan. Providentia.

Ge.Cha. Morior Chanan! eheu morior!
Exesa fame viscera morti
Fecêre viam. Languor in ossa,
In corda rigor jam penetravit,
Nulla famenti superest ultra
Spes mihi vitæ. Morior Chanaan!!
Si cui pietas viscera tangit,
Miseræ Chanan frangite panem.
Felix quondam rigui glebâ
Meliore soli, nunc rogo modicum
Panem Chanan. Agnosco tuum
Deus imperium premis & recreas
Sorte alternâ: Cœli prona
Veneror nutum; cujus jussu
Stamus, cadimus. Cœli imperio
Prospera lactant, aspera mordent.
Provid. Divûm nutu cuncta geruntur.
Ge.Cha. Quæ benè quondam steteram, jaceo.
Provid. Cœli quondam steteras jussu,

Nunc

Nunc quoque cœlo mandante jaces.

Genius. Tua sunt, tua sunt hæc jussa Deus.

Provid. Divûm nutu cuncta geruntur.
Veniet quondam, veniet melior
In vota dies. Divûm nutu
Cuncta geruntur.
Ubi res pereunt, spes ibi surgit.
Divûm nutu cuncta geruntur.

Ge. Cha. Merui fateor, merui pœnam;
Vos tamen oro, Pietas tangat.
Miseræ Chanan porgite crustam.
O duri homines! Sypilo corda
Decisa jugo, vel marmoreis
Durata fibris, quibus humanæ
Nulla miseriæ pietas tenuem
Movet affectum! mitior arbor
Porrige crustam.

Provid. Nihil æternum
Gravat in terris: currit in orbem
Fortuna premens, Fortuna levans;
Vice & alternâ fugiunt sese,
Seseque fugant. Tormenta famis
Meliore Deus fine beabit.
Divûm nutu cuncta geruntur.

Ge. Cha. O pia tellus! si radicem
Viscere condis, pia radicem
Da morienti.

Provid. Quandoque Deus
Ferit, & gaudet cernere luctus,
Quos in risum, & gaudia vertat.
Divûm nutu cuncta geruntur.

Genius. Non sic olim sapuit nectar,
Non sic pinguis fercula mensæ.
Discite quotquot cernitis astra,
Quotquot cœli ducitis auras,
Nihil humanis fidere rebus.
Orimur, morimur, stamus, cadimus,
Surgimus iterum: Jocus astrorum
Ludusque sumus. Discite, pectus
Mala quando premunt, speranda
bona
Bona quando fluunt, metuenda mala.
Provid. Divûm nutu cuncta geruntur,
Genius, Cùm tota favet Fortuna, time,
Favor & furor in una est dextra.
Cùm tota furit Fortuna, tace.
Quæ dedit iras, dabit exterso
Gaud a vultu. *Prov.* Divûm nutu
Cuncta geruntur. Gemitus rident,
Gaudia plangunt; excelsa cadunt.
Diruta surgunt, florida marcent,
Marcida florent.
Genius, Divûm nutu
Cuncta geruntur. Spiro & spero
Divûm in nutu. *Prov.* Vultum attolle.
Cernis flavæ munera Cereris?
Hinc tibi Numen depluet escas.
Hæc, dum luges, tibi disponit
Gaudia cœlum. Divûm nutu
Cuncta geruntur.
Video? fallor?
Video certè! date manipli

Gau-

Gaudia Chanan. ô quàm pius es
Deus in miseros.
Vterque. Discite, si quos
Adversa premuat, tolerare Deum.
Tristia lætis Deus immutat.
Sint sera licet, venient tandem
Sua constanti gaudia menti.
Divûm nutu cuncta geruntur.

ACTVS III.

SCENA PRIMA.

Ioseph adorantes agnoscit fratres, dissimulat: ut exploratores carceri mancipat.

Cumque adorâssent eum fratres sui, & agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, &c. Tradiditque illos custodiæ.
Gen: 42.

Ioseph. Baladat. Fratres Iosephi.

Ioseph. Citius moneri decuit adventûs virûm,
Ut obviaret Regia in donis manus.
Lenta Beneficia gratiam perdunt. bene
Quicunque facere gestit, occurrat prior.
Qui vult rogari, aut dubitat an velit dare,
Et est neganti propior, aut negat diu.

Balad. Aliunde veniunt.
Ios. Numquid externis minus
Putas favendum? nescit arctari solo
Amor paterno: quà potest, liber volat
Partes in omnes: nescit excitri; magis
Amat obviare. Fare, quà veniunt soli
Regione, quàve patriâ? *Bal.* E Chanan sinu
Venisse dicunt. *Ios.* Chanaan? ô Chanaan?
Dilecta tellus! quando te! Siste huc viros;
De patre forsan aliquid, aut fratrum choro
Ferent Josepho. *Bal.* Poplitem incurva Duci,
Meritumque magno Principi cultum exhibe.
Ruben. Divine Princeps.
Ioseph. Somnia, an vera intueor?
Sim. Monarcha. *Ios.* Suntne?
Levi. Pauperum spes, & pater.
Ioseph. Quid anime dubitas?
Zabulon. Alter Ægypti pater.
Dan. Miserorum Asylum.
Gad. Plebis afflictæ salus.
Ioseph. Erige jacentes.
Nephtali. Proximum cœlis caput.
Issachar. Pupilla Regis.
Ios. Premere tantisper decet
Vires amoris. *Rub.* Patere adorari genu.
Aser. Salvator orbis supplices audi viros.
Rub. Servare miseros Principis primum est decus.
Ios. Quæ lerna vobis patria est? quânam è specu
In ista regna subdolum infertis gradum?
In ore timido cordis arcanum patet.

Time-

Timere nescit innocens. Semper scelus
Trepidat, & omni parte se captum putat,
Quod pectus imo condit arcanum sinu,
Frons timida loquitur.
Ruben. Si jubes Princeps, loquar.
Nullius animum criminis pulsat metus.
Tui ira vultus, ac supercilium grave
Concussit animos. Principem iratum timent
Etiam innocentes. *Iof.* Quàm pijs verbis tegis
Lernam malorum. fronte pietatem refert
Qui volvit odia. Quæ patria? quisve est pater?
De stirpe noscam, mente quod volvas scelus.
Rub. Ingens Canopi Columen, è Chanan tui
Venere servi. publica coëgit fames.
Iof. Dolosa capita, fraudibus natum genus,
Perimere me voluistis? *Rub.* Avertat Deus.
Iof. Perimere Regem?
Rub. Supplices voces dare.
Iof. Ob nota scelera. *Rub.* Vita quò detur simul
Natis, patrique. *Iof.* Nempè promeritis mori.
Rub. Fraterna si quid scelera meruerunt, Pater
Non meruit ullo crimine, ô Princeps, mori.
Iof. Patrem innocentem sæpè natorum scelus
Fecit nocentem. *Sim.* Supplices tendo manus.
Iof. Quis? *Sim.* Simeon. *Iof.* Cui?
Sim. Principi. *Iof.* Non hic tibi
Sum visus antè. *Rub.* Si dabis veniam, dabis
Patrique, fratribusque. *Iof.* At in memet reis.
Rub. Supplicibus. *Iof.* At post scelera.

Sim. Tunc veniæ est locus.
Ios. Fatere tandem. Post scelera veniæ est locus?
Si. Satis est nocens, qui Principi est visus nocens,
Quamvis sit innocens. *Ios.* Video.
Iudas. Vides tuos
Magne ô Monarcha servulos.
Ios. Servos meos?
Omnesne? *Rub.* Bisseni patre ex uno sumus;
Unus levamen triste genitori lares
Tenet paternos. *Ios.* Ille frater est. Ubi
Duodenus ergo? *Sim.* Præda jam morti datus.
Ios. Credamne? *Iud.* Parce mi Domine, non est
super.
Ios. Non credo. solus nempe solamen patri
Minimus, nec ullus major obsequio senis
Relictus. Ecce fraudis inventæ notas.
Æterna regni sceptra, Pharaonis caput,
Dextramque juro: nullus in patrios pedem
Referet Penates; donec & natu infimus
De stirpe vestrâ subeat aspectus meos.
Rub. Vitam parenti subtrahe.
Ios. Omnes volo
Fratres videre, ab omnibus coli volo.
Rub. Omnes adorant Principem. *Ios.* Serò nimis
Aliquando noluistis. *Rub.* At posthac. *Ios.* Diu
Nec patiar istud. cedite è vultu meo.
Claudantur umbrâ carceris, donec velint
Fratrem minorem sistere. ô quantum premis
Luctantis animi viscera ô potens amor!

SCE-

SCENA SECUNDA.

Lamenta fratrum in carcere. Locuti sunt ad invicem.

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. *Gen.* 42.

Fratres Iosephi.

Non innocui plectimur atris
Carceris umbris, monet antiqui
Sceleris morsus. Nos nos fratrem
Sæpè innocuâ voce precantem
Miseræ prædam dedimus morti.
Ille affusus genibus, fratres
Parcite, dixit, misero fratri.
Nos immites lachrymas pueri
Non audiimus, sæpè cruento
Scrutaturi viscera ferro,
Nisi nos fratris mitior animus
Avertisset. Tamen immites
Cisterna probat, preciumque leve
Quo vendidimus patris afflicti
Dulce levamen, fratrem insontem.
Quid peccavit puer innocuus,
Quòd levis illum lusit imago
Somni? nos nos nocuos fecit
Culpa perempti fratris; merito
Vindicta reos premit à tergo.
Sit sera licet, seria tamen est,
Quæ nos plectit pœna Tonantis.

Nemo sceleris reus impunem
Spectat olympum. Præmissa viam
Planam Nemesi crimina sternunt.
Hàc illa gradus urget, culpa
Quà prior ivit. Non hoc crede
Minus ultrices armare manus,
Quod minus instat celeri pœnâ,
Est sua Nemesi jam dicta dies.
Hæc supremum mundo ubi lumen
Dederit, nullâ prece, vel precio
Placata manum tendet in iras.
Ah parce Deus! parce precantûm
Sceleri fratrum. Nisi nos grandis
Culpa ligaret, quid tu innocuis
Parcere posses? quo nostra magis
Crimina crescunt, magis hoc nomen
Tu clementis Numen habebis.

SCENA TERTIA.

Luctatur inter affectus Ioseph. Educuntur de carcere fratres: increpantur. Petitur, & promittitur Benjamin. Obses datur Simeon.

Eductis de carcere ait: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & abite: fratremque vestrum minimum ad me adducite. *Gen. 42.*

Ioseph. Fratres Iosephi.

Ios. Perage imperata; patre Chananæo satos
Siste è catenis vultui fratres meo.

Ergo

Ergone Sypilo corda, vel durâ geris
Decisa caute Joseph? Es frater. Nisi
Inambulârit cordis insani fibras
Crudele marmor lachrymæ affectum pium
Exsculpent, tabunt. Patrium noscis genus?
Animoque veterem subdolo fratrem tegis?
Agnosco. sed & sceleris antiqui nova
Sollicitat animum forma: polluti Dothan
Campi recurrunt: arida, ac solum meis
Cisterna lachrymis rigua, tam vili caput
Precio æstimatum. Nempe de fonte hoc mihi
Fluxêre deinde servitus, carcer, situs,
Vincula, catenæ, compedes, Regis furor,
Sannæque populi. Statue, quâ pœnâ exigat
Scelus hoc piari. Judicis sedem tenes
Ut jura dicas, scelera vindictam invocant.
Sed sanguis idem vindice a ferro jubet
Manum abstinere. Judicis partes jubent
Spectare causam, non patrem aut patriam rei.
Natura juri pugnat. Ubi lege exigunt
Summum rigorem jura; pietati locum
Non denegarunt. Sanguis excœcat. Putas
Pietatis esse parcere, & proprio studes
Judex iniquus sanguini. Non est pius,
Quicunque parcit crimini, quando imperant
Leges rigorem. Sed dolent factum: neque
Lubet iterare. Scelera sic luunt satis.
Resume fratrem frater, & veterem indue
Iterum Josephum. Culpa quæ fecit reos,
Te posuit eadem Principes inter viros,
Virgamque regni dexteræ, excelsæ dedit

Diar-

Diademà fronti. Sortis hic melior favor
Pensat, quod ira nocuit. Excelsum genus
Est ultionis; facere cùm possis malè
Nocere nolle, velle benefacere. Hoc age,
Ostende fratrem fratribus. Vincti gemunt
Nec te revelas? Ah amor! potens amor
Erumpe tandem, & libero affectu rue.
Sed ratio suadet aliud. Aliquando juvat
Celâsse amorem. Prodita in ventos leves
Flamma evaporat: perditur apertus calor,
Qui benè latuerat. Crescit occultis Amor
Alitus medullis, Carceri inclusi luunt,
Culpamque fassi lachrymis toti fluunt.
Age anime. Sed non expedit. Tamen! Vetor.
Aliquid amori detur. Est violens nimis:
Si vel parum concesseris, totum rapit.
Si premitur ignis, opprimi tandem solet,
Sed Benjamino careo: nec charum Patrem
Adhuc videre licuit. O dulcis Pater!
O Benjamine! nulla mihi menti est quies,
Dum Benjamino careo, dum careo patre.
Sed nec carebo fratre, nec diu Patre.
Adestis atro carcere, & ferri gravi
Pondere soluti. Facinus in apertum date,
Vel innocentis tesseram mentis mihi
Sistite minorem Benjamin.
Ruben. Si vis Patrem
Perimere, *Ios.* Fratres noscere, & Patrem simul
Volo innocentes. *Ruben.* Nosce.
Ioseph. Sed nondum dies
Demonstrat illud, donec à vobis mihi

Do-

Domi relictus Benjamin detur. *Ruben.* Jube
Quod facere possint servuli, effectum dabo.
Ios. Jubeo, quod agere debeat, quisquis suam
Tuetur innocentiam. *Rub.* Patrem jubes
Necare. *Ios.* Si sis criminis purus, dabis
Vitam parenti & fratribus.
Simeon. Princeps, mihi
Indue catenas: omnium pœnas feram,
Dum vita Patri detur?
Ruben. Ego chalybem feram.
Iud. Ego in catenas irruam *Io.* O potens amor!
Simeon catenas induat primus: Ceres
Aliis petita detur, & relegant viam.
Rub. Iterumne fratrem vendimus?
Simeon. Veniet lucro
Redempta patris vita. *Rub.* Sat multo stetit
Unus parenti venditus: quantas dabit
Pro Benjamino lachrymas mœstus senex!

SCENA QUARTA.

Iacobi lætum de Iosepho & Filiis somnium.

Iacob. Genius Ioseph. Morpheoli.

Iac Quousque mœsti barbara Ægyptus tenet
Sobolem Jacobi? nec sua afflicto seni
Concessa reddit pignora, & amores suos!
Ah lenta nimium volvitur cœli rota,
Horæque longæ! Benjamin, quo me trahis!
Memorare vetera sanguinis nostri jubes
Delicta. Nempe suspicax res est amor,
Semperque metui proximus. Mentem fera

Pessi-

Pessima fatigat; quæque laniatu truci
Discerpsit alti generis accrescens decus
Meum Josephum. Numen averte obsecro,
Quidquid malorum pectori ingessit timor.
Sat grande vulnus nuper infelix tuli
Joseph adempto; quod super misero patri est,
Solamen unum Benjamin; illum mihi
Nox inter umbras pingit, & fallax dies
Objectat animo. si quis innocuum tulit
In ore florem juvenis, & culto decens
Obviat amictu, Benjamin credo meum
Videre: & error ipse delectat patrem.
Mox Benjamino metuo, quod Joseph tulit,
Sic mente quoties Benjamin volvo, redit
Animo Josephi casus, & Patris dolor.
Ah mi Joseph! dilecte fili, mi Joseph!
Ah! mite Numen eripe hanc animam Patri,
Ut vel Josepho mortuus jungar meo,
Si nequeo vivus! Langueo quando meum
Joseph revolvo mente. mi Joseph! Joseph!
Excipe cadentem brachiis Patrem Joseph!

CHORVS.

Morpheolorum vineam repræsentantium, cui Genius Josephi incumbit.

Gen. Jos. Vinea patri suus est natus;
Vinea felix: si velut uno
Sanguine prodit, sic & amore
Vivat in uno. Fratrum rarus
Amor esse solet: quando parentum
Non æquus amor semper ocello

Illum

Illum dextro respicit, illum
Vix dignatur cernere lævo.
In natorum numero quisquis
Solus amatur, non benè amatur.
Reliquis unus cedit in odium,
Quem malè dispar gratia prensat,
Sed tamen unus magis est sæpè
Dignus amari, quem naturæ
Gratia major cum virtute
Magis ornavit. Regula recti est:
Juxta meritum dilige quemque:
Sed signa tamen cautus amoris
Semper soboli paria impende.
Loquor expertus fraterna odia
Nuper Joseph, sed venit hora
Quæ dissidiis animo pulsis
Tandem fratres meliore liget
Vinculo amoris.

Jacob. Ubi sum? vigilne vera conspexi? an sopor
Illusit oculis? ille qui denas super
Vites sedebat, ille num est Joseph meus?
Est ipse certè Natus; aut saltem Joseph
Sincera imago, somnio illudor miser.
Non est. sed est imago viventis Joseph.
O mi Joseph! dilecte fili mi Joseph!
Quò vota mitto cassa, quò vacuas preces?
Nempè hoc amantûm est: somniant, quod diligunt,
Et per quietem facta persuadent sibi,
Quæcunque vellent facta, dum vigiles agunt.

SCE-

SCENA QUINTA.

Ioseph pecuniam jubet in saccos fratrum reponi, dum illi Simeoni in terram Chanaan redituri valedicunt.

Jussit ministris, ut implerent saccos eorum tritico, & reponerent pecunias singulorum. *Gen.* 42.

Baladat. Fratres Ioseph.

Bal. En quam tulêre Cereris in precium datæ
Viri monetam. Moneo, quod dixi ocyus
Fac expeditum, precia pro Cerere viris
Tacitus repone. *Se.* Quod jubes, factum dabo.
Rub. Jumenta Cereris pondere aggesto gemunt?
Viamque carpunt. *Bal.* Nullus est usquam dolus
Rub. Nullus nocentes arguet precium dedi.
Bal. Dedisse fateor: ne dolus subsit, cave,
Fraus malè parata sæpe in authorem redit.
Iud. Fraus nulla sceleris consciam mentē arguit.
Baladat. Cavete; moneo.
Iudas. Cavit hic satis, cui
Mens pûra labis, innocens mentis sinus.
Bal. Revisite ergo patriam. *Rub.* Fratri tamen
Prius relicto in vinculis mœstum vale
Dixisse liceat. *Bal.* Carcere hoc vinctus latet.
Ruben. Simeon! ubi es dilecteSimeon?
Simeon. Quis sonus
Pertentat aures?
Ruben. Frater ah! Simeon ades?
Sim. Adsum. *Rub.* Valere turba te fratrum jubet.

Ægy-

Ægypto abimus, patrios rursum lares
Repetere jussi: quid jubes Simeon tuo
Per nos referri nomine afflicto patri?
Sim. Salvere Patrem filius ferro gravis,
Vinctus catenis, carceri inclusus jubet.
Si me premente liberum ferro cupit
Cernere, minorem Benjamin mittat Pater,
In quo salutis vertitur cardo meæ,
Poterit carere tempore exiguo senex
Puero, coronam prolis ut servet suæ.
Omnes tenebit, Benjamin si non nimis
Retineat unum. Deinde quam sortem Deus,
Natis, patrique imposuit, hanc sensu ferat
Vivace semper, nempè sic placuit Deo
Natum in parente premere, & in nato patrem:
Ut uterque proprio doleat afflictus malo;
Alienum uterque sentiat. *Rub.* Simeon vale!
Loqui volentem plura, non sinit dolor.
Sim. Brevis hora fratres rursum in amplexû dabit.
Quamvis acerbæ sortis in morsu grave
Solamen istud accidat; vivet tamen
Spes firma fratrum in pectore.
Dan. Amplexus tuis
Quando negatur brachiis, animi intimis
Te amplector ulnis frater, & mente osculor.
Sim. Valete. Vosque fratris afflicti memor
Solicitet animus semper, ut celerem malo
Opem feratis. Interim nostram Deus
Benigniore dirigat viam manu.

CHO-

CHORVS.

Iussu Divinæ Providentiæ triturantur manipuli à Marte, subducitur à Pace excussum frumentum, & in horrea Aegypti infertur: solatium impenditur Genio Chanaan.

Providentia. Genius Chanaan. Mars. Ira. Furor. Nemesis. Pax. Ceres.

Provid. Quid fles Chanaan!
Ge Cha. Famis extremæ
Tormenta fleo. *Pro.* Deterge genas,
Ego ſum Mater. Mala quæcunque
Te nunc cruciant, in bona vertam.
Audi Nemeſis, Mars, Furor, Ira,
Decreta jubent Numinis, audi.
Ma. Ir. Fu. Ne. Prompti imperiis parere tuis
Adſumus omnes. *Pr.* Ecce Manîplos!
Ad trituram jubeo prompta
Brachia ſtringi.
Ma. Ir. Fu. Ne. Juſſa paramus,
Stringimus omnes.
Provid. Chanaan audis?
Hic tibi a riſtis opulenta Ceres
Frumenta dabit.
Ge. Cha. Hinc ego ſperem?
Nimis heu! cruda eſt Ira, Furorque:
Nil ego ſpero. Nimis heu! crudus
Mars, & Nemeſis: nil ego ſpero.
Provid. Ego ſum mater: quæcunque mala
Te nunc cruciant, in bona vertam.

Cùm

Cùm nulla ſuper ſpes affulget,
Sperare licet. Brachia promptis
Ad trituram ſtringite flagris.

Omnes. Ad trituram.

Mars. Quis mihi clangor

Furor. Quæ pugna mihi ſævit in aures?
Arma arma viri, Comites arma.

Ge.Cha. Non ſatis ergo premit eſuties?
Adjicit etiam prælia noſtræ
Bellona fami. *Pro.* Mala quæcunque
Te nunc cruciant, in bona vertam,

Pa.Ce. Martis amaræ redeuntne minæ?
Buccina crepuit; redeuntne metus
Martis amari? *Pr.* Mala quæcunque
Fugitiva times, in bona vertam,
Siſtite greſſum.

Pax Cer. Ferus à tergo
Mars arma citat.

Prov. Siſtite greſſum,
Mala, quæ torquent, in bona vertam.

Pa.Cer. Cùm fata premunt, vix benè fortis
Satis eſt virtus, ut fata ferat.

Prov. Agite in caſus, dum ſæva rotat
Prælia Mavors, pinguis legite
Dona manipli Mala, quæ cruciant
In bona vertam. ſæpè procella
Dubiam navim tulit in portum.
Mala quæ cruciant, in bona gaudet
Vertere Numen.

Pa.Cer. Juſſa peregi. *Pro.* Gremium Ægypte
Reclude tuum, tibi donatur

Opu-

Opulenta Ceres.

Ge.Cha. Sed mihi miseræ
Nihil omninò?

Prov. Mala, quæ cruciant,
In bona vertam.

Ge.Cha. Te rogo Mater!

Prov. Mala, quæ cruciant, in bona vertam;
Agite Ægyptum dità e bonæ
Munere Cereris,

Omnes. Chanaan! audis?
Hic ubi pandit gremium Ægyptus
Tibi larga Ceres semper aletur.

Ma.Ir.Fu.Ne. Etiam dum pax regna gubernat,
Bella timentur. sonuêre minæ;
Non ultra: sed sæpiùs etiam
Tuta timentur.

Mars. Age, trituram mecum repete.
Sed quid video! mappa ablata est.

Prov. Sæpè arat unus, sed metit alter,
Quique laborat, sæpè laborum
Caruit fructu. Deus arbitrio
Dirigit orbem.

Ma.Ir.Fu.Ne. Sumus elusi.

Prov. Hinc relliquias tolle laboris,
Jubet hoc Numen, tollite stramen.

Mars.Ira. Sumus elusi.

Fur.Nem. Sumus elusi.

Omnes. Deus arbitrio dirigit orbem.
Quæcunq; homines adversa premũt
In bona gaudet vertere Numen.

ACTUS

ACTVS IV.

SCENA PRIMA.

Reversi ad Patrem Filii reperiunt in saccis pecuniam. Referunt pets Benjaminum, remansisse obsidem Simeonem.

Venerunt ad Jacob patrem suum in terra Chanaan, & narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi.

Gen. 42.

Iacob. Benjamin. Fratres. Servus.

Rub. O Quàm secundis astra fulserunt notis!
Phariis ab usque laribus in domum patris
Comitata nos felicitas promptâ dedit
Manu favores. Ante geminatas opes
Dilecta salve patria, & gremio accipe
Favente natos. Adsumus missi tamen
Minore numero. Fronte quâ genitor feret,
Quâ mente, quando Simeon vinctum audiet?
Ben. Quæ turba juvenum? fallor? an cerno meos
Adesse fratres? Concolor meos notat
Fratres amictus. Estis ò fratres mei.
Pater! beate vive! totumque explica
Sinum favori siderum: en fratres mei.
Iacob. O astra quanta gaudia adfertis! meos
Videonè natos? tota in amplexus rue

Soboles parentis.

Ruben Favit,& terra,& polus.
Reliquos favores unus hic superat,tuo
Quod liceat iterum genitor amplexu frui.
Ben,Salvete fratres,nobile levamen domus.
Rub.Unus levare natus afflictum senem,
Fratresque. Chare Benjamin salve,& Patri
In vota cresce. *Iac*.Quanta de Phario solo
Desideratæ Cereris in nostra horrea
Copia relata est?
Rub. Precia quæ superat ; fami
Opem datura. *Serv*.Cœlites sancti! fidem
Vix impetrabo.
Iacob.Quid novi refers? *Serv*.Metus
Referre prohibet. testor auratis diem
Superbientem curribus,non sum nocens.
Iac. Quisquamne sceleris damnat , aut reum
facit
Malè imputato crimine? *Se*.Inventum bonum.
Iac.Effare.*Ser*.Medio Cereris excussæ sinu
Aurum sepultum latuit. *Iac*. Hoc ipsum dedi
Pro Cerere pretium.
Iudas.Furta natorum pater
Ne suspicare ; precia pro cerere data
Hæc ipsa testor.*Iac*.Ruben in fidem venis?
Rub.Testor latentis conscium mentis Deum,
Sumus innocentes.*Iac*.Simeon fidem facis?
Ubi relictus Simeon? *Rub*.Patris ô dolor!
Iac.Quos mihi dolores? prodite.
Ruben.In tuum caput
Ausa est furentes agere tempestas minas!

Iac.

Iac. Iterum feroci dente sub densâ latens
Leæna sylvâ pectoris partem mei
Discerpsit? aut quam Simeon Phario sole
Rictibus hiantem præda saturavit famem?
Ruben. Vivit superstes.
Iacob. Quo solo vel quâ latet
Regione? fare: verus amor odit moras.
Ruben. Phariis sub umbris. *Iacob.* Æger?
Ruben. Affixus loco.
Iac. Morbo an catenis? *Ruben.* Vinculis.
Iac. Quibus? *Rub.* Rei
Quibus tenentur. *Iac.* Carceris?
Ruben. Densâ obsitus
Umbræ incubantis nocte. *Iac.* Quæ fecit reum
Patrata culpa? *Rub.* Nulla: sed pro te Pater,
Suisque sponte est fratribus factus nocens.
Iac. Pro me, meisque filiis? non est meus,
Quicunque natus factus est pro me nocens.
Iud. Inter propinquæ limites, vitæ ac necis
Carcer profundus obsidem fratrem tenet.
Iac. Aliquodne forsan ausus incautus nefas?
Rub. Quod crimen omnes afficit, id unus luit.
Iac. Omnes parentis nomen, ac amplam domum
Contaminâstis crimine? *Rub.* Afficto. Innocens
Licet esset animus omnibus, fratres tamen
Suspicio Regis proditi fecit reos.
Iac. Quod suspicari potuit ab inermi malum?
Rub. Suspicio fingit scelus, ubi nullum est scelus.
Iac. Et nulla ratio crimen abstersit. *Rub.* Scelus
Non delet ulla ratio, quod menti ingerit
Suspicio fallax. *Iac.* Pectus iratum preces

Fregêre nullæ? *Rub*. Pedibus affusus viri,
Madidusque lachrymis genua complexu tenens,
Miserere, dixi, magne terrarum arbiter,
Miserere magnis casibus mœsti Patris.
Iac. Et dura corda lachryma non fregit?
Rubenus. Stetit
Sententiarum pertinax: nec se tamen
Satiare passus. *Iac*. Forsan, & morti ultimæ
Dabit innocentem victimam.
Ruben Mores viri
Meliora spondent. *Ia* Nomen ô quoties Patris
Amitto Superi! rictibus nuper feræ
Objectus alter, alter infami jacet
Damnatus antro, forsan & letho datus.
Redimendus ergo Simeon precio. *Rub*, Et gravi.
Iac Quonam? *Ruben*. Minore Benjamin.
Iacob Nato meo?
Binis ut addam tertium funus? malè,
Malè prohibetur scelere majori scelus.
Rub. Si dederis unum genitor, accipies duos.
Iac. Si dederit unum genitor, occidet duos.
Ru. Gementem in antro deseres Natum Pater?
Iacob. Pater obsequentem filium in mortem dabo?
Ruben. Tuam in salutem.
Iacob Filium nullum decet
Propriam in salutem perdere.
Ruben, Invenies duos.
Iacob Non audiere.
Ruben, Genitor aut omnes necas,
Aut te carere parvulum ad tempus decet
Rachele genito Benjamin. *Iac*. Ruben fili.

Nos

Non audiêre. Benjamin totos sinus
Insume Patris. Ite: decretum est Patri
Cum Benjamino vivere, & vitam dare.

Scena secunda.

Benjamin à Patre veniam petit in Aegyptum abeundi ad liberandum Simeonem.

Iacob. Benjamin.

Iac. In hoc beatum prole me Numen facis
Ut undè tuleram gaudium, luctum feram
Opulentiore messe, quàm steterit seges.
Duodena turba pignorum fecit patrem,
Duodena natûm turba me miserum facit.
Natura quoties jure privaris tuo.
Ben. Mi genitor. *Iac.* Ora lachrymis sicca.
Benjamin. Dolor
Periclitantis fratris ex oculis vocat
Lachrymam frequentem. Moritur, & nullus manu
Juvat patronâ. Genitor es: sanguis tuus
Quærit medelam vulneri. Si non potes
Corpore senili ferre subsidium; sine
Me ferre genitor. hoc jubet pietas patri,
Amorque fratri debitus. *Ia.* Nunquam est satis
Ætate in istâ consili. *Ben.* At tamen satis
Pietatis esse poterit, ut fratrem juvem.
Dimitte natum genitor, ut fratri obviam
Feram salutem. *Iac.* Deseres fili patrem?
Ben. Patri ut reducam filium.
Iacob. Ut simul cadas

Cum fratre frater; funere & eodem trahas
Patrem in sepulchrum: si tuum pietas potest
Tantùm movere pectus in fratrem, patri
Plus nate debes.
Ben. Debeo, & fratri, & patri,
O misera pietas! ire si memet vetas
Fratri es scelesta: si jubes, peccas patri.
Iac. Recedis? huc mi nate, & infusum mihi
Conjunge pectus: habeat incolumem pater
Vel *Benjaminum*: cæde satiari potest
Unâ Tyrannus *Ben.* Ibo mi dulcis pater,
Ne pereat unus. *Ia.* Genitor ut maneas, volo,
Jubeoque. *Ben.* Jussa exosculor. Leges dare
Soboli parentum jura sunt, natus sequi
Est filiorum debitum. At pietas tamen
Sollicitat usque pectus, & fratrem ingerit;
Qui me profundo carceris specu vocat.
Audio vocantem: Benjamin nondum venis?
Pietate nondum victus Ægyptum tenes,
Oppessulatas carcerum ut pandas fores?
Iac. Fili per istas lachrymas pater rogo!
Ben. Pater per istas lachrymas natus rogo!
Iac. Nescius in arma nate, & in mortem ruis.
Ben. Rapiturque Simeon.
Iacob. Unus est pœnæ satis.
Ben. Hunc liberabo.
Iacob. Funus ut socium cadas?
Ben. Libenter inter fratris amplexus cadam?
Ia. Sine hunc præire morte, qui vixit prior.
Ben. O fata! frater est meus, natus tuus.
Iac. Meusque sanguis. *Ben.* Dubito,

Iac.

Iac. Cur? *Ben.* Toleras malum.
Iac. Invitus. *Ben.* Etiam dubito.
Iac. Deploro malum.
Ben. Sed non mederis. *Iac.* Non valeo.
Ben. Si non vetas,
Ego medebor. *Iac.* Peius est medium malo.
Ben. Redimere vitam fratris ambiguo malo
Si valeo, redimamus animę.
Iac. At metuo. *Ben.* Metus
Sæpè est inanis. *Iac.* Sæpè fatidicus quoque.
Ben. Prohibeor ergo facere, quod cunctis facit
Natura licitum? *Iac.* Nempe deserto patre
Amare fratrem? *Ben.* Fratre servato Patrem
Beare nato. *Iac.* Melius in nostro sinu
Lætus beatos exiges vitæ dies,
Quam vinculorum strictus amplexu,
Benjamin. Nequit
Amplexus esse dulcis in patris sinu,
Quando retorto fratris arctantur manus
Post terga ferro. *Iac.* Fortè jam frater diem
Clausit supremum. *Ben.* Funus adducam Patri,
Referamque cineres, urna quos patria tegat.

Scena Tertia.

Remittuntur à Patre filii in Aegyptum cum duplici pecunia.

Dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, & emite vobis paucillum escarum. Pecuniam quoq; duplicem ferte vobiscum: sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. *Gen.* 43.

Iacob. Benjamin, Fratres reliqui.

Ruben. Ecquando tandem genitor exsolvam fidem?
Iac. Adamante mens est firmior: nunquam meo
Sinu migrabit Benjamin: si qua est super
Via redimendi *Simeon*, illa licet
Tentare Pharium Principem? *Ruben.* Frustra Pater
Consilia torques: Benjamin Princeps cupit.
Iac. Vult s secundo scelere damnari? neque
Satis nocentes vos facit primum scelus?
Iud. Pro scelere stabit (si quod admissum est tamē)
Frater redemptus. *Iac.* Fratris id pretium fuit
Quod attulistis, venditum fratrem nega.
Rub. Superi loquantur. filiis non est fides.
Iac Quid agimus anime? distrahit geminus timor
Amorque geminus pectus in partes duas.
Be. Confide natum fratribus, fratres sequar.
Hac nixus ibo dexterâ, & vacuus metu
Per Pharia ductus nemora me sistam Duci.

Fra-

Fratris redemptor. Discet exemplo meo
Quid possit animus, quem pius stimulat amor.
Iac. Incautus ecquis prodidit natum? nihil
Silere posse, proprium est Juvenum malum.
Iud. Num prævidere licuit internos sinus,
Quando parentes, sanguinem, & patriã domum
Est sciscitatus: Benjamin quando audiit,
Toties repetiit: Benjamin fratrem volo
Natu minorem; Benjamin volo: neque
Laxabit antè Simeon ferro manus,
Quàm patris illud dulce solamen meos
Stet antè vultus. Publica hæc mala exigunt;
Fratres precantur, parvulus fletu rogat.
Iac. Cor fluctuatur: pectus huc pietas rapit,
Dolor huc reflectit. cede pietati dolor.
I nate Juda, quodque condebat Ceres
Allata, precium sume, quod Phario Duci
Jubeo reponi. Nolo, ut alieno mea
Contaminetur auro, & argento domus.
Sit ista deinde cura non minor, Patri
Servare natum. Perditur magno patri
Thesaurus ingens, quando progenies bona
Quocunque casu perditur. Vixi Jacob
Prole hâc beatus: illa si perit, perii.
Iud. Corona fratrum tota, pro hoc uno dabit
Vitamque sanguinemque & intento caput
Venale ferro: Vivet hic felix puer,
Auctusque magno fœnore redibit Patri.
Benè apprecare filio abeunti Pater.
Iac. Dolor ille levis est, verba qui nondum eripit.

Ia. Afferte genibus dexteram in patris sinum.
Be. Brevi paternum brachium stringet duos.
Iac. Vale supremùm nate dimidium mei.
Ben. Ah! dubius hæret animus; & patri retro
Sese refundit *Ia.* Cape supremum hoc basium,
Fors non licebit amplius. *Ben.* Genitor vale
Abeo. *Ia.* Vale mi Benjamin. *Ben.* Vale. *Ia.* semel
Adhuc Jacobum respice, & Patrem voca.
Forsan supremo lumine aspicies. *Ben.* Pater!
Iac. Fili. *Ben.* Redibo genitor.
Iac. Ah utinam! *Ben.* Pater!
Iac. Abite chara turba jam non sum pater.
O qui serenis temperas auras jocis!
Zephyrisque ludis, & procellosum premis
Boream sub antro montis, ac pluvias vetas
Hyadas olympum nube densatum solo
Eripere, cœli magne moderator Deus.
Meum tuere Benjamin! misero Pater
In prole vivis, pariter in prole & cades.

SCENA QUARTA.

Ioseph Simeonem audit in carcere lamentantem, agnoscentemque justam pœnam ex vendito Ioseph.

Videntes angustias illius, dum deprecaretur nos, non audivimus: idcirco venit supra nos ista tribulatio. *Gen.* 42.

Ioseph. Simeon.

Ioseph. Quem præsidere rebus imperii Deus
Jussit, quietus vetuit in gremio diem

Al-

Agere otiosum. Semper in curis agat,
Qui regna curat. Ista conjunxit DEUS;
Regnum, atque curam.
Simeon. Justus es semper DEUS,
Et cum potente dexterâ plectis nefas,
Et cum paternum pectus indulges reo.
Merui, fatebor, carceri includi, reus
Fratris perempti. *Ios.* Quis meas aures ferit
Gemitu, & querelis? *Sim.* Fateor, ô Deus, meo
Pœnam minorem scelere. mi frater Joseph!
Ios. Defler vetustum venditi Joseph scelus.
Sim. Mi frater! ego te vendidi pretio levi.
Ios. Mi frater, ego te liberum ferro dabo.
Sim. Incesto sacrum nomen; in fratrem nocens
Heu nomen istud perdidi. *Ios.* Es tamen.
Simeon. Fides,
Et vera pietas, non genus fratres facit.
Ego te peremi. *Ios.* Sed tamen vivo super.
Simeon Ego te peremi frater.
Ioseph. Accurre ô Joseph!
Ostende fratri temet, ô frater! *Sim.* Nocens,
Meritusque patior.
Ios. Lachryma in vultu natans
Facit innocentem.
Sim. Sed leve est, quod sim nocens;
Feci nocentes, in scelera feci viam
Fratribus. At istud crimen ignotum est: Deus
Sibi nota plectit crimina. *Ios.* Indulget quoque:
Quemcunque sceleris pœnitet, non est reus.
Sim O quanta forsan innocens pateris Joseph!
Ios. Agnosce fratrem frater. Absiste,

Sim. O Joseph!
Iof. Captive frater. *Sim.* Scelera detestor mea.
Iof. Natura sese prodit, in amorem eliquor.
Sim. Non gemo, quod unus plurium meritâ scelus
Persolvo pœnâ. Metuo suspectam fidem,
Reditumque fratrum. Perfidi fiant mihi:
Non est inausum facinus. hoc docui prior,
Priorque crudè perfidus fratri fui.
Iof. Consilia prava vertit in melius Deus.
Quid hic agendum? frater est, sanguis meus.
Lamenta rumpunt pectus! Aliquando fuit
In me scelestus. Fateor, aliquando fuit:
Sed esse nunquam desiit frater. scelus
Præstat pati, quam facere Jam patitur satis
Cæcæ tenebras noctis, illuviem, & situm,
Et jam peracta summa pars pœnæ diu est.
Non patiar ultra: manibus eripiam meis
Carceris ab umbrâ, compedis solvam moras,
Et nota fratris brachia amplexu petam.

SCENA QUINTA.

Fratres ad Nili oram consident, umbra, undis, & cantu recreantur.

Benjamin. Fratres.

Ben. Jam media cœli spatia suspensus polo
Æquali utrinque dividit vultu dies,
Tempus quietis commonet. Viæ est satis;
Solitæque vires pedibus officium negant.
Rub. Lubet virentem fluminis spondam super
Sede-

Sedere memores patriæ, & cantu graves
Levare curas? *Iud.* Littus invitat; jocus
Ludentis undæ cogit: in cantum pater
Fraterque veniant. Drama non aliud amor
Venire patitur.

Omnes. Cordium ô magnes Amor!
Tu scissa fratrum pectora,
Patrumque concatenas:
Si corda venas marmoris,
Vel tigridis induêre;
Tu frangis, & tenerrimis
Affectibus coërces.
Si spatia terræ dividant
A filijs parentem;
Non divídunt sed pectora
Animasque amore nexas.
Habet Canopus filios,
Chanaan habet parentem:
Sed filiorum pectora
In corde sunt parentis.
Hæc est amoris indoles,
Sociare corda amantûm.

Iud. Sed ecce amœna turba Nympharum caput
Extollit undis; seque concordi parat
Animare cantu.

Chorus Nympharum & Fratrum.

Nile, qui vasto dominantis undæ,
Lentus incedis fluvio, pigrâque
Littus allambis gravitate; Nile
Rector aquarum:

Parvus exortu es, modicoque ripas
Limite abjunctas tacitè volutis
Vix aquis imples; tenuique totus
Ponte teneris.
Crescis affluxu fluviorum, & alto
Intumes tergo, tibi dum tributa
Rivuli pendunt: gracilemque curris
Amnis in amnem.
Parva res parvis cumulata crescit.
Unio tantum valet! o beatum
Pectus, adnatum cui copulatur
Pectus amore.

Ruben. Vivimus! & uno in pectore fratrum calent
Undena corda: singulis fuerit licet
Tenuis amoris ignis, ingentem facit
Conjuncta flamma.
Ben. Vivat hic, vivat meis
Astus medullis, vita dum membris calet.
Pergamus, antro Simeon clausus vocat.

Scena Sexta.

Iacobi de orbitate sua lamentatio.

Absque liberis me esse fecistis. Joseph non est super, Simeon retinetur in vinculis, & Benjamin auferetis. *Gen:* 43.

Iacob solus.

Quò me sinistra sidera afflictum Patrem
Luctu

Luctu enecatis? erro: jam non sum Pater.
Fui, corona prolium circum latus
Cùm multa staret: perdidi nomen Patris,
Ex quo levamen unicum fessi senis,
Flos filiorum, pignorum ex magno grege!
Spes prima Patris, patriæ fulcrum domûs
Ereptus es mihi Benjamin? Nuper domus
Ridebat omnis, quando jucundum meus
Vultum explicabat Benjamin Solem domûs.
Nunc solus, orbus liberis, dubius, domum
Tacitam & inanem lugeo, & vacuam fleo.
Vivisne Nate? Benjamin vivis? redi
Mi Nate, si quæ vita tibi superest, redi:
Nisi nuda forsan ossa nunc sparsim jacent
Inhumata campis, nota quæ rursum fera
Laniavit. Ibo, si vel in rictus ferar
Desævientis tigridis; & imâ mea
Viscera voracis belluæ ex alvo eruam.
Ibo, hoc levamen ultimum ærumnis dabo;
Videre saltem, & nosse, quo letho cadat.
Ibo, ut vel unum vulnus in mortem ferat:
Cum patre Natus; ossa vel totis legam
Dispersa campis, vel necis præda ultima
Ad insepulta pignorum hoc addam Pater
Funera cadaver. Benjamin! quò me rapis?
Si forsan umbra es Benjamin umbris Patrum
Mixta, & perempti frueris amplexu Joseph.
Ostende patri temet, & fessum trahe
Simul sub umbras. Sole sublato meo
Quid sum, nisi umbra? Mergar umbrarum domo
Dilecte tecum Benjamin; tu Sol mihi
Dabis.

Dabis inter umbras luce perpetuâ frui.
Audisnè Nate? viduus atque orbus pater
Ad fata propetans te vocat. Felix Joseph!
Jam fratre frueris Benjamin! felix Rachel!
Jam Benjamino frueris! ò felix puer
Sinu Rachelis frueris, & Joseph sinu.
Sed spes adhuc superstes afflictum erigit:
In vota Patrem: spero, nisi fallax amor
Illudat animo, amplexui infusum meo
Exosculabor Benjamin! Veniet diu
Desideratæ gemmeum lucis jubar,
Qui te parenti reddat, & Patrem tibi
O Nate! Nate Benjamin lumen meum!
Dum spiro, Nate, spero: sperantem tamen
Solicita semper cura mordebit metu.

SCENA SEPTIMA.

Sistuntur Iosepho fratres: Lætatur is viso Benjamino: invitat ad convivium.

Steterunt coram Joseph: quos cùm vidisset, præcepit Dispensatori domûs suæ, dicens: Introduc viros domum, & instrue convivium.
Gen. 43.

Ioseph, Benjamin, Fratres omnes.

Ios. Huc advocate carceris ab umbris virum;
Qui nuper obses, sponte se vinctum dedit.

Re-

Redière tandem! Vix benè affectum rego
Ratione. Video sceleris immunes viros,
Fratrumque primam Benjamin gemmam tuor.
Rub. O magne Princeps, parce.
Ios. Sed non es reus.
Rub. Potui videri *Ios.* Criminis?
Rub. Sed non mei.
Ios. Fratrum?
Rub Nec illos criminis facti reus
Accusat animus *Ios.* Et scelus factum est tamen?
Rub. Immane. *Ios.* Nam quis author?
Rub. Ignotus. *Ios.* Scelus
Quid deprecaris innocens? *Rub.* Ne sim nocens.
Ios. Nullum nocentem fecit Innocentia.
Rub. Et sæpè visus innocens nocens fuit.
Ios. Sed non mihi. *Rub.* Experimur.
Ios. At quis vos facit
Fratres nocentes?
Rub. Sceleris & nomen mihi
Est execrandum. *Ios.* Dummodo & scelus mihi
Fuit ille semper innocens; quisquis nocens
Timuit haberi. *Rub.* Timeo.
Ios. Jam non es reus.
Effare quidquid pectori ingessit metum.
Rub. Phariæ salutis author, ad cujus sinum
Largamque dextram respicit, quisquis miser
Suis patronam quærit ærumnis opem;
Tuo favore nuper, ô Princeps, seni
Cererem parenti tulimus, attulimus simul;
Pudet fateri, *Ios.* Quidquid & fratri potes
Fidisse, nobis fide. *Rub.* Quam in Cereris tibi
Dedi-

Cum fratre frater; funere & eodem trahas
Patrem in sepulchrum: si tuum pietas potest
Tantùm movere pectus in fratrem, patri
Plus nate debes.
Ben. Debeo, & fratri, & patri,
O misera pietas! ire si memet vetas
Fratri es scelesta: si jubes; peccas patri.
Iac. Recedis? huc mi nate, & infusum mihi
Conjunge pectus: habeat incolumem pater
Vel *Benjaminum*: cæde satiari potest
Unâ Tyrannus *Ben.* Ibo mi dulcis pater,
Ne pereat unus. *Ia.* Genitor ut maneas, volo,
Jubeoque. *Ben.* Jussa exosculor. Leges dare
Soboli parentum jura sunt, nutus sequi
Est filiorum debitum. At pietas tamen
Sollicitat usque pectus, & fratrem ingerit;
Qui me profundo carceris specu vocat.
Audio vocantem: Benjamin nondum venis?
Pietate nondum victus Ægyptum tenes,
Oppessulatas carcerum ut pandas fores?
Iac Fili per istas lachrymas pater rogo!
Ben. Pater per istas lachrymas natus rogo!
Iac. Nescius in arma nate, & in mortem ruis.
Ben. Rapiturque Simeon.
Iacob Unus est pœnæ satis.
Ben. Hunc liberabo.
Iacob. Funus ut socium cadas?
Ben. Libenter inter fratris amplexus cadam?
Ia. Sine hunc præire morte, qui vixit prior.
Ben. O fata! frater est meus, natus tuus.
Iac. Meusque sanguis. *Ben.* Dubito,

Iac.

Iac. Cur? *Ben.* Toleras malum.
Iac. Invitus. *Ben.* Etiam dubito.
Iac. Deploro malum.
Ben. Sed non mederis. *Iac.* Non valeo.
Ben. Si non vetas,
Ego medebor. *Iac.* Peius est medium malo.
Ben. Redimere vitam fratris ambiguo malo
Si valeo, redimamus animę.
Iac. At metuo. *Ben.* Metus
Sæpè est inanis. *Iac.* Sæpè fatidicus quoque.
Ben. Prohibeor ergo facere, quod cunctis facit
Natura licitum? *Iac* Nempe deserto patre
Amare fratrem? *Ben.* Fratre servato Patrem
Beare nato. *Iac.* Melius in nostro sinu
Lætus beatos exiges vitæ dies,
Quam vinculorum strictus amplexu,
Benjamin. Nequit
Amplexus esse dulcis in patris sinu,
Quando retorto fratris arctantur manus
Post terga ferro. *Iac.* Fortè jam frater diem
Clausit supremum. *Ben.* Funus adducam Patri,
Referamque cineres, urna quos patria tegat.

Scena Tertia.

Remittuntur à Patre filii in Aegyptum cum duplici pecunia.

Dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, & emite vobis paucillum escarum. Pecuniam quoq; duplicem ferte vobiscum: sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. *Gen.* 43.

Iacob. Benjamin, Fratres reliqui.

Ruben. Ecquando tandem genitor exsolvam fidē?
Iac. Adamante mens est firmior: nunquam meo
Sinu migrabit Benjamin: est qua est super
Via redimendi Simeon, illâ licet
Tentare Pharium Principem?
Ruben. Frustra Pater
Consilia torques: Benjamin Princeps cupit.
Iac. Vult: s secundo scelere damnari? neque
Satis nocentes vos facit primum scelus?
Iud. Pro scelere stabit (si quod admissum est tamē)
Frater redemptus. *Iac.* Fratris id pretium fuit
Quod attulistis venditum fratrem nega.
Rub. Superi loquantur. filiis non est fides.
Iac Quid agimus anime? distrahit geminus timor
Amorque geminus pectus in partes duas.
Be. Confide natum fratribus, fratres sequar.
Hâc nixus ibo dexterâ, & vacuus metu
Per Pharia ductus nemora me sistam Duci.

Fra-

Fratris redemptor. Discet exemplo meo
Quid possit animus, quem pius stimulat amor.
Iac. Incautus ecquis prodidit natum? nihil
Silere posse, proprium est Juvenum malum.
Iud. Num prævidere licuit internos sinus,
Quando parentes, sanguinem, & patriã domum
Est sciscitatus: Benjamin quando audiit,
Toties repetiit: Benjamin fratrem volo
Natu minorem; Benjamin volo: neque
Laxabit antè Simeon ferro manus,
Quàm patris illud dulce solamen meos
Stet antè vultus. Publica hæc mala exigunt;
Fratres precantur, parvulus fletu rogat.
Iac. Cor fluctuatur: pectus huc pietas rapit,
Dolor huc reflectit. cede pietati dolor.
I nate Juda, quodque condebat Ceres
Allata, precium sume, quod Phario Duci
Jubeo reponi. Nolo, ut alieno mea
Contaminetur auro. & argento domus.
Sit ista deinde cura non minor, Patri
Servare natum. Perditur magno patri
Thesaurus ingens, quando progenies bona
Quocunque casu perditur. Vixi Jacob
Prole hâc beatus: illa si perit, perii.
Iud. Corona fratrum tota, pro hoc uno dabit
Vitamque sanguinemque & intento caput
Venale ferro: Vivet hic felix puer,
Auctusque magno fœnore redibit Patri.
Benè apprecare filio abeunti Pater.
Iac. Dolor ille levis est, verba qui nondum eripit.

Agere otiosum. Semper in curis agat,
Qui regna curat. Ista conjunxit DEUS;
Regnum, atque curam.
Simeon. Justus es semper DEUS,
Et cum potente dexterâ plectis nefas,
Et cum paternum pectus indulges reo.
Merui, fatebor, carceri includi, reus
Fratris perempti. *Iof.* Quis meas aures ferit
Gemitu, & querelis? *Sim.* Fateor, ô Deus, meo
Pœnam minorem scelere. mi frater Joseph!
Iof. Defler vetustum venditi Joseph scelus.
Sim. Mi frater! ego te vendidi pretio levi.
Iof. Mi frater, ego te liberum ferro dabo.
Sim. Incesto sacrum nomen; in fratrem nocens
Heu nomen istud perdidi. *Iof.* Es tamen.
Simeon. Fides,
Et vera pietas, non genus fratres facit.
Ego te peremi. *Iof.* Sed tamen vivo super.
Simeon Ego te peremi frater.
Ioseph. Accurre ô Joseph!
Ostende fratri temet, ô frater! *Sim.* Nocens,
Meritusque patior.
Iof. Lachryma in vultu natans
Facit innocentem.
Sim. Sed leve est, quod sim nocens;
Feci nocentes, in scelera feci viam
Fratribus. At istud crimen ignotum est: Deus
Sibi nota plectit crimina. *Iof.* Indulget quoque:
Quemcunque sceleris pœnitet, non est reus.
Sim O quanta forsan innocens pateris Joseph!
Iof. Agnosce fratrem frater. Absiste.

Sim. O Joseph!

Iof. Captive frater. *Sim.* Scelera detestor mea.

Iof. Natura sese prodit, in amorem eliquor.

Sim. Non gemo, quod unus plurium meritâ scelus

Persolvo pœnâ. Metuo suspectam fidem,

Reditumque fratrum. Perfidi fiant mihi:

Non est inausum facinus. hoc docui prior,

Priorque crudè perfidus fratri fui.

Iof. Consilia prava vertit in melius Deus.

Quid hic agendum? frater est, sanguis meus.

Lamenta rumpunt pectus! Aliquando fuit

In me scelestus. Fateor, aliquando fuit:

Sed esse nunquam desiit frater. scelus

Præsta: pati, quam facere. Jam patitur satis:

Cæcæ tenebras noctis, illuviem, & situm,

Et jam peracta summa pars pœnæ diu est.

Non patiar ultra: manibus eripiam meis

Carceris ab umbrâ, compedis solvam moras,

Et nota fratris brachia amplexu petam.

SCENA QUINTA.

Fratres ad Nili oram consident, umbra, undis, & cantu recreantur.

Benjamin. Fratres.

Ben. Jam media cœli spatia suspensus polo

Æquali utrinque dividit vultu dies,

Tempus quietis commonet. Viæ est satis;

Solitæque vires pedibus officium negant.

Rub. Lubet virentem fluminis spondam super

Sede-

Sedere memores patriæ, & cantu graves
Levare curas? *Iud.* Littus invitat; jocus
Ludentis undæ cogit: in cantum pater
Faterque veniant. Drama non aliud amor
Venire patitur.

Omnes. Cordium ô magnes Amor!
Tu scissa fratrum pectora,
Patrumque concatenas.
Si corda venas marmoris,
Vel tigridis induêre;
Tu frangis, & tenerrimis
Affectibus coërces.
Si spatia terræ dividant
A filijs parentem;
Non dividunt sed pectora
Animasque amore nexas.
Habet Canopus filios,
Chanaan habet parentem:
Sed filiorum pectora
In corde sunt parentis.
Hæc est amoris indoles,
Sociare corda amantûm.

Iud. Sed ecce amœna turba Nympharum caput
Extollit undis, seque concordi parat
Animare cantu.

Chorus Nympharum & Fratrum.

Nile, qui vasto dominantis undæ,
Lentus incedis fluvio, pigrâque
Littus allambis gravitate; Nile
Rector aquarum!

Parvus exortu es, modicoque ripas
Limite abjunctas tacitè volutis
Vix aquis imples; tenuique totus
Ponte teneris.
Crescis affluxu fluviorum, & alto
Intumes tergo, tibi dum tributa
Rivuli pendunt: gracilemque curris
Amnis in amnem.
Parva res parvis cumulata crescit.
Unio tantum valet! o beatum
Pectus, adnatum cui copulatur
Pectus amore.
Ruben. Vivimus! & uno in pectore fratrum calent
Undena corda: singulis fuerit licet
Tenuis amoris ignis, ingentem facit
Conjuncta flamma.
Ben. Vivat hic, vivat meis
Æstus medullis, vita dum membris calet.
Pergamus, antro Simeon clausus vocat.

SCENA SEXTA.

Iacobi de orbitate sua lamentatio.

Absque liberis me esse fecistis. Joseph non est super, Simeon retinetur in vinculis, & Benjamin auferetis. *Gen:* 43.

Iacob solus.

Quò me sinistra sidera addictum Patrem

Luctu

Luctu enecatis? erro: jam non sum Pater.
Fui, corona prolium circùm latus
Cùm multa ftaret: perdidi nomen Patris,
Ex quo levamen unicum fessi senis,
Flos filiorum, pignorum ex magno grege!
Spes prima Patris, patriæ fulcrum domûs:
Ereptus es mihi Benjamin? Nuper domus
Ridebat omnis, quando jucundum meus
Vultum explicabat Benjamin Solem domûs.
Nunc solus, orbus liberis, dubius, domum
Tacitam & inanem lugeo, & vacuam fleo.
Vivisne Nate? Benjamin vivis? redi
Mi Nate, si quæ vita tibi superest, redi:
Nisi nuda forsan ossa nunc sparsim jacent
Inhumata campis, nota quæ rursum fera
Laniavit. Ibo, si vel in ictus ferar
Desævientis tigridis; & imâ mea
Viscera voracis belluæ ex alvo eruam.
Ibo, hoc levamen ultimum ærumnis dabo;
Videre saltem, & nosse, quo letho cadat.
Ibo, ut vel unum vulnus in mortem ferat:
Cum patre Natus; ossa vel totis legam
Dispersa campis, vel necis præda ultima
Ad insepulta pignorum hoc addam Pater
Funera cadaver. Benjamin! quò me rapis?
Si forsan umbra es Benjamin umbris Patrum
Mixta, & perempti frueris amplexu Joseph.
Ostende patri temet, & fessum trahe
Simul sub umbras. Sole sublato meo
Quid sum, nisi umbra? Mergar umbrarum domo
Dilecte tecum Benjamin; tu Sol mihi

Dabis.

Dabis inter umbras luce perpetuâ frui.
Audisnè Nate? viduus atque orbus pater
Ad fata properans te vocat. Felix Joseph!
Jam fratre frueris Benjamin! felix Rachel.!
Jam Benjamino frueris! ò felix puer
Sinu Rachelis frueris, & Joseph sinu.
Sed spes adhuc superstes afflictum erigit
In vota Patrem: spero, nisi fallax amor
Illudat animo, amplexui infusum meo
Exosculabor Benjamin! Veniet diu
Desideratæ gemmeum lucis jubar,
Qui te parenti reddat, & Patrem tibi
O Nate! Nate Benjamin lumen meum!
Dum spiro, Nate, spero: sperantem tamen
Solicita semper cura mordebit metu.

SCENA SEPTIMA.

Sistuntur Iosepho fratres: Lætatur is viso Benjamino: invitat ad convivium.

Steterunt coram Joseph: quos cùm vidisset, præcepit Dispensatori domûs suæ, dicens: Introduc viros domum, & instrue convivium.
Gen: 43.

Ioseph. Benjamin. Fratres omnes.

Jos. Huc advocate carceris ab umbris virum;
Qui nuper obses, sponte se vinctum dedit.

Re-

Redière tandem! Vix benè affectum rego
Ratione. Video sceleris immunes viros,
Fratrumque primam Benjamin gemmam tuor.
Rub. O magne Princeps, parce.
Ios. Sed non es reus.
Rub. Potui videri *Ios.* Criminis?
Rub. Sed non mei.
Ios. Fratrum?
Rub Nec illos criminis facti reus
Accusat animus *Ios.* Et scelus factum est tamen?
Rub. Immane. *Ios.* Nam quis author?
Rub. Ignotus. *Ios.* Scelus
Quid deprecaris innocens? *Rub.* Ne sim nocens.
Ios. Nullum nocentem fecit Innocentia.
Rub. Et sæpè visus innocens nocens fuit.
Ios. Sed non mihi. *Rub.* Experimur.
Ios. At quis vos facit
Fratres nocentes?
Rub. Sceleris & nomen mihi
Est execrandum. *Ios.* Dummodo & scelus mihi
Fuit ille semper innocens; quisquis nocens
Timuit haberi. *Rub.* Timeo.
Ios Jam non es reus.
Effare quidquid pectori ingessit metum.
Rub. Phariæ salutis author, ad cujus sinum
Largamque dextram respicit, quisquis miser
Suis patronam quærit ærumnis opem;
Tuo favore nuper, ô Princeps, seni
Cererem parenti tulimus, at tulimus simul;
Pudet fateri, *Ios.* Quidquid & fratri potes
Fidisse, nobis fide. *Rub.* Quam in Cereris tibi
Dedi-

Dedimus monetam precia, non cauti satis.
Et nescientes tulimus in patrios lares.
Exarsit ære genitor inspecto, ratus
Nos vendidisse filium. *Ios.* Pronum fuit
Hoc suspicari, vetera si noslet, patri.
Rub. En innocentes pedibus affusam tuis
Reponimus pecuniam. *Ios.* Cererem semel
Datam moneta duplici exsolvi est nefas.
Accipere prohibent jura, quod non est tuum.
Rub. Pariter vetant tenere, quod non est tuum.
Ios. Quis influenti gratiæ occludit sinum?
Ruben. Qui scit nocere posse.
Ioseph. Quam Numen dedit,
Nulli nocebit. Nolo quod vobis Deus
Ingessit insperantibus, Sed nunc mihi
Sistite tenellum Beniamin, omnes volo
Videre fratres, fratribus pariter volo
Coram videri. Video. quò affectus rapis?
Tune ille Patris gaudium?
Ben. O magne inclyti
Princeps Canopi! Servulum memet tuis
Cerne advolutum pedibus.
Ios. An Sospes Pater?
Ben. Vivit; tuisque gaudet obsequiis suum
Præbere natum Benjamin.
Ios. Quo te Pater
Amore fovit? *Ben.* Lachryma in vultu frequens
Stetit cùm abirem, in ore singultus frequens
Et me Josephum sæpè compellans suum,
Satis est Joseph perisse, dicebat; mihi
Solamen unus superes, ô alter Joseph!

Ioseph.

Ioseph. Nosti Josephum?
Ben. Domine, non vidi. *Ios.* Fidem
Vix hæc merentur dicta. *Ben.* Si fratrum fides
Est vera, sævæ tigridi in prædam est datus.
Ioseph. Putant.
Ben. Cruentam vidit: & laceram undique
Pater ipse vestem *Ios.* Fortè deceptus fuit.
Non alia Joseph mortui Patri est nota
Quàm vestis illa? *Ben.* Nulla.
Ios. Non satis probant.
Fortassis illum pinguior sedes tenet.
Sed quid puelle postulas? *Ben.* Fratrem meum.
Ios Nullum negavi: quem voles, tolle.
Benjamin. Abditus
Qui gemit in antro. *Ios.* Simeon?
Ben. Illum peto.
Ios. En ille. *Ben.* Vivis Simeon!
Sim. O Benjamin!
Sine me referre gratias. Nilotici
O magne Princeps Imperi, ingentes tibi
Ad genua fusus Simeon gratus refert,
Quòd me profundo solveris ab antri situ.
Ios Fraterna piètas vicit: hunc debes tuæ
Colere salutis vindicem. *Sim.* O chari sinus,
Animæ fideles, exosculor vestram fidem.
Ben. Dilecte frater!
Ios. Quantus in amore est dolor!
Sim. Dilecte frater!
Ios. Ite, jam in noctem dies
Fessus recedit: tempus ad cœnam vocat,
Mecum assidete. *Rub.* Nostra conditio hoc vetat.

Ios.

Iof. Fraterna pietas imperat.
Rub. Quando jubes,
Eſt obſequendum juſſui: urbanus minus
Tibi videri malo, quàm minus obſequens.
Iof. Cras ubi ſerenum lucis auratæ jubar
Intulerit orbi Phœbus, in patrios lares
Redire læti Cerere donati novâ.
Baladat, in aurem. Perfice.
Bal. Exactum dabo.

Scena Octava.

Diſpenſator miratur ſibi imperatum, ut in ore ſaccı Benjamini ſcyphum Domini ſui reponat.

Præcepit Joſeph Diſpenſatori domûs ſuæ, dicens: Scyphum meum argenteum, &c.
Gen: 44.

Baladat. Fratres. Ioſeph.

Bal. Molitur aliquid grande: ſed tacitus tegit
Arcana mentis. Nuper in Regem reos,
Et proditores dixit, ac tetro ſpecu
Fruſtra precantes clauſit; at ruiſum fibras
Mollitus animi, vinculis ſolvi jubet,
Patrioſque rurſus obſide relicto lares
Adire, quemque mœſtus, & ſenio gravis
Curis levandis genitor è fratrum choro
Servârat unum parvulum, adduci imperat.

Nunc

Nunc assidere regiæ mensæ genus
Tam vile mandat. Fraudis hic aliquid latet.
Epulatur unà: quodque mirandum est magis,
Etiam micantem gemmeo ornatu scyphum,
Regale donum, parvuli in saccum jubet
Tacitè reponi. Fratribus ludum alterum
Dolus hic parabit fortè meliori exitu.
Nam sæpè visus ipse cum gemitu loqui,
Ridere, rursum plangere, & varijs agi
Veluti procellis: qualibus solent agi
Quibus amor urit pectus, & mentem cremat.
Sed impetratâ Cerere jam læti viam
Parant inire. *Rub.* Cerere jam turgent sinus.
Iter paramus. Ultimum nobis fave,
Ut imperantis liceat appressis labris
Exosculari dexteram. *Bal.* Votum dabo.
Et imperati machinam doli exequar.

CHORVS.

Molitur frumentum Marte & Furore molam trahentibus, impellente Pace & Cerere.

Providentia. Pax. Ceres. Mars, Furor.

Provid. Deus humanis amat in rebus
Ludere. Nuper gemuit terra;
Nunc respirat: quique fugabat
Turbine belli pacis amœnos
Mars aspectus, nunc depositâ
Fronte Furoris, Paci obsequitur.

Pax,

Pax. Cer. Mars age, crimen mente revolve,
Quo malesanis integra flammis
Regna dedisti; vertisti urbes
Diripuisti mœnia, prolem
Patre, parentes prole orbâsti,
Et germano sanguine campos
Fere inundâsti Decolor Ister
Sanguine, & atro piger à tabo.
Lycus ultrices te laniandum
Vocat in pœnas. Mars age tandem,
Pœnas sceleris lue commissi.
Pax. Cer. Impelle molam.
Mars. O labor infestus!
Sed benè merui. Crimina tandem
Sequitur vindex Deus à tergo.
Pax Cer. Non semper hyems cœli imperium
Sæva tenebit. Ver aliquando
Redit in terras.
Previd. Dicite mecum:
Deus humanis amat in rebus
Ludere. *Pax. Cer.* Non si semel in nocte
Cecidit Phœbus; non redivivus
Iterum surget *Prov* Deus humanis
Amat in rebus ludere. *Pax Cer.* Campus
Qui male sterili sente horrebat,
Jam benè cultus divite falcem In-
vitat arista. *Omn.* Deus humanis
Amat in rebus ludere *Pax Cer.* Quæque
Antè silebat mola, giratu
Agili pinguem Cererem frangit.
Omnes. Deus humanis amat in rebus

Lu-

Ludere.

Mars. Labor heu! nimis infectus.

Provid. Tu quoque Chanaan sterilis damna
Experta soli posthac niveæ
Tempore pacis Cererem totâ
Regione metes, vertesque molas.
Deus humanis amat in rebus
Ludere.



ACTVS V.



SCENA PRIMA.

Ioseph causas repositi scyphi in saccum Benjamini memorat: jubet fratres comprehendi.

Tunc Joseph accersito Dispensatore domûs, ait: Surge, & persequere viros. *Gen:* 44.

Ioseph. Baladat.

Ios. ABeunt, secundo patriam incessu petunt.
Sed vix olympo media pendebit dies,
Acerbus illo gaudio orietur dolor,
Meruére pridem scelere non uno pares,
Fratricique non tam sanguinis, quàm criminis,
A se patratum sentiant ipsi malum.
Hæc norma juris. Quisquis audace intulit
Mucrone vulnus; sentiat: grave ingerit

Qui-

Cum fratre frater; funere & eodem trahas
Patrem in sepulchrum: si tuum pietas potest
Tantùm movere pectus in fratrem, patri
Plus nate debes.
Ben. Debeo, & fratri, & patri,
O misera pietas! ire si memet vetas
Fratri es scelesta: si jubes, peccas patri.
Iac. Recedis? huc mi nate, & infusum mihi
Conjunge pectus: habeat incolumem pater
Vel Benjaminum: cæde satiari potest
Unâ Tyrannus *Ben* Ibo mi dulcis pater,
Ne pereat unus. *Ia.* Genitor ut maneas, volo,
Jubeoque. *Ben.* Jussa exosculor. Leges dare
Soboli parentum jura sunt, nutus sequi
Est filiorum debitum. At pietas tamen
Sollicitat usque pectus, & fratrem ingerit;
Qui me profundo carceris specu vocat.
Audio vocantem: Benjamin nondum venis?
Pietate nondum victus Ægyptum tenes,
Oppessulatas carcerum ut pandas fores?
Iac Fili per istas lachrymas pater rogo!
Ben. Pater per istas lachrymas natus rogo!
Iac. Nescius in arma nate, & in mortem ruis.
Ben. Rapiturque Simeon.
Iacob Unus est pœnæ satis.
Ben. Hunc liberabo.
Iacob. Funus ut socium cadas?
Ben. Libenter inter fratris amplexus cadam!
Ia. Sine hunc præire morte, qui vixit prior.
Ben. O fata! frater est meus, natus tuus.
Iac. Meusque sanguis. *Ben.* Dubito.

Iac.

Iac. Cur ? *Ben.* Toleras malum.
Iac. Invitus. *Ben.* Etiam dubito.
Iac. Deploro malum.
Ben. Sed non mederis. *Iac.* Non valeo.
Ben. Si non vetas,
Ego medebor. *Iac.* Peius est medium malo.
Ben. Redimere vitam fratris ambiguo malo
Si valeo, redimamus anime.
Iac. At metuo. *Ben.* Metus
Sæpè est inanis. *Iac.* Sæpè fatidicus quoque.
Ben. Prohibeor ergo facere, quod cunctis facit
Natura licitum ? *Iac* Nempe deserto patre
Amare fratrem ? *Ben.* Fratre servato Patrem
Beare nato. *Iac.* Melius in nostro sinu
Lætus beatos exiges vitæ dies.
Quam vinculorum strictus amplexu,
Benjamin. Nequit
Amplexus esse dulcis in patris sinu,
Quando retorto fratris arctantur manus
Post terga ferro. *Iac.* Fortè jam frater diem
Clausit supremum. *Ben.* Funus adducam Patri,
Referamque cineres, urna quos patria tegat.

SCENA TERTIA.

Remittuntur à Patre filii in Aegyptum cum duplici pecunia.

Dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, & emite vobis paucillum escarum. Pecuniam quoq; duplicem ferte vobiscum: sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. *Gen.* 43.

Iacob. Benjamin, Fratres reliqui.

Ruben. Ecquando tandem genitor exsolvam fidē?
Iac Adamante mens est firmior: nunquam meo
Sinu migrabit Benjamin: si qua est super
Via redimendi Simeon, illâ licet
Tentare Pharium Principem?
Ruben. Frustra Pater
Consilia torques: Benjamin Princeps cupit.
Iac. Vult s secundo scelere damnari? neque
Satis nocentes vos facit primum scelus?
Iud Pro scelere stabit (si quod admissum est tamē)
Frater redemptus. *Iac*, Fratris id pretium fuit
Quod attulistis: venditum fratrem nega.
Rub. Superi loquantur. filiis non est fides.
Iac Quid agimus anime? distrahit geminus timor
Amorque geminus pectus in partes duas.
Be Confide natum fratribus, fratres sequar.
Hac nixus ibo dexterâ, & vacuus metu
Per Pharia ductus nemora me sistam Duci.

Fra-

Fratris redemptor. Discet exemplo meo
Quid possit animus, quem pius stimulat amor.
Iac. Incautus ecquis prodidit natum? nihil
Silere posse, proprium est Juvenum malum.
Iud. Num prævidere licuit internos sinus,
Quando parentes, sanguinem, & patriã domum
Est sciscitatus: Benjamin quando audiit,
Toties repetiit: Benjamin fratrem volo
Natu minorem; Benjamin volo: neque
Laxabit antè Simeon ferro manus,
Quàm patris illud dulce solamen meos
Stet antè vultus. Publica hæc mala exigunt;
Fratres precantur, parvulus fletu rogat.
Iac. Cor fluctuatur: pectus huc pietas rapit,
Dolor huc reflectit. cede pietati dolor.
I nate Juda, quodque condebat Ceres
Allata, precium sume, quod Phario Duci
Jubeo reponi. Nolo, ut alieno mea
Contaminetur auro, & argento domus.
Sit ista deinde cura non minor, Patri
Servare natum. Perditur magno patri
Thesaurus ingens, quando progenies bona
Quocunque casu perditur. Vixi Jacob
Prole hác beatus: illa si perit, perii.
Iud. Corona fratrum tota, pro hoc uno dabit
Vitamque sanguinemque & intento caput
Venale ferro: Vivet hic felix puer,
Auctusque magno fœnore redibit Patri.
Benè apprecare filio abeunti Pater.
Iac. Dolor ille levis est, verba qui nondum eripit.

Agere otiosum. Semper in curis agat,
Qui regna curat. Ista conjunxit DEUS;
Regnum, atque curam.
Simeon. Justus es semper DEUS,
Et cum potente dexterâ plectis nefas,
Et cum paternum pectus indulges reo.
Merui, fatebor, carceri includi, reus
Fratris perempti. *Iof* Quis meas aures ferit
Gemitu, & querelis? *Sim.* Fateor, ô Deus, meo
Pœnam minorem scelere. mi frater Joseph!
Iof. Defler vetustum venditi Joseph scelus.
Sim. Mi frater! ego te vendidi pretio levi.
Iof. Mi frater, ego te liberum ferro dabo.
Sim. Incesto sacrum nomen; in fratrem nocens
Heu nomen istud perdidi. *Iof.* Es tamen.
Simeon. Fides,
Et vera pietas, non genus fratres facit.
Ego te peremi. *Iof.* Sed tamen vivo super.
Simeon Ego te peremi frater.
Ioseph. Accurre ô Joseph!
Ostende fratri temet, ô frater! *Sim.* Nocens,
Meritusque patior.
Iof. Lachryma in vultu natans
Facit innocentem.
Sim. Sed leve est, quod sim nocens;
Feci nocentes, in scelera feci viam
Fratribus. At istud crimen ignotum est: Deus
Sibi nota plectit crimina. *Iof.* Indulget quoque:
Quemcunque sceleris pœnitet, non est reus.
Sim O quanta forsan innocens pateris Joseph!
Iof. Agnosce fratrem frater. Absiste.

Sim. O Joseph!
Iof. Captive frater. *Sim.* Scelera detestor mea.
Iof. Natura sese prodit, in amorem eliquor.
Sim. Non gemo, quod unus plurium meritû scelus
Persolvo pœnâ. Metuo suspectam fidem,
Reditumque fratrum. Perfidi fiant mihi:
Non est inausum facinus. hoc docui prior,
Priorque crudè perfidus fratri fui.
Iof. Consilia prava vertit in melius Deus.
Quid hic agendum? frater est, sanguis meus.
Lamenta rumpunt pectus! Aliquando fuit.
In me scelestus. Fateor, aliquando fuit:
Sed esse nunquam desiit frater. scelus
Præstat pati, quam facere Jam patitur satis:
Cæcæ tenebras noctis, illuviem, & situm.
Et jam peracta summa pars pœnæ diu est.
Non patiar ultra: manibus eripiam meis
Carceris ab umbrâ, compedis solvam moras,
Et nota fratris brachia amplexu petam.

SCENA QUINTA.

Fratres ad Nili oram consident, umbra, unda, & cantu recreantur.

Benjamin. Fratres.

Ben. Jam media cœli spatia suspensus polo
Æquali utrinque dividit vultu dies,
Tempus quietis commonet. Viæ est satis;
Solitæque vires pedibus officium negant.
Rub. Lubet virentem fluminis spondam super
Sede-

Sedere memores patriæ, & cantu graves
Levare curas? *Iud.* Littus invitat; jocus
Ludentis undæ cogit: in cantum pater
Fraterque veniant. Drama non aliud amor
Venire patitur.
Omnes. Cordium ô magnes Amor!
Tu scissa fratrum pectora,
Patrumque concatenas.
Si corda venas marmoris,
Vel tigridis induêre;
Tu frangis, & tenerrimis
Affectibus coërces.
Si spatia terræ dividant
A filijs parentem;
Non dividunt sed pectora
Animasque amore nexas.
Habet Canopus filios,
Chanaan habet parentem:
Sed filiorum pectora
In corde sunt parentis.
Hæc est amoris indoles,
Sociare corda amantûm.
Iud. Sed ecce amœna turba Nympharum caput
Extollit undis, seque concordi parat
Animare cantu.

Chorus Nympharum & Fratrum.

Nile, qui vasto dominantis undæ,
Lentus incedis fluvio, pigrâque
Littus allambis gravitate; Nile
Rector aquarum:

Parvus exortu es, modicoque ripæ
Limite abjunctas tacitè volutis
Vix aquis imples, tenuique totus
Ponte teneris.
Crescis afflux fluviorum, & alto
Intumes tergo, tibi dum tributa
Rivuli pendunt: gracilemque curris
Amnis in amnem.
Parva res parvis cumulata crescit.
Unio tantum valet! ô beatum
Pectus, adnatum cui copulatur
Pectus amore.

Ruben. Vivimus! & uno in pectore fratrum calent
Undena corda: singulis fuerit licet
Tenuis amoris ignis, ingentem facit
Conjuncta flamma.

Ben. Vivat hic, vivat meis
Æstus medullis, vita dum membris calet.
Pergamus, antro Simeon clausus vocat.

SCENA SEXTA.

Iacobi de orbitate sua lamentatio.

Absque liberis me esse fecistis. Joseph non est super, Simeon retinetur in vinculis, & Benjamin auferetis. *Gen:* 43.

Iacob solus.

Quò me sinistra sidera afflictum Patrem

Luctu

Luctu enecatis? erro: jam non sum Pater.
Fui, corona prolium circùm latus
Cùm multa staret: perdidi nomen Patris,
Ex quo levamen unicum fessi senis,
Flos filiorum, pignorum ex magno gregel
Spes prima Patris, patriæ fulcrum domûs,
Ereptus es mihi Benjamin? Nuper domus
Ridebat omnis, quando jucundum meus
Vultum explicabat Benjamin Solem domûs.
Nunc solus, orbus liberis, dubius, domum
Tacitam & inanem lugeo, & vacuam fleo.
Vivisne Nate? Benjamin vivis? redi
Mi Nate, si quæ vita tibi superest, redi:
Nisi nuda forsan ossa nunc sparsim jacent
Inhumata campis, nota quæ rursum fera
Laniavit. Ibo, si vel in ictus ferar
Desævientis tigridis; & imâ mea
Viscera voracis belluæ ex alvo eruam.
Ibo, hoc levamen ultimum ærumnis dabo;
Videre saltem, & nosse, quo letho cadat.
Ibo, ut vel unum vulnus in mortem ferat
Cum patre Natus; ossa vel totis legam
Dispersa campis, vel necis præda ultima
Ad insepulta pignorum hoc addam Pater
Funera cadaver. Benjamin! quò me rapis?
Si forsan umbra es Benjamin umbris Patrum
Mixta, & perempti frueris amplexu Joseph.
Ostende patri temet, & fessum trahe
Simul sub umbras. Sole sublato meo
Quid sum, nisi umbra? Mergar umbrarum domo
Dilecte tecum Benjamin; tu Sol mihi
Dabis.

Dabis inter umbras luce perpetuâ frui.
Audisnè Nate? viduus atque orbus pater
Ad fata properans te vocat. Felix Joseph!
Jam fratre frueris Benjamin! felix Rachel!
Jam Benjamino frueris! ô felix puer
Sinu Rachelis frueris, & Joseph sinu.
Sed spes adhuc superstes afflictum erigit:
In vota Patrem: spero, nisi fallax amor
Illudat animo, amplexui infusum meo
Exosculabor Benjamin! Veniet diu
Desideratæ gemmeum lucis jubar,
Qui te parenti reddat, & Patrem tibi
O Nate! Nate Benjamin lumen meum!
Dum spiro, Nate, spero: sperantem tamen
Solicita semper cura mordebit metu.

SCENA SEPTIMA.

Sistuntur Iosepho fratres: Lætatur is viso Benjamino: invitat ad convivium.

Steterunt coram Joseph: quos cùm vidisset, præcepit Dispensatori domûs suæ, dicens: Introduc viros domum, & instrue convivium.
Gen: 43.

Ioseph, Benjamin, Fratres omnes.

Ios. Huc advocate carceris ab umbris virum;
Qui nuper obses, sponte se vinctum dedit.

Re-

Redière tandem! Vix benè affectum rego
Ratione. Video sceleris immunes viros,
Fratrumque primam Benjamin gemmam tuor.
Rub. O magne Princeps, parce.
Iof. Sed non es reus.
Rub. Potui videri *Iof.* Criminis?
Rub. Sed non mei.
Iof. Fratrum?
Rub Nec illos criminis facti reus
Accusat animus *Iof.* Et scelus factum est tamen?
Rub. Immane. *Iof.* Nam quis author?
Rub. Ignotus. *Iof.* Scelus
Quid deprecaris innocens? *Rub.* Ne sim nocens.
Iof. Nullum nocentem fecit Innocentia.
Rub. Et sæpè visus innocens nocens fuit.
Iof. Sed non mihi. *Rub.* Experimur.
Iof. At quis vos facit
Fratres nocentes?
Rub. Sceleris & nomen mihi
Est execrandum. *Iof.* Dummodo & scelus mihi
Fuit ille semper innocens; quisquis nocens
Timuit haberi. *Rub.* Timeo.
Iof. Jam non es reus.
Effare quidquid pectori ingessit metum.
Rub. Phariæ salutis author, ad cujus sinum
Largamque dextram respicit, quisquis miser
Suis patronam quærit ærumnis opem;
Tuo favore nuper, ô Princeps, seni
Cererem parenti tulimus, attulimus simul;
Pudet fateri, *Iof.* Quidquid & fratri potes
Fidisse, nobis fide. *Rub.* Quam in Cereris tibi
Dedi-

Dedimus monetam precia, non cauti satis.
Et nescientes tulimus in patrios lares.
Exarsit ære genitor inspecto, ratus
Nos vendidisse filium. *Iof.* Pronum fuit
Hoc suspicari, vetera si nosset, patri.
Rub. En innocentes pedibus affusam tuis
Reponimus pecuniam. *Iof.* Cererem semel
Datam moneta duplici exsolvi est nefas.
Accipere prohibent jura, quod non est tuum.
Rub. Pariter vetant tenere, quod non est tuum.
Iof. Quis influenti gratiæ occludit sinum?
Ruben. Qui scit nocere posse.
Ioseph. Quam Numen dedit,
Nulli nocebit. Nolo quod vobis Deus
Ingessit insperantibus. Sed nunc mihi
Sistite tenellum Benjamin, omnes volo
Videre fratres, fratribus pariter volo
Coram videri. Video. quò affectus rapis?
Tune ille Patris gaudium?
Ben. O magne inclyti
Princeps Canopi! Servulum memet tuis
Cerne advolutum pedibus.
Iof An Sospes Pater?
Ben. Vivit; tuisque gaudet obsequiis suum
Præbere natum Benjamin.
Iof. Quo te Pater
Amore fovit? *Ben.* Lachryma in vultu frequens
Stetit cùm abirem, in ore singultus frequens
Et me Josephum sæpè compellans suum,
Satis est Joseph perisse, dicebat; mihi
Solamen unus superes, ô alter Joseph!

Ioseph.

Ioseph. Nosti Josephum?
Ben. Domine, non vidi. *Iof.* Fidem
Vix hæc merentur dicta. *Ben.* Si frãtrum fides
Est vera, sævæ tigridi in prædam est datus.
Ioseph. Putant.
Ben. Cruentam vidit: & laceram undique
Pater ipse vestem *Iof.* Fortè deceptus fuit.
Non alia Joseph mortui Patri est nota
Quàm vestis illa? *Ben.* Nulla.
Iof. Non satis probant.
Fortassis illum pinguior sedes tenet.
Sed quid puelle postulas? *Ben.* Fratrem meum.
Iof Nullum negavi: quem voles, tolle.
Benjamin. Abditus
Qui gemit in antro. *Iof.* Simeon?
Ben. Illum peto.
Iof. En ille. *Ben.* Vivis Simeon?
Sim. O Benjamin!
Sine me referre gratias. Nilotici
O magne Princeps Imperi, ingentes tibi
Ad genua fusus Simeon gratus refert,
Quod me profundo solveris ab antri situ.
Iof Fraterna piètas vicit: hunc debes tuæ
Colere salutis vindicem. *Sim.* O chari sinus,
Animæ fideles, exosculor vestram fidem.
Ben. Dilecte frater!
Iof. Quantus in amore est dolor!
Sim. Dilecte frater!
Iof. Ite, jam in noctem dies
Fessus recedit: tempus ad cœnam vocat,
Mecum assidete. *Rub.* Nostra conditio hoc vetat.

Iof.

Iof. Fraterna pietas imperat.
Rub. Quando jubes,
Eft obfequendum juffui: urbanus minus
Tibi videri malo, quàm minus obfequens.
Iof. Cras ubi ferenum lucis auratæ jubar
Intulerit orbi Phœbus, in patrios lares
Redire læti Cerere donati novâ.
Baladat, in aurem. Perfice.
Bal. Exactum dabo.

SCENA OCTAVA.

Difpenfator miratur fibi imperatum, ut in ore faccı Benjamini fcyphum Domini fui reponat.

Præcepit Jofeph Difpenfatori domus fuæ, dicens: Scyphum meum argenteum, &c.
Gen. 44.

Baladat. Fratres. Iofeph.

Bal. Molitur aliquid grande; fed tacitus tegit
Arcana mentis. Nuper in Regem reos,
Et proditores dixit, ac tetro fpecu
Fruftra precantes claufit; at rurfum fibras
Mollitus animi, vinculis folvi jubet,
Patriofque rurfus obfide relicto lares
Adire, quemque mœftus, & fenio gravis
Curis levandis genitor è fratrum choro
Servârat unum parvulum, adduci imperat.

Nunc

Nunc assidere regiæ mensæ genus
Tam vile mandat. Fraudis hic aliquid latet.
Epulatur unà: quodque mirandum est magis,
Etiam micantem gemmeo ornatu scyphum,
Regale donum, parvuli in saccum jubet
Tacitè reponi. Fratribus ludum alterum
Dolus hic parabit fortè meliori exitu.
Nam sæpè visus ipse cum gemitu loqui,
Ridere, rursum plangere, & varijs agi
Veluti procellis: qualibus solent agi
Quibus amor urit pectus, & mentem cremat.
Sed impetratâ Cerere jam læti viam
Parant inire. *Rub.* Cerere jam turgent sinus.
Iter paramus. Ultimum nobis fave,
Ut imperantis liceat appressis labris
Exosculari dexteram. *Bal* Vôtum dabo.
Et imperati machinam doli exequar.

CHORVS.

Molitur frumentum Marte & Furore molam trahentibus, impellente Pace & Cerere.

Providentia. Pax. Ceres. Mars, Furor.

Provid. Deus humanis amat in rebus
Ludere. Nuper gemuit terra;
Nunc respirat: quique fugabat
Turbine belli pacis amœnos
Mars aspectus, nunc depositâ
Fronte Furoris, Paci obsequitur.

Pax.

Ludere.

Mars. Labor heu! nimis infectus.

Provid. Tu quoque Chanaan sterilis damna
Experta soli posthac niveæ
Tempore pacis Cererem totâ
Regione metes, vertesque molas.
Deus humanis amat in rebus
Ludere.



ACTUS V.



SCENA PRIMA.

Ioseph causas repositi scyphi in saccum Benjamini memorat: jubet fratres comprehendi.

Tunc Ioseph accersito Dispensatore domûs, ait: Surge, & persequere viros. *Gen:* 44.

Ioseph. Baladat.

Ios. ABeunt, secundo patriam incessu petunt.
Sed vix olympo media pendebit dies,
Acerbus illo gaudio orietur dolor,
Meruêre pridem scelere non uno pares,
Fratri[illegible]que non tam sanguinis, quàm criminis,
Ante patratum sentiant ipsi malum.
Hæc norma juris. Quisquis audace intulit
Mucrone vulnus; sentiat: grave ingerit

Qui-

Quicunque collo pondus alieno; ferat.
Etiamne genitor Jacob? etiam Benjamin?
O dulce nomen Patris! ô mi Benjamin
Non non meretur Benjamin, non est nocens.
Pars magna Matris, Patris at non pars minor,
Alterque Joseph Benjamin, non est nocens.
Sed sæpè debet innocens pœnas pati
Meritas nocenti. Lacryma rigabit genas,
Sed non dolenda. Juro quæ nostro calent
In corde flammæ, juro Josephi pium
Amoris ignem, si qua de gemino tibi
Voluta fronte lacryma distinguet genas,
Vultu cadentem lacrymam Joseph bibet,
Baladat, adesto, persequi accelera viros;
Cohorte nostri militis fultus vias
Præverte; quemque gemmeâ clarum die,
Pridemque nostro nobilem augurio scyphum
Condi minoris jusseram sacco, argue
Raptum nefando crimine. negantes gravi
Perstringe voce, fronte non verum indue
Torvâ furorem, quære per saccos: reum,
Licet innocentem, sceleris impositi trahe
Nostrum ad tribunal, surdus ad lacrymas, age
Quod imperamus. *Bal.* Hæc dies votum dabit.
Ios. Ad nostra fusum genua spectabo chorum,
Sic astra, sic manipuli evincent fidem:
Discetque mundus esse qui mundum regat,
Et quæ rotari sortis adversæ impetu
Censemus, albæ sortis eventu beet.

SCENA SECUNDA.

Læti per colles proficiſcuntur fratres.

Jamque urbem exierant, & proceſſerant paululum. *Gen.* 44.

Fratres Ioſephi.

Fratres. Io favete ſidera!
In patriam redimus.
Mutata ſors eſt aſpera
Sereniore fronte,
Fortuna ſemper vertitur,
Quos preſſit, elevabit.
Si frontem acerbat, ſuſtine;
Enubilabit ora.
Io favete ſidera!
In patriam redimus,

Sim. Grates rependat Principi in largas opes
Effuſus æther, cujus auxilio dies
Tandem beatos trahimus, & terſo aſperæ
Furore ſortis vivimus, fratres novæ
Favore vitæ. Scilicet demum juvat
Tuliſſe dura. ſcelera ſic cœlum expiat
Patrata quondam. *Rub.* Ludit alternis Deus.
Premit, levatque. *Sim.* Luſit alternis quoque
Niliaca ſceptro regna qui flectit, ſuo
Regi ſecundus; ſique non falſo replet
Sermone Nilum Fama, per varias vices
Luſit & in illo Numen. *Rub.* Et frontem truci
Contrahere rugâ doctus, & miti pia

Induere vultu sidera; & amorem, & metum
Tolerare didicit. *Rub.* Mitius furit, a speram
Quicunque sortem pertulit *Sim.* Si quam Pharos
Fidem meretur; innocens, solo reus
Odio furentis fœminæ, in tetro dies
Transegit antro, donec irato Duci
Detersit æstum pectus æterni capax
Numinis, & insons somnii sese augurem
Regi probavit; quæque per somnum DEUS
Dedit involuta cernere, haud vanâ fide
Evolvit. Inde jussus augustâ caput
Vestire mitrâ, & proximam Regis thoro
Tenere sedem, quaque se Nilus Pater
Effundit arvis, jura per populos dare.
Ruben. Quâ stirpe natus?
Sim. Magna majestas viri
Documenta prodit indolis magnæ: tamen
Occulta origo est generis: argento puer
Emptus dedisse dicitur Phario jugo
Servile collum. *Levi.* Nempè Fortunam suam
Hinc ferre nescit. Sanguinis vilis genus
Facilè insolescit, blanda si magnos ferat
Fortuna honores. *Sim* Sed quis irato huc citat
Quadrupede cursum? *Ben.* Nostra flâmato petis
Mucrone capita. Simeon, fratrem tuâ
Defende dextrâ. *Sim.* Mitte trepidantes puer
Pectore timores; melior instantes metus
Avertet æther. Innocens metuit nihil.

SCENA

SCENA TERTIA.

Intercipiuntur à Dispensatore domûs.

Fecit ille ut jusserat, & apprehensis per ordinem locutus est. *Gen.* 44.

Baladat. Fratres. Milit.

Balad. Cohibete gressum.
Sim. Nempè quæ jussa imperas?
Balad. Scelerata capita! placuit Ægypto nefas
Tantum patrare?
Ruben. Innoxio appingis scelus.
Balad. Non una culpa noxios fecit. Semel
Iterumque vobis Pharia consicta Ceres
Quæsita fraude est. *Sim.* Fraudis accusas: datam
Ostende fraudem. *Bal.* O fraudibus natum genus!
Quod crimen ipse conscius prodit dies.
Negas videri? Hâc arte scelerati probant
Sese innocentes Teste sed puro nefas
Die patratum non latuit unquam satis
Placuit rapaci dexteræ argento gravis
Auroque crater? cujus aspectu solet
Auguria cœli legere, & arcanos poli
Detegere sensus, ille qui indignis Pharo
Etiam assidere Regiæ mensæ dedit.
Rub In innocentes conjicis tantùm nefas.
Testor Tonantis vindicem in reos manum.
Balad. Quàm tu mereris triplici armari face.

Ruben Si me nocentem viderit furti dies,
Siccis repôstum tulimus argentum duplex;
Et abstulisse Principis scyphum arguis?
Baladat. Absiste verbis: prome sublatum scyphum.
Sim. Quem tu recondis triplici abstrusum serâ.
Bal. Quem vos paratis munus effœto seni.
Rub. Scrutare saccos; criminis si quem invenis
Reum imputati, morte funesta jube
Evomere vitam. *Bal.* Miles in saccos vola,
Scrutare Cererem, verte completos sinus.
Sim. Cassum laborem suscipis. *Rub.* Patet Ceres,
Inquire: nullus pectus incussit pavor,
Quod nulla culpa tangit. *Bal.* Animosâ reus
Sic nempè fronte velat occultum nefas.
Miles. Hinc micat ab imo fulgor: hinc fraudes patent.
Bal. Dolosa furum capita, quid timidi pedem
Retrò refertis? nobilem antiquis scyphum
Signis videtis? Estne? quid trepidas? nega.
Perjure cernis? *Sim.* Benjamin fratrum pudor!
Rachele natus fure! sic fratres amas?
Sic in senem Benjamin Patrem es pius?
Ben. Testor latentis pectoris clausi sinus,
Non sum nocens fratres mei, non sum nocens.
O terra! Pontus! Sidera! ah non sum nocens!
Bal. Probat nocentem raptus è mensa scyphus.
Rape ad tribunal miles. *Ben.* O fratres mei,
Fratres juvate! ah Simeon, Ruben, Levi
Juvate. *Rub.* Parce Benjamin fletu, tua
Fortuna, nostra est omnium. Nos à tuo

Nemo

Nemo revellet latere. si quam te trahet
Furor arenam, nos simul tecum trahet.

SCENA QUARTA.

Minatur per somnium Iacobo Rigor: minas conatur favor evertere: Providentia Rigoris instrumenta confringit, eumque in Iustitiam; Favorem verò in Pietatem transmutat: promittunt.

Justum Piumque Joseph regnaturum in domo Jacob in æternum.

Iacob. Iustitia. Pietas.

Iacob. Vivo? vel umbris Manium immixtus?
Jacob
Solam fugati spiritus umbram traho?
O qui supernè cuncta prospectas DEUS!
Aliquidnè misero me magis miserum vides?
Quodcunque charum pectori insedit meo,
Semper tulisti, Benjamin, Joseph, Rachel!
O tria Jacobi nomina, & vitæ, & necis!
Nuper parenti tota bis senis stetit:
Natis propago: nullus est hodie super.
Joseph vorârunt bestiæ, tumulus meam
Hausit Rachelem, Benjamin forsan rotant
Adversa fata. Benjamin Patri redi.
O flos aviti stemmatis, tibi sit benè!

 Oro-

O rosa pateraï sanguinis, tibi sit benè!
O gemma magni nominis tibi sit benè!
Redi, redi mi Nate, si vis, redi.

CHORVS.

Iustitia. Pietas. Providentia.

Iustitia. Jacob, animosa fervidum
Da pectus in flagella:
Quoscunque Numen diligit,
Exercet ad dolores:
Sic filios parens amat:
Fræno tamen coërcet.
Tormenta Jacob sustine:
Tolerata dant coronas.

Pietas. Toleravit: iram contine,
Manum abstine flagello,
Post asperam serenior
Fortuna prodit orbi.
Sat est: flagella projice:
Sat est, reconde. *Iust.* Nolo.

Pietas. Jubent favere sidera.

Iustitia. Sed me jubent ferire.

Pietas. Favere me. *Iust.* Ferire me.
Ego feriam. *Piet.* Favebo.

Iustitia. Fulmen rotabo. *Piet.* Dexteram
Priùs ligabo. *Iust.* Ferrum
In destinata vulnera
Torquebo. *Piet.* Sed furore
Casso. *Iust.* Ferite *Piet.* Sustine.

Iustitia. Perrumpo scuta. *Piet.* Scutum
Pietas inexpugnabile est.

Iusti-

Iustitia. Permitte. *Piet.* Tela cede.
Provid. Quæ pugna? quæ certamina?
In pace quæ duella?
Justitia virgas projice,
Et vincula & catenas;
Strictumque conde acinacem:
Pax est; repone flammas.
Nec, nisi reposcant crimina,
Furoris arma stringe.
Accede Pietas, & sinum
Auri sonante nimbo
Inebria, ac favoribus
Roseis riga Jacobum.
Omnes. Jacob triumphe! Benjamin
Vitam trahit superstes.
Suo superstes funeri
Vive Joseph! Triumphe!
Surge: osculum da filio,
Et brachijs corona.
Iustos, Piosque filios,
Iusto, Pioque patri
Iustus Piusque Cœlitum
Tandem favor reponet.
Iacob. Errone? Joseph! dubia num vultûs nota
Fallit parentem? Nate! num visum dolus
Ludit senilem? quid pluvius auri nitor
Sinu receptus? Natus ante oculos stetit.
Vel umbra Nati? Est ille? Non. Fallor.
meus,
Meus ille Joseph. Inter amplexum patris
Joseph parentem noscis? an patrem fugis?
Adest

Adès, parentem ſtringe, ſum genitor tuus:
Quocunque fugies inſequar. Nate! ô Joſeph!!

SCENA QUINTA.

Retractiſiſtuntur Ioſepho fratres, increpantur, deprecantur.

Omnesque ante eum pariter in terram corruerunt: quibus ille ait: ſic agere voluiſtis. *Gen.* 44.

Ioſeph, Ingrata furum capita, ſceleratum genus;
Poſt liberali dextera effuſas opes,
Poſt larga Cereris dona, & affectus pii
Impenſa poſt tot merita, ſum viſus dolo
Facili implicandus? Regiam miſeris domum
Feci hoſpitalem; Regia afflictos fame
Dape recreavi: Nempè vos iſtam datis
Vicem favori? ô ſubdola ingenia, & manus
Semper alienis incubæ! Scyphus magis
Placuit favore Principis? Fures vagi!
Cernitis? an iſtud noxios aurum probat?
Habent, tenentur. *Iudas.* Innocens quamvis ſciam
Mihi pectus eſſe, & ſceleris immunes manus,
Tamen paventis eripit menti dolor,
Timorque verba. *Ioſeph.* Proprium hoc menti eſt reæ,
Audere quidvis, quamdiu crimen latet;
Timere quidvis, quando jam crimen patet.

Scy-

Scyphus nocentes arguit, *Iud.* Sed non probat.
Ioseph. Reus probatur criminis, quisquis notâ
Tali probatur. *Iud.* Signa sint quamvis palam;
At nulla mentem culpa testatur ream.
Iof. Per signa legitur animus. Est nimium nocens
Ex lege juris, quisquis est signis nocens.
Iud. Si lege juris signa pensentur, reos
Probasti abundè; facta si spectes tamen,
Sumus innocentes. *Ioseph.* Legibus causam exigo.
Ruben. Pietate comite.
Ioseph. Jura pietatem vetant.
In hoc coruscum Principi ferrum datur,
Ut scelera plectat. Juro regalis jubar
Innube mitiræ, vindicem hanc juro manum,
Inusitatum crimen insolitâ rigor
Pœnâ expiabit.
Rub. Vetera, non novâ, ô Deus
Hâc arte crimina expias. *Iud.* Si nos trahi
In servitutem jusseris, nemo potest
Arguere jussa. *Iof.* Si trahi cunctos velim,
Lex improbabit. *Iud.* Si nocens unus fuit,
Sumus nocentes singuli; *Iof.* Nemo luit
Crimen alienum. Culpa quem fecit reum,
Illum tenebris claudite obscuri specus.
Reliqui dolenti nuncium patri date.
Iud. Si tota nondum pectora invasit calor
Furore justo, meque patienti vides
Ad genua fusum lumine, in causam loqui
Concede pauca.
Ioseph. Loquere, sed propriis, cave

Capiare verbis: qualis attacto levis
Luctata visco volucris excussas magis
Sibi ligat alas. *Iud.* Magne populorum timor
Amorque Princeps; Genitor amisso Joseph,
Rachele matre mortuâ, hunc habuit sui
Puerum medullam cordis; & magni unicam
Luctus medelam. Quando nos dura fames
Necessitate strinxit, & rursus Pharon
Petere coëgit; Benjamin dixit, meæ
Servate mentis gaudium, Joseph meum.
Ite, ite quo vos dura compellit fames,
Amorque fratris obsidis, data & fides:
Ac jam sepulta pectoris parte alterâ
Chara in Rachele nuper, aut charo in Joseph,
Hâc quoque residua parte spoliatum patrem
Trahite in sepulchrum. Jam anima mœrenti in labris
Sedet parenti; filii erepti dolor
Extrudet omnem. Parce, si Pietas movet
Debita parenti à filiis, si te tua
Innata pietas tota quam Pharos canit,
Quam non meremur filii, Princeps, Patri
Concede veniam. *Ios.* Probra qui mundo dedit?
Iud. Miserere pueri *Ios.* Furis?
Iudas. Et Patris unici.
Ios. Fur unus, ingens dedecus Patri facit
Totique stirpi. Vincula in puerum expedi.
Iud. Me me catenis stringite, hic non est nocens;
Absolvit ætas scelere, & innocuum probat.
Ios. Quod ausus unus crimen est, omnes probat
Voluisse, Scelera; non voluntatem tamen

Sce-

Scelerum expiabo. Venia sit reliquis: puer
Luat. Ite. *Sim.* Meritò hæc patimur in fratrem
rei. *Ioseph.* Ah!
Sim. Invenit ultor crimen occultum Deus.
Ben. Ignosce Princeps, non reo puero; meo
Ignosce Patri. compedes istæ senem
Gravant parentem. lachrymæ fratrum Patri
Cient dolores. Cernis ut tendit manus,
Pronusque; madido gratiam vultu rogat.
Miserere Patris optimi! ò Princeps tui
Miserere servi! meque morituro Patri
Remitte munus, genibus affusus precor.
Iof. Scelestè nostros stringis incassum pedes:
Solium æquitatis Judicem inflexum petit.
Ben. Mollire Princeps lachrymis.
Ioseph. Crimen vetat.
Quemcunque flectunt lachrymæ, haud equus
fuit.
Abscede. sed quem læseris, disces brevi.
Fateor, medullas Benjamin totas mihi
Amor occupavit; occupat totas dolor.
Alterque pugnat alteri. At vincat, fera
Qui corda solitus vincere est, audax amor.
Recede turba famula.

SCENA SEXTA.

Tandem inter varios affectus luctatus Ioseph fratribus sese aperit, recognoscitur frater: datur plausus.

Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis: ego sum Joseph. osculatusque est omnes fratres suos, & gavisus est Pharao & omnis familia ejus.

Gen. 45.

Iidem.

Iudas. - - - Dominator reos
Aspice benigno frontis obtutu; & suos
In ora soles, in supercilia Iridem
Reduc amatam. *Ios.* Ah!
Rub. Nulla spes veniæ est super.
Ios. Ego. Quis ora fletus immissus levat?
Iud. O magne Princeps, si pares pueri putas;
Juga lacertos nos quoque immitem trahe.
In servitutem.
Ios. Ah! Ego ego sum: sine me ô dolor
Aperire mentem! Frater! ô violens Amor,
Concede verba! quin ruo in totos sinus.
Ah! frater ego sum, sum Joseph. Vivit meus
Adhuc superstes genitor! O generis mei
Columina fratres! Quid retro trepidi gradum

Re-

Refertis? ego sum frater, ego vester Joseph.
Venite fratres, basium fratri date.
Venite: ego sum frater. *Sim.* At nos non sumus,
Iof. Quando esse desijstis?
Sim. O Princeps pudet
Meminisse acerbi temporis. *Iof.* Fratrem voca.
Sim. Vetusta prohibent crimina.
Iof. An furti? *Sim.* Necis
Malè perpetratæ. *Iof.* Cujus in vitam? *Sim.*
Tuam.
Iof. Sed vivo. *Sim.* Cœli munere: at nostrum
scelus
Nihil inde minus est.
Iof. Crimen infectum est. *Sim.* Nimis
Tentasse multum est.
Iof. Vertit in melius Deus.
Sim Non indè culpa est levior.
Iof. O fratres mei!
Iud. Hostes (meremur) nomina.
Iof. Ego fratres voco.
Rub. Fratris procellas.
Iof. Gaudium fratris. *Rub.* Cain
De stirpe genitos. *Iof.* Patre Jacobo satos:
Cessate: mœstum tollite aspectum solo
Meliore digni forte. *Iud.* Parce.
Iof. Quid? *Iud.* Scelus
Fratrum. *Iof.* Peperci, surgite. Amplexum date
Fratri expeditum: surgite.
Sim. Ignosce; *Iof.* Est loco
Jam causa tuto. Sichima, & valles Dothan
Animo exciderunt, fratribus frater volo

Induere vultu sidera; & amorem,& metum
Tolerare didicit. *Rub.* Mitius furit,a speram
Quicunque sortem pertulit *Sim.* Si quam Pharos
Fidem meretur; innocens,solo reus
Odio furentis fœminæ,in tetro dies
Transegit antro,donec irato Duci
Detersit æstum pectus æterni capax
Numinis,& insons somnii sese augurem
Regi probavit; quæque per somnum DEUS
Dedit involuta cernere,haud vanâ fide
Evolvit. Inde jussus augustâ caput
Vestire mitrâ, & proximam Regis thoro
Tenere sedem,quaque se Nilus Pater
Effundit arvis,jura per populos dare.
Ruben. Quâ stirpe natus?
Sim. Magna majestas viri
Documenta prodit indolis magnæ; tamen
Occulta origo est generis: argento puer
Emptus dedisse dicitur Phario jugo
Servile collum. *Levi.* Nempè Fortunam suam
Hinc ferre nescit. Sanguinis vilis genus
Facilè insolescit,blanda si magnos ferat
Fortuna honores. *Sim* Sed quis irato huc citat
Quadrupede cursum? *Ben.* Nostra flâmato petit
Mucrone capita. Simeon,fratrem tuâ
Defende dextrâ. *Sim.* Mitte trepidantes puer
Pectore timores; melior instantes metus
Avertet æther. Innocens metuit nihil.

SCENA

Scena tertia.

Intercipiuntur à Diſpenſatore domûs.

Fecit ille ut juſſerat, & apprehenſis per ordinem locutus eſt. *Gen.* 44.

Baladat. Fratres. Miles.

Balad. Cohibete greſſum.
Sim. Nempè quæ juſſa imperas?
Balad. Scelerata capita! placuit Ægypto nefas
Tantum patrare?
Ruben. Innoxio appingis ſcelus.
Balad. Non una culpa noxios fecit. Semel
Iterumque vobis Pharia confictâ Ceres
Quæſita fraude eſt. *Sim.* Fraudis accuſas: datam
Oſtende fraudem. *Bal.* O fraudibus natum genus!
Quod crimen ipſe conſcius prodit dies.
Negas videri? Hac arte ſcelerati probant
Seſe innocentes. Teſte ſed puro nefas
Die patratum non latuit unquam ſatis.
Placuit rapaci dexteræ argento gravis
Auroque crater? cujus aſpectu ſolet
Auguria cœli legere, & arcanos poli
Detegere ſenſus, ille qui indignis Pharo
Etiam aſſidere Regiæ menſæ dedit.
Rub In innocentes conjicis tantùm nefas.
Teſtor Tonantis vindicem in reos manum.
Balad. Quàm tu mereris triplici armari face.

Ruben Si me nocentem viderit furti dies,
Siccis repôstum tulimus argentum duplex;
Et abstulisse Principis scyphum arguis?
Baladat. Absiste verbis: prome sublatum scyphum.
Sim. Quem tu recondis triplici abstrusum serâ.
Bal. Quem vos paratis munus effœto seni.
Rub. Scrutare saccos; criminis si quem invenis
Reum imputati, morte funesta jube
Evomere vitam. *Bal.* Miles in saccos vola,
Scrutare Cererem, verte completos sinus.
Sim. Cassum laborem suscipis. *Rub.* Patet Ceres;
Inquire: nullus pectus incussit pavor,
Quod nulla culpa tangit. *Bal.* Animosâ reus
Sic nempè fronte velat occultum nefas.
Miles. Hinc micat ab imo fulgor: hinc fraudes patent.
Bal. Dolosa furum capita, quid timidi pedem
Retrò refertis? nobilem antiquis scyphum
Signis videtis? Estne? quid trepidas? nega.
Perjure cernis? *Sim.* Benjamin fratrum pudor!
Rachele natus fure! sic fratres amas?
Sic in senem Benjamin Patrem es pius?
Ben. Testor latentis pectoris clausi sinus,
Non sum nocens fratres mei, non sum nocens.
O terra! Pontus! Sidera! ah non sum nocens!
Bal. Probat nocentem raptus è mensa scyphus.
Rape ad tribunal miles. *Ben.* O fratres mei,
Fratres juvate! ah Simeon, Ruben, Levi
Juvate. *Rub.* Parce Benjamin fletu, tua
Fortuna, nostra est omnium. Nos à tuo

Nemo

Nemo revellet latere. si quam te trahet
Furor arenam, nos simul tecum trahet.

SCENA QUARTA.

Minatur per somnium Iacobo Rigor: minas conatur favor evertere : Providentia Rigoris instrumenta confringit, eumque in Iustitiam; Favorem verò in Pietatem transmutat : promittunt.

Iustum Piumque Ioseph regnaturum in domo Jacob in æternum.

Iacob. Iustitia. Pietas.

Iacob. Vivo? vel umbris Manium immixtus? Jacob
Solam fugati spiritus umbram traho?
O qui supernè cuncta prospectas DEUS!
Aliquidnè misero me magis miserum vides?
Quodcunque charum pectori insedit meo,
Semper tulisti, Benjamin, Joseph, Rachel!
O tria Jacobi nomina, & vitæ, & necis!
Nuper parenti tota bis senis stetit
Natis propago : nullus est hodie super.
Joseph vorârunt bestiæ, tumulus meam
Hausit Rachelem, Benjamin forsan rotant
Adversa fata. Benjamin Patri redi.
O flos aviti stemmatis, tibi sit benè!

Iustitia. Permitte. *Piet.* Tela cede.
Provid. Quæ pugna? quæ certamina?
In pace quæ duella?
Justitia virgas projice,
Et vincula & catenas;
Strictumque conde acinacem:
Pax est; repone flammas.
Nec, nisi reposcant crimina,
Furoris arma stringe.
Accede Pietas, & sinum
Auri sonante nimbo
Inebria, ac favoribus
Roseis riga Jacobum.
Omnes. Jacob triumphe! Benjamin
Vitam trahit superstes.
Suo superstes funeri
Vive Joseph! Triumphe!
Surge: osculum da filio,
Et brachijs corona.
*Iustos, Pios*q; filios,
*Iusto, Pio*q; patri
*Iustus Pius*q; Cœlitum
Tandem favor reponet.
Iacob. Errone? Joseph! dubia num vultûs nota
Fallit parentem? Nate! num visum dolus
Eudit senilem? quid pluvius auri nitor
Sinu receptus? Natus ante oculos stetit.
Vel umbra Nati? Est ille? Non. Fallor.
meus,
Meus ille Joseph. Inter amplexum patris
Joseph parentem noscis? an patrem fugis?
Adest.

Ades, parentem stringe, sum genitor tuus:
Quocunque fugies insequar. Nate! ô Joseph!!

SCENA QUINTA.

Retractisistuntur Iosepho fratres, increpantur, deprecantur.

Omnesque ante eum pariter in terram corruerunt: quibus ille ait: sic agere voluistis. *Gen. 44.*

Ioseph, Ingrata furum capita, sceleratum genus;
Post liberali dextera effusas opes,
Post larga Cereris dona, & affectus pii
Impensa post tot merita, sum visus dolo
Facili implicandus? Regiam miseris domum
Feci hospitalem; Regia afflictos fame
Dape recreavi: Nempe vos istam datis
Vicem favori? ô subdola ingenia, & manus
Semper alienis incubæ! Scyphus magis
Placuit favore Principis? Fures vagi!
Cernitis? an istud noxios aurum probat?
Habent, tenentur. *Iudas.* Innocens quamvis sciam
Mihi pectus esse, & sceleris immunes manus,
Tamen paventis eripit menti dolor,
Timorque verba. *Ioseph.* Proprium hoc menti est reæ,
Audere quidvis, quamdiu crimen latet;
Timere quidvis, quando jam crimen patet.

Scy-

Scyphus nocentes arguit, *Iud.* Sed non probat.
*Ioseph.*Reus probatur criminis, quisquis notâ
Tali probatur. *Iud.*Signa sint quamvis palam;
At nulla mentem culpa testatur ream.
*Iof.*Per signa legitur animus. Est nimium nocens
Ex lege juris, quisquis est signis nocens.
*Iud.*Si lege juris signa pensentur, reos
Probasti abundè; facta si spectes tamen,
Sumus innocentes. *Ioseph.* Legibus causam exigo.
*Ruben.*Pietate comite.
*Ioseph.*Jura pietatem vetant.
In hoc coruscum Principi ferrum datur,
Ut scelera plectat. Juro regalis jubar
Innube mitiræ, vindicem hanc juro manum,
Inusitatum crimen insolitâ rigor
Pœnâ expiabit.
*Rub.*Vetera, non novâ, ô Deus
Hâc arte crimina expias. *Iud.*Si nos trahi
In servitutem jusseris, nemo potest
Arguere justâ. *Iof.*Si trahi cunctos velim,
Lex improbabit. *Iud.*Si nocens unus fuit,
Sumus nocentes singuli; *Iof.* Nemo luit
Crimen alienum. Culpa quem fecit reum,
Illum tenebris claudite obscuri specus.
Reliqui dolenti nuncium patri date.
*Iud.*Si tota nondum pectora invasit calor
Furore justo, meque patienti vides
Ad genua fusum lumine, in causam loqui
Concede pauca.
*Ioseph.*Loquere, sed propriis, cave

Capiare verbis : qualis attacto levis
Luctata visco volucris excussas magis
Sibi ligat alas. *Iud.* Magne populorum timor
Amorque Princeps ; Genitor amisso Joseph,
Rachele matre mortuâ, hunc habuit sui
Puerum medullam cordis ; & magni unicam
Luctus medelam. Quando nos dura fames
Necessitate strinxit, & rursus Pharon
Petere coëgit ; Benjamin dixit, meæ
Servate mentis gaudium, Joseph meum.
Ite, ite quo vos dura compellit fames,
Amorque fratris obsidis, data & fides :
Ac jam sepulta pectoris parte alterâ
Chara in Rachele nuper, aut charo in Joseph,
Hâc quoque residua parte spoliatum patrem
Trahite in sepulchrum. Jam anima mœrenti in
labris
Sedet parenti ; filii erepti dolor
Extrudet omnem. Parce, si Pietas movet
Debita parenti à filiis, si te tua
Innata pietas tota quam Pharos canit,
Quam non meremur filii, Princeps, Patri
Concede veniam. *Ios.* Probra qui mundo dedit?
Iud. Miserere pueri *Ios.* Furis?
Iudas. Et Patris unici.
Ios. Fur unus, ingens dedecus Patri facit
Totique stirpi. Vincula in puerum expedi.
Iud. Me me catenis stringite, hic non est nocens.
Absolvit ætas scelere, & innocuum probat.
Ios. Quod ausus unus crimen est, omnes probat
Voluisse. Scelera ; non voluntatem tamen

Sae-

Scelerum expiabo. Venia sit reliquis: puer
Luat. Ite. *Sim.* Meritò hæc patimur in fratrem
rei. *Ioseph.* Ah!
Sim. Invenit ultor crimen occultum Deus.
Ben Ignosce Princeps, non reo puero; meo
Ignosce Patri. compedes istæ senem
Gravant parentem. lachrymæ fratrum Patri
Cient dolores. Cernis ut tendit manus,
Pronusque; madido gratiam vultu rogat.
Miserere Patris optimi! ò Princeps tui
Miserere servi! meque morituro Patri
Remitte munus, genibus affusus precor.
Ios. Scelestè nostros stringis incassum pedes:
Solium æquitatis Judicem inflexum petit.
Ben. Mollire Princeps lachrymis.
Ioseph. Crimen vetat.
Quemcunque flectunt lachrymæ, haud equus
fuit.
Abscede. sed quem læseris, disces brevi.
Fateor, medullas Benjamin totas mihi
Amor occupavit; occupat totas dolor.
Alterque pugnat alteri. At vincat, fera
Qui corda solitus vincere est, audax amor.
Recede turba famula,

SCENA SEXTA.

Tandem inter varios affectus luctatus Ioſeph fratribus ſeſe aperit, recognoſcitur frater: datur plauſus.

Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omniſque domus Pharaonis, & dixit fratribus ſuis: ego ſum Joſeph. oſculatuſque eſt omnes fratres ſuos, & gaviſus eſt Pharao & omnis familia ejus.

Gen. 45.

Iidem.

Iudas. - - - Dominator reos
Aſpice benigno frontis obtutu; & ſuos
In ora ſoles, in ſupercilia Iridem
Reduc amœnam. *Ioſ.* Ah!
Rub. Nulla ſpes veniæ eſt ſuper.
Ioſ. Ego. Quis ora fletus immiſſus levat?
Iud. O magne Princeps, ſi pares pueri putas;
Juga lacertos, nos quoque immitem trahe.
In ſervitutem.
Ioſ. Ah! Ego ego ſum ſine me ô dolor
Aperire mentem! Frater! ô violens Amor,
Concede verba! quin ruo in totos ſinus.
Ah! frater ego ſum, ſum Joſeph. Vivit meus;
Adhuc ſuperſtes genitor! O generis mei
Columina fratres! Quid retro trepidi gradum

Ru-

Refertis? ego ſum frater, ego veſter Joſeph.
Venite fratres, baſium fratri date.
Venite: ego ſum frater. *Sim.* At nos non ſumus,
Ioſ. Quando eſſe deſijſtis?
Sim. O Princeps pudet
Meminiſſe acerbi temporis. *Ioſ.* Fratrem voca.
Sim. Vetuſta prohibent crimina.
Ioſ. An furti? *Sim.* Necis
Malè perpetratæ. *Ioſ.* Cujus in vitam? *Sim.*
Tuam.
Ioſ. Sed vivo. *Sim.* Cœli munere: at noſtrum
ſcelus
Nihil inde minus eſt.
Ioſ. Crimen infectum eſt. *Sim.* Nimis
Tentaſſe multum eſt.
Ioſ. Vertit in melius Deus.
Sim Non indè culpa eſt levior.
Ioſ. O fratres mei!
Iud. Hoſtes (meremur) nomina.
Ioſ. Ego fratres voco.
Rub. Fratris procellas.
Ioſ. Gaudium fratris. *Rub.* Cain
De ſtirpe genitos. *Ioſ.* Patre Jacobo ſatos;
Ceſſate: mœſtum tollite aſpectum ſolo
Meliore digni ſorte. *Iud.* Parce.
Ioſ. Quid? *Iud.* Scelus
Fratrum. *Ioſ.* Peperci, ſurgite. Amplexum date
Fratri expeditum: ſurgite.
Sim. Ignoſce. *Ioſ.* Eſt loco
Jam cauſa tuto. Sichima & valles Dothan
Animo exciderunt, fratribus frater volo

Vocari amatis. Si quid affusi preces
Valuêre fratris, surgite. Ah parcè loquor.
Venite fratres optimi, & læti meo
Pendere collo, chara progenies Patris.
Mi Benjamine! *Ben.* Joseph!
Ios. O matris decus!
Ben. Uterine frater.
Ios. Alter & parve ô Joseph!
Ben. Alterque Benjamine! *Ios.* Deciduas genis
Abstergè lacrymas. Sufficit: fratrem vides.
Ben. In te parentis gaudium cerno.
Ios. Simeon
Damnate nuper carceris opaci specu.
Sim. Utinam expiârit ille tentatum scelus.
Ios. Excute dolores, quando me salvum vides;
Servator & tu sanguinis Ruben mei,
Fraterque Judas; Principi in servum dari
Frustra rogabas. Frater es; fratrem in sinu
Agnosce frater; Isschar, Dan, Gad, Levi,
Aser, Zabulon, Nephtali, o fratres mei!
Nep. O te parentem!
Ios. Sum Ioseph frater, Ioseph
Quem vendidistis nuper Ægypto: vetus
Sed illa menti fabula excussa, & data est
Oblivioni. *Iud.* Somnijs tandem fides
Deo jubente constat. En genibus minor
Affusa fratrum turba, te flexâ Joseph
Cervice adorat; prona sub vultus tuos
Curvantur astra, quando lunantur tuis
Fraterna genua honoribus. Felix Joseph!
Sim. Servire tanto Principi, fratri, tibi,

Nunc

Nunquam pigebit, mente fideles graves
Fratrum reatus. *Rub.* Si tui cui sus sumus,
Tibi famulari præmium Princeps erit.
Ben. Agnosce fratres, frater ô Ioseph, tuos.
Ios. O frater! *Ben.* O mi frater!
Ios. O frater! *Ben.* Joseph!
Ios. Vos stringo fratres, stringo & in vobis Patrem.
O charæ Patris capita! non vestrum fuit
Scelus, quod istâ venditus degam plagâ:
Ut vivat orbis, ante vos Numen dedit
In hasce terras memet. Abscedat genis
Luctus serenis, quando me Regi parem
Phario videtis, Principem terræ, Patris
Fratrumque vitam, & patriæ gentis decus,
Lætumque mecum ducite, ô fratres, diem,
Postea daturi lætum nuntium Patri.
Exigite festos fronte meliore jocos.

SCENA SEPTIMA.

Dimittit Fratres Ioseph ut Patrem adducant.

Tollite inde Patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me.
Gen. 45.

Iidem. Aula Pharaonis.

Ios. O longa nulla gaudia, atque horas breves
Felicitatis! Vix datum fratri sinu
Excipere fratres, cogor abeuntes lari

Reddere paterno: Vota nil remoror, Patrem
Audire videor lacrymâ multâ suos
Natos vocantem. Pergite levamen seni,
Dicite, revixit filius, quem tu diu
Defles peremptum, vivit, & magnâ potens
Dominatur aulâ, primus ad Regis latus
Fruitur favore. Pergite ô fratres mei,
Meumque, quod nunc divido vobis, Patri
Præbete cordis osculum. Quinos fames
Durabit annos. Cereris ignarum solum
Cum patre fratres fertilis Nili ubere
Mutate glebâ: ducite ad Natum Patrem,
Ut in parentis brachijs lætus Joseph,
Genitorque nati in brachijs vivat Jacob,
Alterque possit cadere in alterius sinu.

F I N I S.

